Ex
Bibliotheca Regia
Academica.

THE LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF MINNESOTA
CLASS 378.43K
BOOK qJ

Printed in Germany

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SCHRIFTEN

DER

UNIVERSITÄT

ZU

KIEL

aus dem Jahre 1856.

Band III.

...SITY OF
...SOTA
...ARY

KIEL.

Gedruckt bei C. F. Mohr.

1857.

Digitized by Google

UNIVERSITY OF
MINNESOTA
LIBRARY

Digitized by Google

Inhalt.

I. Index scholarum per semestre aestivum habendarum praem. *G. Curtius* quaestiones etymolog

II. Verzeichniss der Behörden, Commissionen, Beamten, Institute, Lehrer und Studirenden im Sommersemester.

III. Index scholarum per semestre hibernum habendarum. Inest corollar. comment. de nomine Homeri.

IV. Verzeichniss der Behörden etc. Wintersemester.

V. Chronik der Universität.

1) Personalnachrichten.

a. Anstellungen, Beförderungen und Ehrenbezeugungen.
b. Abberufungen, Todesfälle.
c. Habilitationen und Promotionen.

2) Von der Universität im Allgemeinen und von den Universitätsinstituten.

1. Zur Geschichte der Universität.
Die Professoren der juristischen Fakultät in Kiel mit allgemeinen historischen Bemerkungen über die Kieler Universität. Rectoratsbericht 1855/56.
2. Die Universitätsbibliothek.
3. Das homiletische Seminar.
4. Das katechetische Seminar.
5. Anatomisches Theater und Museum.
6. Das physiologische Laboratorium.
7. Die medicinische Klinik im academischen Krankenhause.
8. Die chirurgische Klinik im Friedrichshospitale.
9. Die Königliche Hebammenlehr- und Gebär-Anstalt.
10. Die pharmacognostische Sammlung.
11. Das philologische Seminar.
12. Die Münz- und Kunstsammlung.
13. Das pädagogische Seminar.
14. Das zoologische Museum.
15. Der botanische Garten.
16. Das mineralogische Museum.
17. Das chemische Laboratorium.
18. Das physikalische Institut.
19. Das Museum vaterländischer Alterthümer.
20. Der Kunstverein.

541432

Digitized by Google

3) Vom Convict und den Stipendien.

a. Convictexamina.

b. Stipendien.

1. Schassisches Stipendium.

2. Vertheilung der vom Consistorio zu vergebenden Stipendien im Jahre 1856.

4) Chronik der Gelehrtenschulen.

5) Meteorologische Beobachtungen.

Beilage 1. Nachrichten über das physikalische Institut und das mineralogische Museum der Universität zu Kiel mit 3 Kpfrtfln.

Beilage 2. Rede gehalten vom Kirchenrath Dr. *Lüdemann*.

Beilage 3. Bericht über die Wirksamkeit des Kunstvereins.

VI. Festreden, Memoiren etc.

1. Zur Feier des Geburtstages Sr. Majestät des Königs Friedrich VII. laden ein Rector und Consistorium. Inhalt: *K. Müllenhoff*, über die Weltkarte und Chorographie des Kaisers Augustus.

2. Oratio qua in solemnibus regis augustissimi et serenissimi Friderici VII. natalitiis vota publica nuncupavit *Gustavus Fricke*.

VII. Dissertationen.

Jur. 1. *A. Voege*, de origine et natura eorum quae apud veteres Romanos per aes et libram fiebant.

2. *J. H. Nolte*, de bona fide praescribentis ex jure canonico ad interpretationem c. uit. X. de praescript. 2, 26.

Medic. 1. *D. D. Hagn*, de strabismo ejusque sanatione.

2. *C. G. Gerling*, de musculorum serrati antici majoris et cucullaris paralysi.

3. *J. Philippsen*, de frigore pro remedio chirurgico adhibendo.

4. *A. G. Brieger*, de thrombosi venae cavae inferioris.

5. *N. H. V. Ritter*, de venarum pulsu ejusque causa valvula mitrali insufficiente cum foramine ovali aperto conjuncta.

6. *J. Seeger*, de hydrope saccato ovarii et tumore hujus generis Kiliae observato.

7. *F. Boie*, articuli metacarpo-phalangei policis anatomia et physiologia luxationum maxime habita ratione.

8. *C. E. J. Hansen*, de polydipsia.

9. *P. H. Tobies*, de craniotabe cum hypertrophia glandulae thymi conjuncta.

10. *P. Carstens*, de obturatione tubae Eustachii.

11. *G. H. Kardel*, de encephalomalacia.

12. *J. F. C. E. Riedell*, de pedis amputatione ex Pirogoffii methodo instituta.

13. *J. J. C. T. F. Becker*, de casu myocarditidis.

14. *L. C. A. Roll*, de descensu testiculi imperfecto.

15. *E. W. E. Gottburg*, de cirrhosi jecoris conjuncta cum vitio valvulae mitralis.

Digitized by Google

1856. I.

INDEX SCHOLARUM

IN ACADEMIA

CHRISTIANA ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE AESTIVUM

A DIE INDE XVI. MENSIS APRILIS

USQUE

AD DIEM XV. MENSIS SEXTILIS ANNI MDCCCLVI

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

PRAEMISIT *GEORGIUS CURTIUS* QUAESTIONES ETYMOLOGICAS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

Digitized by Google

Digitized by Google

Proximo mense Octobri cum philologi Germaniae, prioribus annis in meridionali vel media parte communis patriae convenire soliti, omnibus qui in his regionibus antiquitatis studia colunt acclamantibus, fere ad fines Holsatiae accessissent, ego quoque ad illorum dierum disputationes aliquantulum contribuere conatus sum. Et quoniam in graecorum latinorumque verborum originibus indagandis versabar, nec ab illa occasione nec a studiis meis alienum fore existimavi, si de ea quae inter utramque linguam intercederet ratione quid statuendum videretur, adumbrare magis atque indicare quam explicare studerem. Quam ad rem explorandam duae mihi videbantur viae ineundae esse, initio diversae, in fine autem concurrentes; primum enim in ea inquirendum esse, quae Romani ex Graecorum sermone jam exculto et per magnum orbis terrarum spatium divulgato ad suum usum transtulissent, deinde difficiliorem et ampliorem quaestionem requiri de iis verbis verborumque formis quae utrique populo ex antiquiore illo tempore communia essent, quo Graecorum et Italorum majores inter se nondum discreti unam gentem efficerent a ceteris gentibus ab eadem Indogermanorum stirpe oriundis jam separatam. Itaque cum illa dicendi occasione sic utendum putassem, ut in verbis linguae latinae graecis commorarer, hoc praefandi munere ita functurus fui, ut de quibusdam vocabulis in utroque sermone antiquitus usitatis agerem, inter quae qualis ratio esset, nondum satis explicatum esse videretur.

A Jove principium. Cujus dei nomen latinum quomodo cum Graecorum Ζεύς, Indorum Djâu-s, Persarum Δίαν (τὸν οὐρανὸν Πέρσαι Hesych.), Germanorum veterum *Zio* congruat, post Boppium, Grimmium, alios non est quod doceam. Sed idem inesse videtur in eo quod legimus apud Hesychium: Δειπάτυρος θεὸς παρὰ Στυμφαίοις, quod a quibusdam Hesychianae molis editoribus tam parum intellectum est, ut pro θεὸν θεῖον scribendum et patruum intelligendum esse opinarentur. Verum, nisi omnia me fallunt, Stymphaei illi epirotici, quos etiam Tymphaeos dictos esse constat, Δειπάτυρον eundem

Digitized by Google

deum vocarunt qui Romanis Juppiter, Umbris in casu vocandi Jupater (Aufrecht u. Kirchhoff II, 409) dictus est. Habuerunt igitur hoc cum Romanis commune, quod deorum hominumque patris nomini hoc ipsum patris vocabulum ita adjungerent, ut non nominativus sed ipsa nominis stirps cum illo vocabulo componeretur. Ea autem apud Graecos Δι*F*, apud Romanos *Diov* sonat, illi formae sanscritum *div*, huic *djav* respondet. Ex breviori Δι*F* factum est Δι*F*-πατυρ-ς, post, abolito digammo, Διπάτυρος, et sic apud Hesychium, qui propter sui temporis pronuntiationem ῑ et ει saepissime inter se confudit, scribendum erit; ex ampliore Diov Diu-piter et contractum Jû-piter sive Juppiter. De terminatione, quam in nominibus propriis paulo diversi generis Ἀντίπατρος, Κλεινόπατρος, Σώπατρος, Σωσίπατρος invenimus, non est quod miremur; ν autem ibi positum ubi aut nullam aut, ut in εὐπατέρεια, ε vocalem exspectamus aeolicarum vocum πανήγυρις, σύρξ, ὄνυμα et homerici δια-πρ-ύ-σιο-ς nos commonefacit. Nec praetermittendum est Hesychianum αἴτυρον ὕαλον quod ἀ digammi in locum posito, ut in Cretensium ἄερσαν δρόσον (Hesych.), latino *vitrum* respondere, quis est quin videat?

Antiquissimum in vita rustica usum habuisse videtur vocabulum graecum quod in Hesiodi Operibus quinquies commemoratur καλιή

ἐργάζευ, Πέρση, δῖον γένος, ὄφρα σε Λιμός
ἐχθαίρῃ, Φιλέῃ δέ σ' ἐϋστέφανος Δημήτηρ
αἰδοίη, βιότου δέ τεὴν πιμπλῇσι καλιήν. v. 299
. . . σοὶ δ' ἔργα φίλ' ἔστω μέτρια κοσμεῖν,
ὥς κέ τοι ὡραίου βιότου πλήθωσι καλιαί. v. 307
Μηδὲ γυνή σε νόον πυγοστόλος ἐξαπατάτω
αἰμύλα κωτίλλουσα, τεὴν διφῶσα καλιήν. v. 372
Οὐ γὰρ ἐτωσιεργὸς ἀνὴρ πίμπλησι καλιήν. v. 409
Οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται, ποιεῖσθε καλιάς. v. 503

Hi versus vulgo sic explicantur ut v. 372 et 503 domum vel casam, reliquis locis horreum significari dicant. Quaerentibus autem, quid ad vocabulum nostrum cognoscendum vel lexicorum veterum auctoritate vel aliorum scriptorum usu adjuvemur, primus qui post Hesiodum eo usus sit nobis occurrit is cui sub Phocylidis nomine, falso quidem ut videtur, debemus versum pseudophocylid. 84

μηδέ τις ὄρνιθας καλιῆς ἅμα πάντας ἑλέσθω

cui similis est Theocriti versus carminis XXIX, 12

ποίησαι καλιὴν μίαν εἰν ἑνὶ δενδρέῳ

in utroque enim καλιά mutata quantitate nec domus, nec horrei, sed nidi vim habet.

Digitized by Google

Veterem autem syllabae paenultimae quantitatem retinuerunt Crinagoras (Anth. Pal. VI, 253, 3)

Παυές τ' ἠχήεσσα πιτυστέπτοιο καλιὴ

et Apollonius Rhodius I, 170

ἔντεα γάρ οἱ
πατροπάτωρ Ἀλεὸς μυχάτῃ ἐνέκρυψε καλιῇ.

Denique afferendus est Artemidorus qui in Onirocrit. II, 24 haec praebet: σιροὶ δὲ καὶ κάπετοι καὶ καλιαὶ [sic Reiskius pro vulg. καλεαὶ] καὶ πάντα ἐν οἷς θησαυρίζεται καὶ ἀνατίθεται τὰ σπέρματα γυναῖκα σημαίνει. Lexicographi vero fere in eo consentiunt quod καλιάν νεοττιάν et οἶκον significare contendunt κυρίως ξύλινον, καταχρηστικῶς δὲ καὶ ἐπὶ λιθίνων οἰκιῶν (E. M., E. Gud.), κᾶλα γὰρ τὰ ξύλα (Suid. Hesych., Schol. Apoll. Rhod. I, 170). In quo unusquisque videt idem accidisse hominibus etymologiarum umbras captantibus quod saepissime accidit, ut falsa originis specie a recta via deducti ea ipsa ad significationem invertendam abuterentur. καλιή enim a κᾶλον sive κῆλον derivari non potest nisi ab iis qui veterum vestigia prementibus omnia, nostra ratione usis nihil nobis licere opinentur. Obstat autem praeter mensuram usus. Pani enim quis ligneam casam tribuat, vel quis animum inducat Alei domum in Apollonii loco ligneam putare?

Exstant praeterea vocabula ab eo quod quaerimus haud multum diversa καλιός cum deminutivo καλίδιον et καλιάς. Quorum de primo Pollux agit Onomast. X, 160: καλιὰ καὶ καλιὸς ὁ τοιοῦτος [i. e. ὀρνίθειος] οἰκίσκος ὡς Κρατῖνος Θρᾴτταις

εἰς τὸν καλιὸν, ἢν τύχῃ, καθειργνυται.

ἤδη δὲ καὶ τὸν πρὸς οἰκήσεις ἐπιτήδειον οὕτω λέγουσιν, ὡς ἐν Ἐλπίδι Ἐπιχάρμου εἴρηται

τὸν τοῦ γείτονος καλιόν

ἐν δὲ Εὐπόλιδος Αὐτολύκῳ

οἰκοῦσι δ' ἐνθάδ' ἐν τρισὶν καλιδίοις
οἴκημ' ἔχων ἕκαστος.

Καλιάς autem, ab alterutro propagatum, modo domum significat ut apud Philodemum Anthol. Pal. XI, 44, 1

Αὔριον εἰς λιτὴν σι καλιάδα, φίλτατε Πείσων,
ἐξ ἐνάτης ἕλκει μυσοφιλὴς ἕταρος,

modo sacellum ut apud Plutarchum (Num. 8) et Dionysium Halicarnassensem.

Jam vero ut a Graecis in Italiam transeamus, habent Romani vocabulum quod omni fere ex parte ei de quo disseruimus respondere vel ii concedent, qui etymolo-

Digitized by Google

gorum arti parum fidei habeant. *Cellam* enim oleariam, vinariam, penariam Italiae agricolae non minus refertam sibi cupiebant, quam Hesiodi aequales καλιήν, nec aliam ob causam Capua cella atque horreum Campani agri dicta est, nisi quod ibi condebantur quae fertilissima regio protulerat. In cellis praeterea servi habitabant, ut apud comicos invenimus qui ἐν καλιῷ vel ἐν καλιδίῳ degerent. Avium plerarumque quidem quae clausae tenebantur non cellae, sed caveae fuerunt, anserum vero et columbarum cellae, quarum quae in tegulis columbis exstruebantur possunt cum nidulo illo comparari quo in arbore posito Theocritus se una cum amasio inclusum cupit. Denique ut apud Graecos καλιαί ξυλινά τινα περιέχοντα ἀγάλματα εἰδώλων et καλιάδες deorum fuerunt, ita apud Romanos cellae. Quae cum ita sint, a vero nos non aberrare puto, si utrumque vocabulum ab una eademque stirpe formatum et a simplicis aediculae, frugibus condendis exstructae, notione ad reliquum usum translatum statuimus. Ea autem vocabuli graeci vis valet si non in omnibus — nam de postremo dubitari potest — in quattuor tamen prioribus locis Hesiodeis. Nam quae versu 372 nobis describitur mulier corrupta ac fraudulenta, eam ut caveat admonetur agricola non quod totam domum pervestiget, sed quod cellam; erit autem, ni fallor, similis ejus, quae est in Simonidis Amorgini fr. 6, 46

ἐσθίει μὲν ἐν μύχῳ
πρωΐξ, πρωΐμαχ, ἐσθίει δ' ἐπ' ἐσχάρα.

Nec dubium esse potest, quin Aleus ille Apollonianus, nepotem quominus belli pericula subiret impediturus, arma in clauso aliquo loco abscondiderit. Ceterum apud rusticos antiquum illum graeci verbi usum durasse testis est Artemidorus. In utraque autem lingua etiam parva aedificia alius generis ob cellarum illarum similitudinem idem nomen acceperunt. Nec a simplicium hominum et agrestium ratione alienum esse videtur, quod etiam diis καλιάς, καλιάδας sive cellas tribuebant. Una igitur in graecis masculinae formae significatio restat, quae quomodo cum reliquo usu conjungi possit non video. καλιός enim numella dicta est vel τὸ ξύλον ᾧ ἐδέοντο οἱ ἐγκαλοσκελεῖς (Schol. Arist. Plut. 476, Hesych.). Sed cum eadem res κλοιός vocetur, haud scio an utrumque vocabulum ab alia stirpe propagatum sit.

Itaque cum de usu satis dictum esse videatur, restat ut horum vocabulorum formam explicemus. Nam si quis statuerit καλιάν et cellam prorsus idem verbum esse, ei non poterimus assentiri. ἄλλος enim et *alius*, ἅλλομαι et *salio* inter se comparatis intelligitur Graecos saepius geminatam λ litteram posuisse ubi Romani *li* syllabam, contrariae vero vicissitudinis exemplum inveniri non puto. Quare et καλιά

Digitized by Google

et cella derivanda erunt ex antiquiore aliqua forma, quae cum non exstet fingi a nobis potest *kalâ*. Ex ea Graeci femininam formam similiter propagarunt ut a σκοπή σκοπιά, στρατός στρατιά, τρόχος τροχιά. De latino vocabulo dubitari potest. Nam cum geminatarum litterarum usum apud Romanos non admodum antiquum esse constet, jam Vossius in Etymologico monuit ab antiquissima scribendi ratione *cela* proficiscendum esse. Verum cavendum erit, ne nimium stilo tribuamus, cujus consuetudo vivae vocis sonum nunquam prorsus exaequat. Qui enim ante Ennium tela et mella, felem et pellem, pilum et lapillum ita a Romanis pronunciata esse diceret, ut paenultimae syllabae sonus plane idem esset, is haud dubie erraret. Itaque ut in parum usitatis et ignotae originis vocibus interdum erratum sit, in universum non est, quod eos qui Ennii aetate accuratiorem scribendi rationem induxerint vivae vocis usum antiquitus servatum, necdum satis litteris distinctum secutos esse negemus. Eamque ob causam cella vocabulum ab eo quod posuimus *kalâ* ita derivatum esse crediderim ut a tabula tabella, ab anulus anellus. Jam vero in lingua sanscrita habemus vocabulum *khala-s*, quod a Kuhnio (Weber, Indische Studien I, p. 360), cum graeco καλιά comparatum est. Cui comparationi spiritus initiali litterae additus non obstat, quia haud raro ab Indis tenui quae vocatur consonae adjicitur. Significat autem *khala-s* sive *khala-m*, Wilsonio auctore, aream triturae frumentorum destinatam (a threshing floor), quod si ab iis quae exposuimus abesse videatur, granarii, molae, et magis universalis loci significationes, quae eidem nomini tribuuntur, paullo melius respondent. Nec omittendum est sanscritum *çâlâ*, quo domus et area amplior (a hall) significatur, nec quod ab hoc deflexum est caveae nomen *çâlâra-m* (a birdcage). Quae quomodo inter se cohaereant et unde originem ceperint ii videant, qui in linguae sanscritae vocabula diligentius inquirere coeperunt. Romanorum autem grammatici, Varro, Servius et Paulus Festi epitomator (p. 66 M.) cellam a celando dictam esse statuunt. Quod verbum cum a breviori, quae est in oc-*cul*-o, *cal-im* sive *callim* et *clam* (Paul. p. 47), forma propagatum sit, cui dudum germanicum *hëlan* comparaverunt, et cum apud Graecos eadem radix et verbo καλύπτω et nomini, quod cum Latinorum *cu-cullo* et germanico *hel*-m congruit, καρά-καλλον subesse videatur, illam originationem cur rejiciamus non video.

Graecorum ὦμο-ς et latinum *umeru-s* idem vocabulum esse diu constat. Eas formas ita congruere, ut ex ea quae ab Indis, umerum *amsa-s* et a Gothis, eundem *amsa* vocantibus, servata est, Graeci ὀμσο-ς, postea ὦμο-ς, Latini vero inter *ms* vocali interposita *omeso-s*, postea *umesu-s*, *umeru-s* fecerint, accuratissime ab Aufrechtio

Digitized by Google

demonstratum est (Zeitschr. f. vergl. Sprachf. I, 283). Sed ex graeca lingua afferri potest forma, quae aliqua sane ex parte similior est latinae. Legimus enim apud Hesychium *ἀμέσω ὠμοπλάται* — nam hoc, non *ἀμέσῳ ὠμοπλάτῃ*, Schouwius in codice ms. invenit — quae forma ex qua dialecto desumpta sit quis divinaverit? Sed patet *ἄμεσω* et *ὦμω* diverso modo ad *μσ* conjunctarum sonum, invisum Graecis, evitandum ex vetere illo *ἄμσω* facta esse. Pars enim Graecorum explosa littera sibilanti ut ex *ἐγαμ-σα ἔγημ-α* ita ex *ἀμσω* sive *ὁμσω ὦμω* fecit, pars eandem quae in futuro *γαμ-έ-[σ]ω* obtinet rationem secuta illas litteras vocali disjunxit.

Sed etiam quod adjectivo *ὠμό-ς* respondeat Romanos retinuisse putaverim. Vocem graecam Boppius in Glossario et Benfeyus in Lexico (II, 89) cum sanscritis *áma-s* et *amá-s* contulerunt, quae crudi notionem habent. His vero latinum *am-âru-s* comparandum esse conjicio, a radice *am* ejusdem quae est in *av-âru-s* et *clâru-s* paragoges ope propagatum. Ipsa radix cum Indis aegrotum esse significet facile et ad cruditatem et ad hujus simillimam salubritatique non minus contrariam inmaturitatem et ad amaritudinem, quae saepe immaturitatis indicio est, adhiberi potuit.

Latinum *cardo* jam a Vossio (Etymolog. p. 108) cum graeco *κράδη*, *κραδάω*, *κραδαίνω* comparatum est. Quae verba quid proprie valeant, conspicitur ex diversa *κράδη* nominis significatione. *κράδαι* enim arborum cacumina sunt (Wipfel), sic dicta haud dubie quia ventis agitata vacillant i. e. *κραδαίνονται*. Praeterea autem *κράδη* machinae illius nomen fuit, quam Pollux IV, 129 in comoedia ejusdem usus fuisse dicit cujus in tragoedia *τὴν μηχανήν*. Erat autem pensilis supra scenam. Describit eandem Hesychius *ἀγγυρίς* (l. *ἀγκυρίς*), *ἐξ ἧς ἐνήπτοντο οἱ ἐν ταῖς τραγικαῖς μηχαναῖς ἐπιφαινόμενοι*, in quo quod de tragoedia dicit non congruit cum Pollucis testimonio, nec cum iis quae Plutarchus Proverb. Alexandr. Cent. II, 16 profert *κράδης ἐαγείσης · νῦν οὐχ ὁ συνὸς κλάδος, ἀλλ' ἡ ἀγκυρίς, ἀφ' ἧς οἱ ὑποκριταὶ ἐν ταῖς τραγικαῖς μηχαναῖς ἐξαρτῶνται θεοῦ μιμούμενοι ἐπιφάνειαν . . . ἐπὶ τῶν προφανέντων αἰφνιδίως καὶ ἀσχημόνως*. *ἀγκυρίς* autem cum hoc loco hamum significet, non multum sane discrepat a cardine januae, quo haec ut machina illa pensilis sic tenetur, ut circumverti et moveri possit. Itaque ab illo *κράδης ἐαγείσης* proverbio nostrum ‚mit der Thür in's Haus fallen' non multum abfuerit. Inter *card* vero et *κραδ* ea ratio est quae saepius est inter graeca et latina vocabula. Simili sane modo graeco *βραδύς* latinum *bardus*, *πράσον* porrum, *κράνος* cornus, *τρίτος* tertius respondet. Ceterum ejus notionis quae in verbis *κραδάω* et *κραδαίνω* conspicitur, vibrandi, commovendi, agitandi, nescio an vestigia remanserint in *κορδύλη* et *κόρδαξ*, quorum alterum synonymi *ξόπαλον* similem originem habuisse putaverim, alterum, lascivae et

Digitized by Google

commotioris saltationis nomen, ad illam notionem verbalem bene quadrat. Utrumque vocabulum α litterae in locum recepit ο ut βέρταχος pro βάτραχος, ὄρχαμος ab ἄρχω derivandum. Apud Romanos vero cardines non tantum januarum sunt, sed etiam caeli, qui cum Graecorum polis respondeant, quis dubitaverit, quin similiter denominati sint. ut a vertendo caeli vertices? Castrorum cardines rursus a caelestibus nomen acceperunt. Sed verbalis notionis vestigium superest in cardinibus qui temporum esse dicuntur, ut apud Plinium XVIII, 25, is enim cardinem temporum ‚quadripartitam anni distinctionem' esse dicit. Cui simile est illud Vergilianum Aen. I, 672 ‚haud tanto cessabit cardine rerum' et quod Lucanus praebet VII, 381 ubi ‚extremi cardinis annos' deprecatur. In quibus cardo nostro Schwung, Umschwung respondet, cum reliquus vocabuli usus propius absit a nostro ‚Schwinge.' Itaque cum veterem *kard* radicem utriusque linguae communem fuisse inventum sit, conjecerit forsitan aliquis ad eandem cordis et καρδίας nomen pertinere, in quo eaedem litterae radicales sunt, accepisse autem cor nomen suum a palpitando (κραδαίνεσθαι), id quod jam Etymologici Magni auctori in mentem venit ἀπὸ τοῦ κραδαίνεσθαι, τὸ κινεῖσθαι· καρδία γὰρ ἀεὶ κινεῖται. Quod quo refutetur neque in litteris neque in notione quidquam inest. Sed obstat, quod ea quae in reliquis linguis cognatis cordis nomina inveniuntur quamquam ad eandem illam *kard* radicem reduci possunt, verbum tamen graeco κραδαίνω simile quocum conjungantur non habent. Verum etiam haec difficultas fortasse solvi poterit. Id autem cum fieri non possit, quin oculi eorum, qui puritatem antiquitatis studiorum peregrinis vocabulis allatis inquinari censeant, haud parvo indicorum, slavicorum, lituanicorum vocabulorum numero offendantur, praesenti tempore omitto.

Digitized by Google

Digitized by Google

SCHOLAE PROFESSORUM ORDINARIORUM.

EX ORDINE THEOLOGICO.

Dr. *C. Lüdemann*, 1) *publico* officio seminarii homiletici studia et exercitationes moderabitur singulis diebus Jovis horis X et XI; 2) *privatim* a) theologiae practicae partem alteram explicabit quaternis p. h. diebus h. IV; b) seminarii catechetici studiis et exercitationibus praeerit singulis diebus Mercurii horis X et XI. — Vocis cantus liturgici legibus conformandae cura viro hujus artis peritissimo demandata est.

Dr. *N. Thomsen* h. t. dec., *publice* historiam ecclesiae Danicae, Slesvicensis et Holsaticae diebus Mercurii h. III—IV., diebus Saturni autem h. XI—XII. enarrabit. *Privatim* 1) historiam ecclesiae Christianae universalem per partem ejus primam quinquies h. XI—XII. tradet; 2) theologiam symbolicam comparativam diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. III—IV. exponet.

Dr. *Carolus Wieseler privatim* 1) potiora evangelii Joannei capita diebus Lunae Martis, Veneris et Saturni h. X—XI. explicabit et 2) gravissima Isaiae prophetae vaticinia diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hor. XII—I interpretabitur.

Dr. *G. Fricke privatim* 1) doctrinae dogmaticae partem I. tradet quinis diebus (omnibus d. d. praeter Saturni) h. IV., 2) epistolam ad Hebraeos datam interpretabitur ternis diebus (Martis, Jovis et Veneris) h. IX., 3) *publice* Pauli apostoli doctrinam (*Paulinischer Lehrbegriff*) delineabit binis diebus (Mercurii et Saturni) h. XII.

Digitized by Google

EX ORDINE IURIDICO.

Dr. *J. W. Planck*, acad. h. t. rector, *privatim* 1) jus criminale quinquies per hebd. hor. XI. tradet; 2) exercitationes practicas, quales in judiciis privatis hodie in usu sunt, moderabitur ternis scholis h. XII.

Dr. *Guilielmus Girtanner*, h. t. dec., 1) *privatim* Institutiones juris Romani quaternis diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IX—XI. duce libro: „*Lehrbuch der Institutionen von Th. Marezoll*, 5. *Aufl., Leipzig* 1854"; 2) *publice* historiam juris Romani privati binis diebus Mercurii et Saturni tradet h. IX—XI.; 3) exercitationes de jure hereditario singulis diebus Saturni h. XII—I. instituet.

Dr. *C. Neuner privatim* doctrinam Pandectarum senis per hebd. diebus hh. X—XII. explicabit duce libro: *Arndts' Lehrbuch der Pandekten, 2. Aufl., München* 1855.

Dr. *Guil. Ed. Wilda privatim* 1) historiam imperii ac juris Germanici enarrabit quotidie hora IX.; 2) jus publicum tradet senis p. hebd. dieb. h. X.

EX ORDINE MEDICORUM.

Dr. *W. F. G. Behn privatim* 1) zoologiam quinquies per hebd. h. XII. docebit; 2) quaternis scholis h. III. systema nervorum et organa sensuum demonstrabit.

Dr. *C. C. Th. Litzmann privatim* 1) theoriae artis obstetriciae partem II. tradet quater p. hebd. h. VIII. 2) clinicen obstetriciam moderabitur quater per hebd. h. IX.

Dr. *Aemil. F. Goetz*, h. t. dec., *privatim* 1) pathologiae et therapiae specialis partem primam docebit, sexies per hebdom. hora IX—X., 2) clinicen medicam moderabitur quotidie hora X—XII.

EX ORDINE PHILOSOPHORUM.

Dr. *H. Ratjen publice* diebus Lunae et Jovis hora pomeridiana historiam literariam juris civilis enarrabit. Bibliothecam publicam aperiet diebus horisque consuetis.

Dr. *P. W. Forchhammer privatim* 1) Aristotelis libros de Republica interpretabitur quaternis diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XII—I.; 2) Ovidii Metamorphoseon libros illustrabit binis diebus Lunae et Jovis h. XI—XII. *Publico* officio in seminario philologico interpretationi orationis Demosthenicae in Aristocratem praeerit singulis diebus Mercurii hh. XI—I.

Dr. *C. Himly* 1) chemiam theoreticam docebit et experimentis illustrabit quinquies per hebdomadem hora X—XI., 2) exercitationes chemicas practicas et analyticas et pharmaceuticas horis XI—II. sueto more in laboratorio academico instituet.

Digitized by Google

Dr. *G. Karsten privatim* 1) physicen experimentalem senis diebus hora IX. leget, 2) exercitationes physices practicas sueto more instituet, 3) geographiam physicam et geognosiam generalem bis p. h. dd. Merc. Sat. h. XII. tradet; *privatissime* sed *gratis* 4) colloquia physica moderabitur.

Dr. *H. M. Chalybaeus*, h. t. dec., ethicam (philosophiam moralem et juris) quat. dieb. h. IX. *privatim* docebit; historiam philosophiae recentioris et recentissimae ternis diebus (Martis, Jovis et Veneris) h. IV. *privatim*, et historiam systematum, quae reformationis aetate exstiterunt, *publice* d. Lunae h. IV. tradet.

Dr. *Georgius Curtius privatim* 1) litterarum Romanarum historiam tradet d. Lunae, Martis, Mercurii, Jovis h. X—XI., 2) Homeri Iliadem interpretabitur d. Lunae, Mercurii, Jovis h. IX—X., *publice* officio 3) seminarii philologici sodalibus Ciceronis Brutum interpretandum proponet reliquasque eorum exercitationes moderabitur d. Martis h. IX—X., Veneris h. IX—XI.

Dr. *Guilielmus Seelig* tradet oeconomiam politicam diebus Mart., Merc., Jov. et Ven. hora VIII., statisticam generalem diebus Mart., Merc., Jov. et Ven. hora IX. Idem de viis ferreis *publice* disseret die Jov. hora VII.

Dr. *Karolus Müllenhoff privatim* geographiam et ethnographiam veterem, duce Strabone, diebus Lunae et Martis h. III—IV., mythologiam Germanorum diebus Jovis et Veneris h. III—IV., grammaticam theodiscam ternis per hebd. dieb. et horis posthac definiendis enarrabit; *publice* exercitationes theodiscas moderari perget.

Dr. *Gustavus F. Thaulow* 1) anthropologiam et psychologiam *privatim* docebit quat. diebus hora VIII—IX.; 2) paedagogiam gymnasialem privatim leget quat. diebus hor. III—IV.; publico officio seminarii paedagogici sodalibus praecipuos libros paedagogicos proponet reliquisque exercitationibus praeerit.

PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

IURIS.

Dr. *C. Christiansen privatim* quaternis p. h. horis (X—XI) exercitationes juris civilis instituet, duce *Puchta: Lehrbuch der Pandekten; publice* binis horis (XI—XII.) de selectis juris civilis capitibus disseret.

Digitized by Google

MEDICINAE.

Dr. *F. Weber privatim* quinquies p. hebd. hor. VII. anatomiam pathologicam generalem et specialem docebit; *publice* ubi et quando id fieri poterit sectiones et inde exercitationes patholog.-histolog. instituet.

Dr. *G. P. E. Kirchner privatim* 1) organicam chemiae pharmaceuticae partem die Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. m. VIII—IX.; 2) pharmacologiae partem generalem die Mercurii h. p. XII—I. et Saturni h. m. VII—IX. docebit, 3) medicinam forensem die Martis, Jovis et Veneris h. p. XII—I. aut alia hora audituris commoda tradet; 4) demonstrationes pharmacognosticas die Lunae et Mercurii h. p. V—VII. *privatissime* instituendas offert.

Dr. *P. L. Panum* 1) *privatim* physiologiam generalem et physiologiam functionum vitae animalis sexies p. h. hora p. IV—V. docebit et experimentis illustrabit, 2) *privatim* histologiam cum exercitationibus practicis conjunctam docebit quater p. h. dieb. Martis et Veneris h. IX—X. et die Mercurii h. VIII—X., 3) *publice* physiologiam pathologicam nutritionis et mutuae connexionis functionum bis p. h. explicabit, 4) *privatissime* exercitationes chemicas medicorum moderabitur diebus Lunae et Jovis h. IX—XII. et diebus Martis, Mercurii et Veneris h. X—XII.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *E. F. Nolte privatim* hora VII—VIII. botanicen tradet, *publice* hora III—IV. d. Lun. et Jov. demonstrationes plantarum in hort. botan.

Dr. *K. W. Nitzsch* 1) de populorum principum rebus publicis disseret quater per hebd. hora XII—I., 2) medii aevi historiam adumbrabit bis per hebd. ead. hora *priv.* *Publice* exercitationes historicas semel per hebd. per horas binas instituet.

Dr. *Fridericus Harms* tradet *privatim* logicam inductivam et speculativam quaternis p. h. diebus h. V.; *publice* encyclopaediam scientiarum naturae bis p. h. hora XII.

Chr. K. F. Molbech publice de carminibus danicis medii aevi, quae vocantur „*Kæmpeviser*," die Mercurii h. VI—VIII. disseret; *privatissime* sed *gratis* exercitationes danicas diebus Lunae, Martis, Jovis hora VI—VII. solito more moderabitur.

Dr. *G. D. E. Weyer privatim* 1) calculum differentialem et integralem tradet, diebus Mercurii, Jovis et Veneris hor. pomer. VI—VII.; 2) trigonometriam et stereometriam d. Mercurii h. XI—XII., Saturni h. VI—VIII. *Publice* astronomiam exponet binis dieb. Lunae et Martis h. VI—VII.

Digitized by Google

Dr. *A. Dillmann privatim* 1) librum Jesaiae interpretabitur quinquies per hebdomadem hora posthac definienda, 2) grammaticam Arabicam docebit ter per hebd., 3) *publice* linguae Sanscritae studiosos in literis Indicis instituere perget bis per hebd.

DOCTORUM PRIVATORUM.

IURIS.

Dr. *Ernestus Friedlieb privatim* juris encyclopaediam explicabit diebus Lunae, Mercurii et Saturni h. XI—XII.; jus *privatum* Slesvicense quinis lectionibus iisque *privatis*, jus ecclesiasticum bis *privatim*, bis *publice* docebit hora posthac definienda.

MEDICINAE.

Dr. *W. H. Valentiner* historiam evolutionis ovi animalium vertebratorum et hominis binis per hebd. horis docebit.

Dr. *Th. Valentiner privatim* docebit histologiam cum exercitationibus practicis sexies per hebdomadem.

Dr. *P. Jessen publice* diebus Martis et Veneris hora IX — X. psychologiam docebit.

Dr. *F. Esmarch privatim* clinicen chirurgicam moderabitur quotidie binis horis posthac definiendis; chirurgiam docebit quotidie hora pomeridiana III—IV.; *privatissime* cursum operationum chirurgicarum instituendum offert; *publice* demonstrationes pathologicas histologicas habebit.

Dr. *Herm. Schwartz* operationes obstetricias explicabit.

Dr. *Carolus Bartels* 1) *publice* theoriam percussionis et auscultationis docebit, 2) *privatim* de morbis venereis disseret, 3) *privatissime* exercitationes practicas percussionis et auscultationis moderabitur.

Dr. *P. W. Jessen publice* diebus Lunae et Jovis hora X—XI. de historia psychiatriae et de epidemiis psychicis disseret.

Dr. *M. Claudius*, prosector, leget *privatim* 1) osteologiam et syndesmologiam c. h. ter p. h., 2) histologiam cum exercitationibus practicis sexies p. h., *publice* anatomiae topographicae partes, *privatissima* habebit de anatomia c. h.

Digitized by Google

PHILOSOPHIAE.

Dr. *P. Buttel privatim* 1) calculum integralem ter per hebd. diebus Lun., Mart., Jov. h. VIII—IX. docebit, 2) geometriam analyticam ter per hebd. diebus Merc., Ven., Sat. h. XIII—IX. tradet; 3) *publice* theoriam aequationum bis per hebd. diebus Merc. et Sat. h. IX—X. tractabit.

Dr. *G. H. Handelmann publice* diebus Mercurii et Saturni h. XII—I. rerum Anglicarum enarrabit commutationem, a. 1625—1689 factam.

LECTORES LINGUARUM ET ARTIUM MAGISTRI.

S. Lubbren, lector linguae anglicae, *publice* diebus Mercurii et Saturni h. VIII—IX. exercitationes practicas anglice scribendi et legendi instituet. *Privatissimas* scholas anglicas quotidie habendas offert.

J. A. Schwob-Dollé publice semel literaturam franco-gallicam docebit; *privatim* exercitationes gallicas instituet.

P. Guil. de Balle, publicus equitandi magister, practicas in arte equos subigendi exercitationes moderabitur atque per has scholas practicas simul theoreticas de externa forma equorum judicanda habebit.

Th. Rehbenitz, artis delineandi magister publicus, eorum, qui opera ejus uti velint, in delineandi et pingendi arte exercitationes moderabitur; item in armorum tractatione et gymnastica *M. Maack*, in saltatione *M. Wobeser-Rosenhain* operam suam pollicentur.

(L. S.)

Digitized by Google

Tabellarische Uebersicht der Vorlesungen,

nach den Stunden geordnet.

Sommerhalbjahr 1856.

Stunde	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
7—8	*Weber*, pathol. Anatomie. *Nolte*, Botanik.	*Weber*, pathol. Anatomie *Nolte*, Botanik.	*Weber*, pathol. Anatomie *Nolte*, Botanik.	*Weber*, pathol. Anatomie *Seelig*, Eisenbahnen. *Nolte*, Botanik.	*Weber*, pathol. Anatomie. *Nolte*, Botanik.	*Kirchner*, allg. Pharmacologie (7-9).
8—9	*Litzmann*, Geburtshülfe, Th. 2. *Thaulow*, Anthropologie und Psychologie. *Kirchner*, organ.-pharm Chemie. *Buttel*, Integral-Rechnung	*Litzmann*, Geburtshülfe, Th. 2. *Seelig*, Nation.-Oeconom *Thaulow*, Anthropologie und Psychologie. *Kirchner*, organ.-pharm Chemie. *Buttel*, Integral-Rechnung	*Seelig*, Nation.-Oeconom *Panum*, Histolog. (8-10). *Buttel*, analyt. Geometrie *Lubbren*, prakt Uebung. d. Engl. Sprache.	*Litzmann*, Geburtshülfe, Th. 2. *Seelig*, Nation.-Oekonom. *Thaulow*, Anthropologie und Psychologie. *Kirchner*, organ.-pharm Chemie. *Buttel*, Integral-Rechnung	*Litzmann*, Geburtshülfe, Th. 2. *Seelig*, Nation.-Oeconom. *Thaulow*, Anthropologie und Psychologie. *Kirchner*, organ.-pharm. Chemie. *Buttel*, analyt. Geometrie.	*Buttel*, anal. Geometrie. *Lubbren* prakt Uebung. d. Engl. Sprache.
9—10	*Girtanner*, Institut (9-11). *Wilda*, Deutsche Staats- u. Rechtsgeschichte. *Litzmann*, geburtsh. Klin *Götz*, spec. Pathologie u. Therapie, Th. 1. *Karsten*, Experim.-Phys. *Chalybäus*, Ethik (Moral u. Rechtsphilos.). *Curtius*, Homer's Ilias. *Panum*, med.-chem. Ueb. (9-12.)	*Fricke*, Hebraerbrief. *Girtanner*, Instit. (9-11) *Wilda*, Deutsche Staats- u. Rechtsgeschichte. *Litzmann*, geburtsh Klin *Götz*, spec. Pathol. und Therap., Th. 1. *Karsten*, Experim.-Phys *Chalybäus*, Ethik Moral u. Rechtsphilos.) *Curtius*, philol. Seminar. *Seelig*, allgem. Statistik. *Panum*, Histologie. *P. Jessen*, Psychologie.	*Girtanner*, Gesch. d. Röm Rechts (9-11). *Wilda*, Deutsche Staats- u. Rechtsgesch. *Götz*, spec. Pathologie u. Therapie, Th. 1. *Karsten*, Experim.-Phys. *Curtius*, Homer's Ilias. *Seelig*, allgem. Statistik *Buttel*, Theorie der Gleichungen.	*Fricke*, Hebräerbrief. *Girtanner*, Instit (9-11.) *Wilda*. Deutsche Staats- u Rechtsgeschichte. *Litzmann*, geburtsh. Klin *Götz*, spec. Pathologie u. Therapie, Th. 1. *Karsten*, Experim.-Phys. *Chalybäus*, Ethik (Moral u. Rechtsphilos.) *Curtius*, Homer's Ilias. *Seelig*, allgem. Statistik *Panum*, med.chem. Ueb. (9-12.)	*Fricke*, Hebräerbrief. *Girtanner*, Institut (9-11) *Wilda*. Deutsche Staats- u. Rechtsgeschichte. *Litzmann*, geburtsh. Klin *Götz*, spec Pathologie u. Therapie, Th. 1. *Karsten*, Experim.-Phys. *Chalybäus*, Ethik (Moral u. Rechtsphilos.). *Curtius*, philol. Seminar. (9-11.) *Seelig*, allgem. Statistik. *Panum*, Histologie. *C. Jessen*, Psychologie.	*Girtanner*, Gesch. d. Röm. Rechts. (9-11). *Wilda*. Deutsche Staats- u. Rechtsgeschichte. *Götz*, spec. Pathologie u. Therapie, Th. 1. *Karsten*, Experim.-Phys. *Buttel*, Theor. d. Gleich.
10—11	*Wieseler*, d vornehmsten Kapil. d. Joh. Evang. *Neuner*, Pandekt. (10-12). *Wilda*, Staatsrecht. *Götz*, med Klin. (10-12). *Himly*, theor. Chemie. *Curtius*, Röm. Literaturgeschichte. *Christiansen*, civil. Ueb. *P. W. Jessen*, üb. Gesch. d. Psychiatr. u epid Krankh.	*Wieseler*, d. vornehmsten Kapit. des Joh. Evang. *Neuner*, Pandekt. (10-12). *Wilda*, Staatsrecht. *Götz*, med. Klin. (10-12). *Himly*, theor. Chemie *Curtius*, Röm. Literaturgeschichte. *Christiansen*, civil. Ueb. *Panum*, med.-chem Ueb. (10-12).	*Lüdemann*, catech. Sem. (10-12.) *Neuner*, Pandekt (10-12). *Wilda*, Staatsrecht. *Götz*, med. Klin. (10-12) *Himly*, theor. Chemie. *Curtius*, Röm. Literaturgeschichte. *Panum*, med.-chem Ueb. (10-12).	*Lüdemann*, homil. Sem (10-12.) *Neuner*, Pandekt. (10-12.) *Wilda*, Staatsrecht *Götz*, med Klin. (10-12.) *Himly*, theor. Chemie. *Curtius*, Röm. Literaturgeschichte. *Christiansen*, civil Ueb. *P. W. Jessen*, üb Gesch. d. Psychiatr. u epid Krankh.	*Wieseler*, d. vornehmsten Kapitel d. Joh. Evang. *Neuner*, Pandekt. (10-12.) *Wilda*, Staatsrecht. *Götz*, med Klin. (10-12.) *Himly*, theor. Chemie. *Christiansen*, civil. Ueb. *Panum*, med.-chem. Ueb. (10-12.)	*Wieseler*, d. vornehmsten Kap. d. Joh. Evang. *Neuner*, Pandekt. (10-12). *Wilda*, Staatsrecht. *Götz*, med. Klin. (10-12).

Digitized by Google

Stunde	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
11—12	*Thomsen*, allgem. Kirchengesch., Th. 1. *Planck*, Criminalrecht. *Forchhammer*, Ovid. Metamorph. *Himly*, prakt. analyt. u. pharm. Ueb. (11-2.) *Friedlieb*, jur. Encyclop.	*Thomsen*, allgem. Kirchengesch., Th. 1. *Planck*, Criminalrecht. *Himly*, pract., analyt. u. pharm. Ueb. (11-2).	*Thomsen*, allg. Kirchengeschichte, Th. 1. *Planck*, Criminalrecht. *Forchhammer*, philol Sem. Demosthen. in Aristocr. (11-1.) *Himly*, prakt. analyt. u. pharm. Ueb. (11-2.) *Weyer*, Trig. u. Stereom. *Friedlieb*, jur. Encyclop.	*Thomsen*, allg. Kirchengeschichte, Th. 1. *Forchhammer*, Ovid. Metamorph. *Himly*, pract. analyt. u. pharm. Ueb. (11-2).	*Thomsen*, allg. Kirchengeschichte, Th. 1. *Planck*, Criminalrecht. *Himly*, pract. analyt. u. pharm. Ueb. (11-2).	*Thomsen*, Kirchengesch. Dänem. u. d. Herzogth. *Planck*, Criminalrecht. *Friedlieb*, jur. Encyclop.
12—1	*Wieseler*, ausgew. Stücke aus Jesaias. *Planck*, Civilproc.-Pract. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, Arist. Polit. *Nitzsch*, allgem. Verfassungsgesch.	*Wieseler*, ausgew. Stücke aus Jesaias. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, Arist. Polit *Kirchner*, ger. Medicin. *Nitzsch*, allgem. Verfassungsgesch.	*Fricke*, Paulin. Lehrbegr. *Planck*, Civilproc.-Pract. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, phil. Sem. *Karsten*, phys. Geogr. u. allg. Geognosie. *Nitzsch*, Uebers. d. Gesch. des Mittelalters. *Harms*, Encycl. d. Naturw. *Handelmann*, Gesch. d. engl. Revolution.	*Wieseler*, ausgew. Stücke aus Jesaias. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, Arist. Polit. *Kirchner*, gerichtl. Medic *Nitzsch*, allg. Verfassungsgeschichte.	*Wieseler*, ausgew. Stücke des Jesaias. *Planck*, Civilproc.-Pract. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, Arist. Polit *Kirchner*, gerichtl. Medic. *Nitzsch*, allg. Verfassungsgeschichte.	*Fricke*, Paulin. Lehrbegr. *Girtanner*, Uebungen üb. Erbrecht. *Karsten*, phys. Geogr. u. allg. Geognosie. *Nitzsch*, Uebers. d. Gesch. des Mittelalters. *Harms*, Encycl. d. Naturw. *Handelmann*, Gesch. d. engl. Revolution.
3—4	*Thomsen*, compar Symbol. *Behn*, Nervensystem und Sinnesorgane. *Ratjen*, jur. Literärgesch. *Mullenhoff*, alte Länder- u. Völkerkunde (Strabo) *Thaulow*, Gymnasialpädagogik *Nolte*, Demonstrationen. *Esmarch*, Chirurgie.	*Thomsen*, compar Symbol. *Behn*, Nervensystem und Sinnesorgane. *Müllenhoff*, alte Länder- u. Völkerkunde (Strabo). *Thaulow*, Gymnasialpädagogik. *Esmarch*, Chirurgie.	*Thomsen*, Kirchengesch. Dänem. u. d. Herzogth *Müllenhoff*, deutsche Ueb. *Esmarch*, Chirurgie.	*Thomsen*, comp. Symbolik *Behn*, Nervensystem und Sinnesorgane. *Ratjen*, jur. Literärgesch. *Mullenhoff*, deutsche Mythologie. *Thaulow*, Gymnasialpädagogik. *Nolte*, Demonstrationen. *Esmarch*, Chirurgie.	*Thomsen*, comp. Symbolik. *Behn*, Nervensystem und Sinnesorgane. *Mullenhoff*, deutsche Mythologie. *Thaulow*, Gymnasialpädagogik. *Esmarch*, Chirurgie.	*Müllenhoff*, deutsche Ueb. *Nolte*, botan. Excursionen (3-8). *Esmarch*, Chirurgie.
4—5	*Lüdemann*, prakt. Theol. Th. 2. *Fricke*, Dogmatik, Thl. 1. *Chalybäus*, Gesch. d. Philosophie im Reformationszeitalter. *Panum*, Physiologie.	*Lüdemann*, pract. Theolog. Th. 2. *Fricke*, Dogmatik, Th. 1. *Chalybäus*, Gesch. d. neuern u. neuesten Philos. *Panum*, Physiologie.	*Fricke*, Dogmatik, Thl. 1. *Panum*, Physiologie.	*Lüdemann*, pract. Theol., Th. 2. *Fricke*, Dogmatik, Thl. 1. *Chalybäus*, Gesch. d. neuern u. neuesten Philos. *Panum*, Physiologie.	*Lüdemann*, pract. Theol., Th. 2. *Fricke*, Dogmatik, Thl. 1. *Chalybäus*, Gesch. d. neuern u. neuesten Philos. *Panum*, Physiologie.	*Panum*, Physiologie.

Digitized by Google

Stunde.	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
5—6	*Kirchner*, pharmacognost Demonstrationen (5-7). *Harms*, Logik.	*Harms*, Logik.	*Kirchner*, pharmacognost. Demonstrationen.	*Harms*, Logik.	*Harms*, Logik.	
6—7	*Molbech*, dän. Sprachüb. *Weyer*, Astronomie.	*Molbech*, dän. Sprachüb. *Weyer*, Astronomie.	*Molbech*, dän. mittelalt. Volkspoesie. (6-8). *Weyer*, Diff. u. Integral-Rechnung.	*Molbech*, dän. Sprachüb. *Weyer*, Diff. u. Integral-Rechnung.	*Weyer*, Diff. u. Integral-Rechnung.	*Weyer*, Trigonometrie u. Stereometrie (6—8).

An später zu bestimmenden Tagen und Stunden:

Karsten, pract. physik. Uebungen; physikal. Colloquia. ***Müllenhoff***, deutsche Grammatik ***Thaulow***, pädagog. Seminar (Quellenkunde). ***Christiansen***, ausgewählte Abschnitte des Civilrechts von 11—12. ***Weber***, Sectionen und patholog.-histolog Uebungen ***Panum***, Physiologie der Ernährung und der Wechselwirkung der Functionen, 2 Mal wöchentlich. ***Nitzsch***, histor. Uebungen, 2 Stunden. ***Dillmann***, Erklärung des Jesaia 5 Mal, arabische Grammatik 3 Mal, Sanskrit III. Curs. 2 Mal wöchentlich. ***Friedlieb***, Schlesw. Privatrecht 5 Mal, Kirchenrecht 4 Mal wöchentlich. ***W. H. Valentiner***, Geschichte der Entwickelung aus dem Ei, 2 Mal wöchentlich. ***Th. Valentiner***, Histologie 6 Mal wöchentl. ***Esmarch***, 1) chirurg. Klinik. 2) Cursus chirurg. Operationen, 3) pathol.-histolog. Demonstrationen. ***Schwartz***, geburtshülfl. Operationen. ***Bartels***, 1) Theorie der Percussion u. Auscultation, 2) venerische Krankheiten, 3) pract. Uebungen d. Percussion u. Auscultation. ***Claudius***, 1) Osteologie u. Syndesmologie 3 Mal, 2) Histologie 6 Mal, 3) topographische Anatomie, 4) Privatissima über Anatomie. ***Schwob-Dollé***, französ. Litteratur u. Uebungen 1 Mal wöchentlich.

Digitized by Google

Digitized by Google

VERZEICHNISS

der

Behörden, Commissionen, Beamten, Institute, Lehrer und Studirenden

der Universität Kiel.

Sommersemester 1856.

KIEL.

Gedruckt bei C. F. Mohr.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. Behörden.

Curator.

Kammerherr, Obristlieutenant *H. A. F. Kauffmann*, Ritter vom Dannebrog und Dannebrogsmann, Oberdirector der Stadt Kiel, Amtmann der Aemter Kiel, Bordesholm und Cronshagen, Commissar für das Kloster Preetz und den benachbarten Gûterdistrict.

Rector.

(Rescript vom 16. Juli 1839.)

Prof. Dr. *J. J. W. Planck*, R. v. D., bis 5. März 1857.
Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen*, R. v. D. und D. M., Prorector.

Consistorium academicum plenum.

(Reglement für das academische Consistorium vom 31. Juli 1801.)

Mitglieder: Sämmtliche ordentliche Professoren.
Protocollführer: Der Syndicus.

Consistorium arctius.

(Anordnung wegen Einrichtung eines Privat- oder engern Consistorii bei der Universität Kiel vom 19. Decmber 1781. Declaration etc. vom 13. April 1792.)

Prof. Dr. *Planck*, R. v. D., als Rector.
Prof. Dr. *Thomsen*
Prof. Dr. *Girtanner*
Prof. Dr. *Götz*
Prof. Dr. *Chalybäus*
} als Decane. (Vergl. S. 8, V.)
Protocollführer: Der Syndicus.

Universitätsgericht.

Nach Verschiedenheit der Gegenstände der Rector oder das Consist. arct. oder das Consist. plenum.

Syndicus der Universität.

(Instruction für den Syndicus vom 29. August 1788.)

E. F. Christensen.

Digitized by Google

II. Academische Neben-Aemter und Commissionen.

1. Examinations-Collegium für das Convict-Examen.

(Kanzleipatent über die angeordneten Prüfungen etc. vom 3. Februar 1799; Rescript vom 15. August 1837.)

Sämmtliche ordentliche Professoren der philosophischen Facultät.

Das Convict steht unter Aufsicht des Consist. academ.

2. Commission für das Stipendium Schassianum.

(Rescript vom 13. Nov. 1804 [Chronol. Samml. 1840 Anhang] und Bekanntmachung vom 1. Dec. 1804.)

Nach § 6 der Verfügung vom 13. November 1804:

Der ordentliche Professor der Beredsamkeit Dr. *Curtius.*

Nach Rescript vom 19. Juli 1855:

Prof. Dr. *Forchhammer.*

Prof. Dr. *Thomsen.*

Prof. Dr. *Chalybäus.*

Prof. Dr. *Neuner.*

Die Stipendien werden vom Consist. academ. vergeben.

3. Commission für das Stipendium philologicum.

(Regulativ, betreffend die künftige Verwendung des Königl. philol. Stipend. vom 10. April 1810.)

Prof. Dr. *G. Curtius.*

Prof. Dr. *K. W. Nitzsch;* const.

Prof. Dr. *G. Karsten;* const. für das zweite und dritte Examen.

4. Commission für das Schulamts-Examen.

(Regulativ vom 10. April 1810, § 11; Rescript vom 8. Juli 1820; Bekanntmachung vom 6. Februar 1844.)

Die Mitglieder der vorigen Commission, ein jedesmal vom Consist. zu deputirender Professor der Theologie und ein oder zwei Professoren der Philosophie.

5. Richardi'sches Stipendium.

(Bestätigung des Stiftungsbriefes vom 6. Januar 1786 und Interpretation vom 22. März 1831.)

Wird vom Consist. academ. conferirt.

6. Herzoglich Oldenburgisches Stipendium.

(Rescripte vom 12. November 1814 und 9. Januar 1816, sowie Interpretation vom 22. März 1831.)

Wird vom Consist. academ. conferirt.

7. Administration der Convict- und Stipendiengelder.

Der Quästor.

Digitized by Google

8. Honorarienstundungs-Verein.

Geschäftsführer: Prof. Dr. *Weber.*

9. Deputirter der Universität zum Armendirectorium.

(Resolution vom 24. Mai 1793.)

Prof. Dr. *G. Karsten.*

10. Revisoren der Universitätsrechnungen.

(Instruction für den Quästor vom 17. September 1783, § 13.)

Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen.*
Prof. Dr. *J. W. Planck.*

11. Administration der Professoren-Wittwenkasse.

(Fundation vom 11. November 1785 und Instruction vom 24. Februar 1786.)

Der Quästor.

12. Bibliotheks-Commission.

(Instruction vom 18. November 1826.)

Als Bibliothekar: Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen.*
Von der theologischen Facultät: Prof. Dr. *Thomsen.*
Von der juristischen Facultät: Prof. Dr. *Wilda.*
Von der medicinischen Facultät: Prof. Dr. *Litzmann.*
Von der philosophischen Facultät: Prof. Dr. *Curtius.*

13. Spruch-Collegium.

(Rescript vom 30. Juli 1777 und Reglement vom 19. November 1783.)

Ordinarius: Prof. Dr. *J. W. Planck.*

14. Commission für die Druckschriften der Universität.

Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen.*
Prof. Dr. *P. W. Forchhammer.*
Prof. Dr. *G. Karsten.*

Digitized by Google

III. Officianten der Universität und Universitäts-Verwandte.

Quästor der Universität.

(Instruction vom 17. September 1783.)

Syndicus *E. F. Christensen*, Wasserallee No: 107.

Aedil der Universität.

(Rescript vom 27. April 1792.)

Syndicus *E. F. Christensen*, Wasserallee No. 107.

Universitäts-Copiist.

Ch. Spetmann, Sophienblatt No. 378.

Pedelle.

C. Conräder (quiesc.), kl. Kuhberg No. 223.
D. Biel, Klosterkirchhof No. 4.
H. Jäger, Wasserallee No. 107.

Auditorienwärter.

Johann Feldmann, Kattenstrasse No. 133.

Universitäts-Buchhändler: *C. G. L. v. Maack*, Schuhmacherstrasse No. 86.
Universitäts-Buchdrucker: *Mohr's* Erben, Flämischestrasse No. 33.
Universitäts-Buchbinder: *J. G. L. Castagne*, Schuhmacherstrasse No. 46.

IV. Universitäts-Institute.

1. Universitäts-Bibliothek.

Bibliothekar: Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen.*
Hülfsarbeiter: der Studirende der Philologie *Burmester.*

(Die Bibliothek befindet sich im Schlosse und ist Mittwochs und Sonnabends Nachmittags von 3—5, an den übrigen Wochentagen von 11—1 Uhr geöffnet.

2. Homiletisches Seminar.

Director: Kirchenrath Prof. Dr. *C. Lüdemann.*

(Der von den Mitgliedern des Seminars wöchentlich gehaltene, mit den kirchlichen Anzeigen im Wochenblatt vorher publicirte Gemeinde-Gottesdienst findet statt: Donnerstags von 10—11 Uhr in der Klosterkirche, die Beurtheilung der homiletischen und liturgischen Leistungen: Donnerstags von 11 Uhr an im Auditorium No. 1.

Die Bibliothek des Seminars ist in der Wohnung des Directors und steht zur Benutzung täglich offen.)

Digitized by Google

3. Katechetisches Seminar.

Director: Kirchenrath Prof. Dr. *C. Lüdemann.*

(Der von den Mitgliedern des Seminars einer Abtheilung von Knaben aus den Oberklassen der Freischule wöchentlich ertheilte Religionsunterricht findet statt: Mittwochs von 10—11 Uhr im Audit. No. 1, die Beurtheilung der katechetischen Leistungen Mittwochs von 11 Uhr an.)

4. Anatomisches Theater und Museum.

Director: Prof. Dr. *W. F. G. Behn.*
Prosector: Dr. *Claudius.*

5. Physiologisches Laboratorium.

Director: Prof. Dr. *P. L. Panum.*

6. Pathologische Klinik im academischen Krankenhause.

Vorsteher: Prof. Dr. *E. F. Götz.*
Assistenzarzt: Dr. *A. Ritter.*
Rechnungsführer: Secretair *M. Bartel.*
Oeconom: *F. Rath.*

(Die Klinik wird von 11—1 Uhr gehalten.)

7. Chirurgische Klinik im Friedrichshospitale.

Interimistischer Vorsteher: Dr. *F. Esmarch.*
Assistenzarzt: Dr. *Thaden.*
Rechnungsführer: Secretair *M. Bartel.*
Oeconom: *H. J. Hancke.*

(Die Klinik wird von 8—10 Uhr Morgens gehalten.)

8. Geburtshülfliche Klinik in der Hebammenanstalt und dem Entbindungshause.

Vorsteher: Prof. Dr. *C. C. Th. Litzmann.*
Assistenzarzt: Dr. *H. Schwartz.*
Oberhebamme: *M. C. Schwarz.*

(Die Klinik wird von 10—11 Uhr Morgens gehalten.)

9. Philologisches Seminar.

Director: Prof. Dr. *G. Curtius.*

10. Münz- und Kunst-Sammlung.

Vorsteher: Prof. Dr. *P. W. Forchhammer.*

Digitized by Google

11. Pädagogisches Seminar.

Director: Prof. Dr. *G. Thaulow.*

(Montags von 8—10 Uhr im Auditorium No. 3.)

12. Zoologisches Museum.

Director: Prof. Dr. *W. F. G. Behn.*
Assistent: Stud. *Rudolphi.*

13. Botanischer Garten.

Director: Prof. Dr. *E. F. Nolte.*
Rechnungsführer: Der Quästor.
Gärtner: *C. Dahle.*

(Der botanische Garten ist im Sommer für Studirende an allen Wochentagen von 7—12 und 1—7 Uhr geöffnet. Für das Publicum ist der Garten vom Juni bis September Dienstags und Freitags Nachmittags von 4—7 Uhr zugänglich.)

Quae distributio etsi superstructa est theologiae reliquarumque doctrinarum divortio, cui, fucoso quippe honori, nemo homo habet cur praefactius obloquatur quam ipse theologus, et quamquam innititur haec dispositio psychologiae nunc quidem si nondum explosae, at certe explodendae: eatenus tamen rem acu tetigisse censenda est, quod et animi ursit unitatem nativam, ne litteratis quidem studiis dilacerandam, et ipsam doctrinarum dispositionem repeti voluit ab animi qui scientiae operam navat, facultate varia.

Nimirum res ita sese habere videtur. Omne quo natura ardemus studium cognoscendi, sive vulgare est, sive doctum et absconditum, inde opinor trahit originem, quod quum omnibus innatus sit semet ipsos servandi ampliandique impetus, *deficiente* scientia nequimus neque tueri animi harmoniam vel unitatem nativam nec vires nobis inditas exercitare. Atqui attendite quaeso, Auditt., quid inde consequens esse putetis ad ipsius scientiae dispositionem. Sicut enim animi illa unitas nativa e regione varietatis rerum naturalium non poterit ne intelligi quidem, nisi relata fuerit ad summi numinis qualecunque cogitaveris *unitatem*, permeantem quippe vita sua

Digitized by Google

singula quaeque eoque redigentem hanc quam oculis cernimus rerum varietatem in universitatem quandam bene ordinatam nobisque congruam: ita in hac rerum seu universitate seu unitate non poterat credo, animus humanus, impulsus ad cognoscendum, in doctrinarum incidere diversitatem *veram* aliquam, nisi diverso quodam impulsu, qui in ipso animo quamvis indissolubili, deprehendatur. Sunt autem duo in quovis animo motus primarii: alter introrsum versus, alter foras tendens vel ut dicere licebit, extrorsum. Altera est animi reversio ex *intuendo*, qui omnium cognoscendi actuum, ubi recte fuerint excussi, semper primus fuisse reperietur. Est igitur quasi *immersio* animi in semet ipsum. Altera vero est *progressio* animi vel *emersio* e semet ipso, et conversa est in res circumpositas seu in *naturam* circumvenientem. Quae quidem duplex animi directio penitus omnibus nativa, quamquam tantum abest, ut altera *sine* altera stare possit, ut expetat altera alteram, impleat, corrigat; tamen in ipsorum animorum sociandorum seseque mutuo supplendorum gratiam, praevalet, in aliis aliter, altera alteri. Fert enim ipsa natura, ut alii in omnibus, quaecunque agant, *foras* magis ferantur, alii magis *introrsum*: *reales*, quos barbare vocant, homines illi, *contemplativi* alteri. Atque *ita*, Auditt., usuvenisse censendum est, ut cum in omni animorum efficacite, tum maxime in cognoscendo et vero etiam in docte i. e. principiis convenienter cognoscendo binae in lucem prodirent litterae primariae nec plus binae: alterae, quae purae putae *introrsum* essent conversae etiamsi interdum ad extima quaeque pertinere viderentur; quas „*mentis disciplinas*" recte nuncupaveris: alterae quae eadem virium intentione *foras* ferrentur et ad res pertinerent extra positas *ut externas;* quas recte insigniveris „*doctrinas naturae.*" Duae ergo constituuntur disciplinae principales: *mentis* altera, altera *naturae.*

Longum est, Auditt., et esset abuti patientia Vestra, si singillatim nunc persequi in animo esset utriusque hujus disciplinae partes singulas. Sin minus, facile esset ostensu, qua ratione secundum idem illud, unde progressi sumus, principium mentis quidem disciplinae succrescerent ex altera parte *philosophia*, ex altera *theologia* et *juris scientia:* e quibus disciplinis quantumvis praecipue inter se copulatis, nulla tamen non est habenda *sui* Martis. Mentis vero disciplinis ad amussim respondere reperirentur intra *naturae* doctrinarum gyrum, ex altera parte „doctrinae *naturales*" mente dictae angustiore, ex altera ars *medica;* quae utraque disciplina etsi ad naturam investigandam pertinere videretur pariter, tamen ipsa quoque probe inveniretur distinguenda. Idem ego nullo arbitror negotio in clara luce posse collocari et methodum, quam vocant, quamquam in omnibus disciplinis, quod videam, necessario est *inductiva*, diversam tamen esse pro ipsa re nata in utraque disciplina primaria, et omnes denique disciplinas vel minimas in eadem illa contineri partitione.

Sed missa nunc facienda haec omnia. Hoc unum ubi effecisse videbor, satis habebo, unum per universas litteras spirare animum: per *mentis* quippe quasi corpus indissolubile, idque ex ipsa litterarum indole vel quod eodem redit, ex ipsa ordinatione

Digitized by Google

divina. Videlicet si vera sunt, quae disseruimus, ei demum fas erit litterarum inter se necessitudinem vel vilipendere vel non habere sacrosanctam, qui animum unquam vidisse sibi visus sit et bene valentem nec moribundum, qui non ferri soleat nisi foras, aut qui nolit tendere nisi introrsum.

Quin immo quae litterarum natura est, aegrotent necesse est moribunde, ubi mutua correctione et fecunditate fuerint orbatae. Et quod de litteris valet, idem de personis litterarum studio deditis.

Sunt ista, Auditt. Quid vero arbitramini? An supervacaneum Vobis videbitur, redintegrasse hujus rei memoriam? An eam esse judicabimus aetatis hujus adversionem, ut primo postremo singularum hanc disciplinarum curet unitatem? Non credo equidem. Quin ea mihi videtur aetatis nostrae esse inclinatio, ut non tam vergat ad litterarum vicissitudinem vel corroborandam vel fecundandam, quam ad separationem dissociationem abalienationem.

Nimirum ita sponte tulisse videtur ipse temporum progressus. Quum enim pristinis olim temporibus res docte excutiendae universe tantum tractarentur et sine disquisitione fere subtiliore: exortum est, ipsa litterarum condicione ita poscente, inde potissimum a seculo superiore studium aliquod pervestigandi omnia subtilius, exquirendi, rimandi, quod polyhistoriae quam vocant tempora et clauderet et intercluderet, ambitum omnium doctrinarum in immensum paene augeret, non tantum Leibnitianae eruditionis abundantiam nullis prope finibus circumscriptam, verum etiam Humboldtianae doctrinae copiam, intra unius ejusdemque disciplinae gyrum quamquam inclusam, praefracte interciperet adeoque omni posteritati quamvis ingeniosissimae interdiceret. Est enim absconditae certe eruditionis ratio jam haec, ut vix singuli in singulis singularum doctrinarum partibus feliciter viderentur posse elaborare nisi summa omnium virium contentione. Praeterierunt scilicet generalium doctrinarum tempora, quatenus singulis rebus eruendis serviant: illuxit vero et nunc ipsum vivitur doctrinarum aetas singularium, in dies adauctarum et in orbem contractarum angustiorem.

Nec est, Auditt., cur hoc per se spectatum aut deplorandum videatur aut praesidiis nescio quibus cohibendum. E contrario ut missum faciamus, quod solis luce est clarius, et necessario tandem rem eo devenisse pro rerum infinitate mentisque humanae circumscriptione, et plurimos fructus eosque saluberrimos vitae doctrinae, cunctis singulis, animis corporibus, civitati ecclesiae enatos inde esse; — hoc igitur ut missum faciamus: penitus cohaerere censenda est haec singulorum quorumque inquisitio cum universa illa uniuscujusque sive rei sive personae aestimatione, cujus dignitatem frustra sunt qui exstirpare conentur aut intercipere. Agit enim haec omnium rerum separatio et quasi individuatio radices suas extremas in ipsius Protestantismi „fide *speciali*.“ Protestanticae individui cujusque aestimationi si non soli at potissime certe et principaliter est accepta referenda, quamquam hujus rei memoriam oblivione fere obruimus; nec casu evenit, ut Protestantici primi viri, Baco ille Anglicus

Digitized by Google

et Leibnitius, vir immortalis memoriae Germanicus, qui plurimum abest, ut vitam suam jam „evitaverit," principium istud *individui* commendarent ac paene inculcarent.

Verumenimvero quum inde nihil esset consequens, nisi partim ut unusquisque intra suum se orbem contineret et ex suo loco litterarum universitatem lustraret, observaret, prosequeretur, partim vero nec minus, ut summo studio circumspiceret, de fundamento omnium litterarum communi ne detruderetur neve societatis cum reliquis doctrinis expers evaderet: non tam justa haec quod videam litterarum dispositio plerumque nunc colitur sed dissociatio quaedam doctrinarum, invasit gymnasia, obsedit academias, infuscat litteratum commercium.

Et gymnasia quidem — de scholis elementariis quas vocant earumque seminariis ut hic taceam — ecquis est, Auditt., nisi praestrictis paene oculis, qui inficietur, inundata ea esse et quasi obruta rerum, quarum in iis est disciplina, varietate et abundantia? Quis est obsecro, cui occasio fuerit data vel observandi discipulos prae rebis onorose oggestis ingemiscentes vel examinandi adolescentes prae doctrina varia in nulla fere doctrina non indoctos: — quis est, inquam, qui hujus rei vel nonnullam contraxerit notitiam, quin ipse quoque abripiatur in commonitionem illam altiore in dies voce ab ipsis scholarum magistris et nuperrime demum etiam Stuttgardtiae exauditam: „Cavete jam Vos, qui puerorum et adolescentium studia Vestris consiliis moderamini, ne mentes animique nimia variarum rerum mole obruantur. Hoc enim ubi fit, non aluntur, sed macerantur; non corroberantur, sed debilitantur; non ad justam sanitatem convalescunt, sed mature marcescunt viribusque deficiunt; denique non nativam vim suam libertatemque tuentur, sed veluti omissa propria virtute, cuilibet servituti mentis, voluntatis, ingenii mancipantur."

Non est meum, Auditt., ut quem reum agam, nec duntaxat cogito de nostrismet ipsorum gymnasiis. Res latius patet. Ipsa litterarum vitaeque amplificatio, in ordinem nondum redacta, deduxit nos ubique fere in ancipitem istum et periculosum locum; nec fugit me, quae modo dicta sint, esse illa quidem dicta nobismet omnibus, quotquot doctorum nomen munusque gerimus. Atvero hoc ipso nomine nostrum est, ut vigilemus, ne nostram ipsorum causam deseruisse videamur. Haec enim cum maxime agitur. Nec reor periculosiorem usquam esse hanc pestem dissolutionis per scholas fere grassantem, quam in Gymnasiorum ludis litterariis: quippe qui et medium ideoque lubricum locum teneant inter doctam et non doctam institutionem, et universae eruditionis varietatem quodam modo ne possint quidem *non* amplecti, et praeparare debeant adolescentes ad interiorem doctrinam totius academiae oppido profecto variam. Quo magno et honorifico munere plane mihi persuasum est non esse futurum, ut bene fungantur gymnasia, nisi emerserint rursus et penitus e fluctuatione inter pristinum ipsorum fundamentum litteraturae quam vocant classicae et inter recentiorum doctrinarum cultum undique jam commendatum. Cuique disciplinae suus honos nec possunt aut debent hodie exeludi litterae recenti demum memoria enatae. At

Digitized by Google

in Gymnasiis quae non in eo est, ut suomet ipsorum gladio se jugulent, nemini cuiquam debet dubium esse, quin omnibus reliquis posthabitis, in classicis studiis quasi habitent, et antiquitatis studia atque humanitatis, omnis suae vitae locum habeant *medium*, qui reliqua omnia connectat quasi et colligat. Itemque extra omnem reor dubitationem debet positum esse, quin nulli singulae doctrinae academicae praecipue inserviant gymnasia — ne philologiae quidem mente angustiore dictae, quae ab humanitatis studiis probe est distinguenda — sed omnibus doctrinis pariter viam muniant, per academiam aliquando continuandis et quasi sublimandis. Est autem nulla academiae disciplina, vere docta, quae humanitatis optimarumque artium fundamento non habeat opus. Nulla nempe doctrina hanc sibi plagam inflixerit, ut se exterminari pateretur e totius humanitatis inde ab antiquissimis temporibus ductae continuatione et communitate. Quorum ubi rata erit ratio, non poterunt gymnasia non facere missam aut non procul a se defendere eorum quoque procurationem singularem, quae ad studia humanitatis proxime non pertineant nec ad genuinam interioris doctrinae praeparationem, sed rebus quotidianis, operibus illiberalibus, negotiis mercenariis vel pecuniariis, „*realibus*," ut uno verbo dicam inserviant quaeque vulgaribus vitae etsi non illitteratae, tamen non doctae necessitatibus sint mancipata. Nimirum relinquenda est „realis" ista eruditio aliis scholis in hanc ipsam rem ex hoc ipso loco aut conditis aut condendis. Nam aliter, ut recte ait jam Cicero, ex ipsis radicibus *aliter* omnes artes ab iis tractantur, qui eas ad usus transferunt; aliter ab iis, qui ipsarum artium tractatu delectati, nihil in vita aliud sunt acturi. In ejusmodi autem rebus opes nunquam debent non esse in promptu. Cedendum certe iis nunquam est.

Sic demum existimo, Auditt., futurum esse, ut adolescentes in academiae civitatem adscripti, collectos nobis et illibatos afferant animos: illibatos a stupido fervore sui tantum ordinis studia inde ab initio colendi; collectos vero ab elumbi litterariae quoque varietatis distractione. In eam enim per ipsa humanitatis studia adducti jam erunt consuetudinem, ut et maximi ducant studiorum communicationem nec unquam studia quam libet varia velint exercere nisi ex uno loco profecti et ad unum locum usque recurrentes. Qui quidem studiorum locus medius non potest profecto nec debet idem semper manere, quem praeparandi ergo disciplina gymnica ostenderat aliquamdiu et commendaverat; immo primis academiae stationibus superatis, ex isto medio loco auferatur oportet per singularem, cui quisque vitam dicavit, doctrinam, minima maxima quaeque ad se rapientem. Atqui ne urgeamus, quod quaevis cujusque ordinis disciplina, quamvis recentissime demum in lucem prolata, sua tamen habet antiquitatis studia, superstruenda studiis antiquitatis generalioribus in schola aliquando exercitatis: manebit sponte opinor genuinus ille humanitatis *tenor*, qui alte in animum a puero demersus fuit, ultro propellet ad altiora studia etiam humanitatis, nec admittet unquam, ut qui operam navent litteris, aut de medio *suae* doctrinae loco demoveantur et in

Digitized by Google

cassum currant, aut suo se solitario studio mancipent, litterarum se invicem collustrantium non tam cultores ingenui quam operarii illiberales.

Atvero in hoc ipso, Auditt., quantum omnes nunc fere laborent etiam academiae, neminem Vestrum existimo praeteriisse. Quid enim? Annon una est et crusentiens querimonia, de omnibus prope academiis nunc exaudita, negligi, vilipendi, nauci haberi ab iis, quorum non est singulare studium, ea potissimum studia, penes quae vel maxime est, ut servetur doctrinarum societas et communicatio? *Antiquitatis* primum dico et *historiae* studia; quae ipsa quoque gymnasii curriculo vel rite vel raptim vel — non emenso, a bene multis, praesertim de juris scientiae, artis medicae et doctrinarum naturalium studiosis longe et retro poni conqueruntur, ita ut plurimi in cursu academico vel oblivione oblitterent, quae scholae aliquando accepta tulerint.

Verum imprimis mihi ob oculos versatur ejus disciplinae cultura, quae sponte solet enasci ex interiore bonarum artium studio quaque nulla plus refert ad litterarum societatem sustentandam. *Sapientiae* dico sive *philosophiae* studium. Quod quantopere nunc jaceat in plerisque omnibus academiis, in vulgari prope luce est positum.

Sunt quidem, iique viri optimi, qui id ipsum non tam dolendum ducant aut impugnandum, quam ex ipsa doctrinarum amplitudine adeoque natura necessario arbitrentur ita evenisse. Hanc enim ajunt ita ferre, ut quaevis disciplina ubi sui Martis fuerit reddita, suas nanciscatur disciplinas etiam praeparantes: veluti theologia linguarum eruditionem ad aperiundos revelationis fontes necessariam et historiam religionum, quae veritatis christianae patefactionem vel antegressae sint vel comitatae; juris porro scientia ipsius juris et universam historiam; naturae doctrina mathematicam, ars denique medica doctrinam chemicam, physicam, botanicam, alia. Et habet haec sententia, Auditt., quo commendetur maximopere; praesertim quum studia valdequam per se spatiosa in breve ita cogi et suismet ipsorum limitibus quasi postliminio restitui videantur. Nec potest dubitari, quin in academia quidem quantum fieri possit maturissime sint advertendi animi ad eam ipsam disciplinam, cui vitam dedere consultum duxerint. Mature enim in ea reponi et quasi sedem debent figere domesticam. Sedenimvero ut alia aliter ad philosophiam se habeat disciplina: quadruplex quiddam, nemini viro erudito quod sentiam non necessarium, istae quidem disciplinae praeparantes *non* suppeditant: directionem rationis ad ultima quaeque principia eruenda; methodi quam dicunt, mentem *consciam;* animum in minimis singulisve totum semper amplexantem; et mentem in rebus utcunque externis internae rationis nunquam immemorem. Quae quid sibi velint quantique facienda sint, sponte intelligitis pro sapientia Vestra; sed haec ipsa non parari, quatenus omnino repeti queant a docta aliqua institutione, nisi per studium philosophiae academice certe subactum, uti in re ipsa vitaeque experientia situm est, ita mihi quidem penitus persuasum. Quod vero temporis officere ajunt angustias: rebus necessariis nunquam deest tempus nisi nostra

Digitized by Google

culpa et in nostram noxam: ac si qui adolescens vere ardet ad disciplinam sui ordinis intus pro viribus suscipiendam, non retardabitur studio philosophiae, sed provehetur, et nullo negotio reperiet, quo philosopha quoque studia in suaemet potissimum disciplinae usum transferenda sint.

Sed ne patiamur, Auditt., fucum nobis fieri, ne a nobismet ipsis quidem. Tantum enim abest, ut inita quadam subductave ratione haec temporis nostri a philosophis studiis alienatio proficiscatur, ut a causis aliquibus fortuitis ideoque temporariis repetunda videatur. Defagitati videlicet sunt animi de nimia ut videtur ingeniorum contentione, qua philosophia a priore inde seculo exeunte ante haec nonnulla decennia ingeniosissimos quosque per Germaniam potissimum intenderat. Exposcunt sibi relaxationem ex abstrusis philosophiae quas dicunt hallucinationibus, quibus tunc perturbatas potius esse per philosophiam quam adjutas dictitant observationis maxime, historiae, revelationis disciplinas. Nec sine omni causa ista quidem reprehensio, quamquam acerbius fere quam temperatius nunc ita judicant et multis jam in consuetudinem videtur venire, ut malignam nescioquam aetati philosophorum illustrissimae caliginem offundant, nulla paene in his rebus collocata opera nec judicio uti videntur rite cohibito in re non satis ponderata. Quos enim carpunt philosophos, familiarum philosophiae recentioris conditores, etsi persaepe et in permagnis rebus a vero aberrasse judicandi sunt, propagarunt tamen iidem ad posteritatis memoriam ingenii Germani monumenta, quae adeo in erroribus, quibus deformentur, nunc quoque sint admonitricia et fructuosa, nec unquam futurum est, ut e generis humani, nedum Germani eruditione prorsus aut eliminentur aut debeant eliminari. Altissime enim sese insinuarunt in optimorum quorumque animos: id quod nec casu solet nec frustra usuvenire. Verum magna jam habenda est cautio, Auditt., ne ex admiratione monumentorum illorum nuper nimia, intemperato jam judicio in nimiam eorum excidisse videamur contemtionem. Quorum utrum magis obsit veritati, haud difficile erit dijudicatu. Si vero aliter: abusio non tollit usum nec eadem hodie philosophandi ratio. Nunquam autem satis potui demirari, cur si quae litterae per alias conturbatae esse videantur id harum potius pesti quam suaemet ipsarum infirmitati aut incuriae maluerint impertire: quum sui sint Martis, suae rationis, suae defensionis. Scilicet ne haec quidem ratio ultima. Sed aegrotat, censeo, hujus temporis et vita et doctrina, fuga quadam sine ulla retractatione morbosa, non tantum a notionibus falso abstractis, sed ab omni contemplatione et interiore suimet ipsius collectione. Foras omnia fere conversa: quae hisce oculis cerni et hisce manibus contrectari queunt, quorumque *usus* sponte et illico in oculos incurrit: ista quidem valent, ista conquirüntur, curantur, intelliguntur; quaeque huic animorum impetui inservire videntur disciplinae, hae fere florent, hae exornantur, hae adjuvantur. Enimvero vix ulla unquam fuit aetas, quae studiorum contemplativorum vel minus fuerit amans, vel magis fuerit egens. Nam ut mens *nihil* sine natura: ita natura *nihil* sine mente. Mutuo se quaerunt, ponunt, una demum vivunt vitaliter.

Digitized by Google

Altera sine altera, sive re fuerint disjunctae sive doctrina, marcescat necesse est et degeneret. Quod utinam aetas haec, externarum rerum procuratrix sedulissima, oblivione nunquam obruat: historia quidem ratum habebit haud dubie.

Nec desunt, Auditt., indicia. In academiis quidem humanitatis studia et philosophiae quum langueant, multos a nonnullo jam tempore cives habemus, qui studiorum aetate quamquam aequales, in iisdem cauponulis fortasse vel comissationibus et deambulationibus adierint se et noverint: nunquam tamen vel perraro in iisdem auditoriis, in iisdem *animorum* epulis. Quid ergo mirum, Auditt., quod academicorum haec studiorum dissociatio persentisci jam occipitur in doctrinae commercio etiam reconditioris? Quae enim agitantur nunc pugnae, altercationes, perturbationes litterarum: pertinent illae satis magnam partem ad confinia singularium litterarum limina, veluti quaestio per omnium ora nunc volitans de materialismo; — in quibus quaestionibus ut rite distinguatur quid quaevis sibi velit vel quo pertineat, ad experientiae doctrinas an ad contemplationis, an alio nescio quo, magna saepe opus est eruditione — aut pertinent ad quaestiones omnino interiores, quas nisi animis per studia humanissima quaeque expolitis, nunquam credo enodatum iri. Hisce certe oculis non poterunt discerni. Atvero studiis communibus deficientibus eorumque conscientia gradatim evanescente, nihil omnino habet admirationis, quod in theologia, in juris scientia, in arte medica, in astronomia, imprimis vero in doctrinis naturalibus, talia nunc in lucem projiciuntur opinionum portenta, qualia in hac litterarum luce, in hoc studiorum cultu, in hac eruditionis frequentia vidisse, aliquando vix erit credibile. Dediscimus enim sensim pedetentimque ut respectare nos sic intelligere et ingravescat in dies haec confusio necesse est, nisi omnes omnem suo quisque loco lapidem moverimus, ut litterarum humanarum studium ab omnibus omnium ordinum studiosis redintegraretur animisque recluderetur rursus aut servaretur necessitudinis, qua sociantur litterae, sacrarium.

Sed manum de tabula. Vel ita enim vereor, Auditt., ne justo diutius Vos demoratus sim. Quod condonetis quaeso vel rei ponderi vel studio meo. Quam exorsi sumus telam, pertexuisse videmur. Exhaurire rem ne voluntas quidem fuit. Sin minus, illud quidem egomet omnium minime, praesertim hac nostra memoria, silentio debebam praeterire, tantodem amicius interiusque sociatum iri litteras, quanto altius radices egerint ad unam omnes in una consentientique christianae veritatis agnitione. Hac enim veritate nihil quidquam nec socialius nec interius nec firmius.

Deus autem Optimus Maximus ut sospitet precamur hanc quoque sedem litterarum, semper genuinam spero earum *universitatem*. Ita enim non dicis causa *universi* sed viva quasi quaedam verae societatis effigies deum hodie implorabimus, ut regem nobis natum gratia Sua ditet, ductet, servet, fortunet. — Dixi.

Digitized by Google

1856. VII.
IUR. I.

DE ORIGINE ET NATURA EORUM QUAE APUD VETERES ROMANOS PER AES ET LIBRAM FIEBANT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE ILLUSTRIS IURE CONSULTORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIBUS RITE OBTINENDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ADAMUS VOEGE
LUTTERBECKIENSIS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR.
MDCCCLVI.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *G. Girtanner*,
h. t. Decanus.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Est omnino in jure res difficilis, explicare et describere ea, quae usque ex ultima delata antiquitate licet etiamtum in usu fuerint, quum jam viguerit juris scientia, ita tamen plerumque propter vicissitudines rerum immutata progredientibus aetatibus inveniuntur, ut qualem quando quibus ex causis originem sumpserint quaeque principio eorum natura fuerit, oblivione obrutum ad liquidum perduci non possit. Neque in jure Romano aliter se res habet. Sane excoluerunt Romani mature admodum eam, qua omnibus antecelluerunt, artem, juris scientiam. Verum non fuit Romanorum, id quod neminem fugisse arbitror, minime vero classicorum, quos vocant, juris consultorum, in antiquitatem investigandam illustrandamque quum multum conferre laboris, tum ingenium praestans: pessima sane ratione versati sunt in ea arte, quum Graeco vocabulo etymologiam vocamus, quae ars in antiquitatibus atque rebus temporis longitudine involutis tractandis merito utilissima habetur plurimumque valet ad adumbranda, cognoscenda, intelligenda ea, quorum e vitae usu jamdiu sublatorum mortua est in hominibus memoria. At nostrae antiquissimarum Romanarum rerum cognitioni maxime obstat, quod remotiorum fere omnia, plurima posteriorum auctorum scripta iniquitate temporum perdita ad nos aut omnino non pervenerunt, aut ita mutila et corrupta, ut frustra in eruendis recognoscendisque veris ipsius scriptoris verbis atque sententiis hominum eruditissimorum opera consumatur.

Digitized by Google

Itaque mirandum non est, eam quoque rem, quam mihi tractandam sumpsi, quum praesertim, ut inter omnes constat, non modo antiquitus, verum etiam imperatorum aevo principem quendam in jure Romano locum obtinuerit, tamen quum veri similiter ipsis rei Romanae primordiis, certe non ita multo post orta, in jure autem, quod Justinianus imperator promulgavit, sublata sit, propter veterum testimoniorum inopiam cognitionem habere et explicationem difficillimam. Quam ob causam quum nostra aetate plurimi viri magnis et sagacissimis ingeniis praediti doctissimique huic rei explorandae operam navaverint maximam — quippe oblectationem habet non parvam ipsa rerum tum magnarum, tum etiam occultarum indagatio —, gravissimae inter illos exstiterunt controversiae et dissensiones. Attigerunt eandem praeter ceteros Niebuhrius in historia Romana, Puchta, Christiansenius, Schillingius in institutionibus suis, Walter, Christiansenius, Danzius in historiis, quas composuerunt, juris Romani, Savignius vero, Car. Sellius, Bachofenius, Huschkius de eadem vel de parte libros conscripserunt. [1]) *Post haec tam multa a tot viris illustribus in varias partes disserta ad hanc eandem materiam aggressus in rebus aut novum aut certius aliquid juvenem me allaturum paene desperabam, nec essem ausus lubricam ingredi viam et arduam, nisi praemio invitatus allectusque in hac academia Christiana-Albertina exposito. Quae viri illi de re proposita senserint, ea referre copiosius ac diligenter attenteque examinare, quum huic commentationi angustiores circumscripserit terminos, instituti mei ratio non permittit; breviter indicare satis habeo.*

[1]) *Savigny, über das altröm. Schuldrecht. Bachofen, das Nexum, die Nexi und die* lex Petilia. C. Sell, de juris Rom. nexo et mancipio. *Huschke, das Recht des* nexum *und das alte röm. Schuldrecht.*

Digitized by Google

§ 1.

Mihi in animo est, de origine scribere et natura eorum, quae apud veteres Romanos per aes et libram agebantur. Apud antiquissimos Romanos pleraque comperimus vel omnia fere negotia ad juris privati rationem aliquo modo pertinentia, quae quidem non minime essent momenti, per aes et libram facta esse, eam consuetudinem viguisse, dum libera fuit respublica, mansisse imperatorum aetate, nec prius quam ab imperatore Justiniano, quum jam Romanum non esset, sed Graecum imperium, penitus esse sublatam. Hujus rei causam rationemque quaerentibus hoc fieri non potest quin nobis in mentem occurrat, olim quum neque argenteam neque auream haberet pecuniam necdum aere signato usum esse aere rudi populum Romanum, quod quum alia ejus solvendi non esset copia, appenderetur: nec illico, quum a Servio Tullio rege pecudum notis aes esset signatum, pondusque et cum pondere pretium indicatum, libram fuisse supervacaneam, propterea tum quod signatum aes, initio praesertim, non sufficeret, tum quod pondere assium saepius mutato quum eadem nota signati diversa quum pondera tum pretia habentes simul in usu essent, qua forma essent percussi non facile oculorum obtutu dignosceretur, tum denique quod etiam finitimarum civitatum nummis procul dubio Romani uterentur, ita ut Gajus aereorum nummorum vim et potestatem non in numero, sed in pondere fuisse non dubitet affirmare. Et aerea quidem pecunia tamdiu usus est populus Romanus, quamdiu mediae, quam hodie vocant, Italiae finibus imperium continebatur, cui postquam Pyrrho rege devicto magna accessit Graecia, a. u. 485, quinque annis ante primum bellum Punicum, argenteos coeperunt nummos cudere, quibus mox aurei accesserunt. Per totum illud tempus quotiens pecuniae summa non minima solvenda erat, libra adhiberetur necesse videbatur. Quod et compluria verba, ut dispensatores, expensa, expensilatio, compendium, dispendium, impendia, dependere, libripendes (militum stipis ponderandae pensatores) testantur, et veteres auctores semel et saepius affirmant. [2])

Hanc ob causam quotiens negotium gerebatur, cui pecuniae interveniebat solutio, ab eo negotio, si quidem id ageretur, ut non referretur ad futurum tempus, sed

[2]) Agunt de hac re nummaria et de ratione per trutinam solvendi Plin. H. N. XXXIII., 3. Varro, de L. L. V., 169—174, 177, 182, 183. Gaj. I., 122. Isidor. orig. XVI., 17—19, 24.

Digitized by Google

statim conficeretur, aes pecuniae vice fungens abesse non poterat, sed pluribus casibus libra quoque necessario accedebat. Inde consequens erat, ut emptio venditio, cujus in pecunia omnis vis et potestas est, aes et libram postularet, si ipsa consensu perfecta partes pretium repraesentari intenderent. Atqui quae fuit veterum Romanorum in negotiis contrahendis summa et quasi morosa quaedam cautio circumspectioque, mentibus nostris anticipare possumus, eos consentientes de re emenda vendendaque curavisse, ut res empta emptori, venditori pretium statim traderetur. Patet porro nec mutuae pecuniae dationem sine aere et libra bene potuisse procedere. Ea vero negotia, quae nec requirunt nec recipiunt pecuniam, nec aes et libram requirebant. Et quum argento signato pecunia numero constaret ideoque adnumeraretur, nec amplius eam appendere attineret, necessaria esse aes et libra jam omni ex parte desierant. Nihilominus etiam posthac multa per aes et libram facta esse animadvertimus. Nam praeterquam quod etiam Gaji temporibus quibusdam in causis obligationes solutione per aes et libram tollebantur, iis adhibitis mancipationum peragebantur solennia, quarum in jure Romano usus fuit frequentissimus et magni momenti. Ac per mancipationem fiebant quarundam rerum permutatio et donatio et dotis constitutio, quibus in negotiis pecunia non interveniente aere et libra nullo tempore opus fuisse satis apparet. Similiter se res habebat in earundem rerum a pristinis dominis ad novos faciendis translationibus ex causa transactionis vel solutionis, quae eadem mancipatione fiebant.

Haec sufficiant, quare intelligatur, aere et libra Romanos etiam praeter necessitatem in negotiis gerendis usos fuisse, verique simile vel fere certum redditur, ea solennem quandam rei, quae ageretur, formam praebuisse. Et multis rebus apparebit, illam dictionem proprio quodam sensu receptam fuisse, non generatim de omni aeris sive pecuniae aereae pensione usitatam. Verumtamen dubium fere videri nequit, quin solennis illius formae adhibendae consuetudini cum veteri pecuniae per trutinam appendendae usu conjunctio et quasi cognatio quaedam intercesserit.

§ 2.

Eorum, quae per aes et libram fiebant, origo et natura explicatu et cognitu difficiles sunt. Etenim eo tempore, quo et antiquitati et juris scientiae operam magnam Romani dare coeperunt, vetus illorum eaque insignis species, qua sublata plebi Romanae Livius (VIII., 28) refert velut aliud initium libertatis factum esse, dudum in oblivione jacebat eamque ob causam rarius et obiter tantum a veteribus commemoratur, neque eorum quidem, quae etiam Gaji tempore frequentissimo in usu erant, causam veramque naturam externa rei specie relata in iis, quae ad nos perlata sunt, explicarunt. Praeterea perpauca in veterum scriptis universe de iis, quae per aes et libram agebantur, disputata leguntur, quae leguntur, parum inter se convenientia.

Digitized by Google

Continentur fere locis apud Varronem de L. L. VII., 5, 105 et apud Festum s. v. Nexum:

Varro l. c. Nexum Manilius scribit omne quod per libram et aes geritur, in quo sint mancipia. Mucius quae per aes et libram fiant, ut obligentur, praeterquam mancipio detur. Hoc verius esse, ipsum verbum ostendit, de quo quaerit. Nam idem, quod obligatur per libram, neque suum fit, inde nexum dictum. Liber, qui suas operas in servitutem pro pecunia quadam debebat, dum solveret, nexus vocatur, ut ab aere obaeratus. (Hoc C. Poplilio vocare Sillo dictatore sublatum ne fieret, et omnis, qui bonam copiam jurarunt, ne essent nexi, dissoluti.)

Festus s. v. Nexum est, ut ait Gallus Aelius, quodcunque per aes et libram geritur, idque necti dicitur, quo in genere sunt haec: testamenti factio, nexi dando (leg. datio), nexi liberando (leg. liberatio).

In toto Varronis opere permulta occurrunt menda. Nec noster locus iis vacat. In postremis, quae uncis inclusi, vitium inesse patet. Sed etiam in iis, quae antecedunt, quaedam interpretibus emendanda esse visa sunt. Acris controversia agitatur de verbis „praeterquam mancipio detur.“ Pro quibus Niebuhrius (in hist. Rom. I. p. 640) legendum censuit „praeter quae mancipio dentur,“ ejusque vestigia multi, inter hos Odofredus Muellerus, Varronis editor, qui in Mus. Rhen. V. p. 198 hanc defendit conjecturam, tum Scheurlius (l. l. p. 9) secuti sunt. Nuper tamen Sellius et Bachofenius codicum scripturam genuinam esse contenderunt. Sed Sellius inferioribus offensus verbis „neque suum fit“ legendum existimat „nec quod suum fit,“ qua in emendatione probanda multus est. Necessitate non cogente in lectione codicum, licet a plerisque reprobata, nihil temere esse immutandum ratus praetulerim tamen cum Huschkio in libro de jure nexi (p. 32) „praeterquom mancipio detur“ perfacili unius literae in similem mutatione, qua efficitur, ut sensus sit idem, atque ex Niebuhrii conjectura. Quod autem Huschkius reprehendit verbum „obligentur,“ idque mutare vult in „obligetur“ aut „obligemur“ aut „obligemus,“ rationes ejus sufficere non videntur. Partes enim hoc loco intelligi possunt, quae obligentur.

Jure consulti illi, quorum Varro refert nexi definitiones, M'. Manilius, consul a. u. c. 505, quem Cicero (de orat. I., 48) vere jurisconsultum nominari, quem Pomponius L. 2 § 39 de O. J.) jus civile fundasse dicit, quique saepius in veterum scriptis occurrit, Q. Mucius Scaevola, pont. max., consul a. u. c. 659, quem Tullius (de orat. I., 39) hominem omnium et disciplina juris civilis eruditissimum et ingenio prudentiaque acutissimum dicit, quem Pomponius (L. 2 § 41 cod.) jus civile primum constituisse tradit, tum Aelius Gallus, quem libros de verborum, quae ad jus pertinent, significatione conscripsisse scimus (Gell. XVI., 5, L. 157 de V. S.) merito inter juris antiquitatisque peritissimos habendi sunt, qui, dum libera erat respublica, floruerint. Quapropter si quis eos inter se conciliare studendum esse putat, quum praesertim prope aequales fuerint, est aliqua rei ratio. Verumtamen eorum auctoritate non

Digitized by Google

moveor, ut cum Sellio (p. 19) summo studio omnibusque viribus enitendum esse censeam, ut demonstretur, nullam esse illarum sententiarum discrepantiam, sed potius cum Huschkio cavendum esse arbitror, ne has definitiones veterum, qui eo vixerint tempore, quo jurisprudentia minime esset adulta, sed recens nata, pluris faciamus. Nam si animo non praeoccupato explicationes illas compararimus, non poterimus quin easdem inter se repugnare dicamus. Etiam si codicum scripturam sequimur, dicendum est, Mucium, Varrone approbante, nexa esse affirmantem, quae per aes et libram fiant, ut partes obligentur, a Manilio et Aelio Gallo discrepare, quum facile sit probatu, minime omnia eo consilio facta esse, ut obligatio constitueretur. Quin scimus facta esse, quibus obligationes tollerentur. Sin vero aut Huschkii aut Niebuhrii emendationem probamus, Mucius aperte et definite omnia mancipia nexo detrahit. Et ipse Manilius, quid de nexo statuendum sit, dubitare videtur, mancipiaque proprie non esse in nexorum numero putare. Alioquin enim causa non fuit, cur nominatim de mancipiis diceret, ea nexa esse. Illud autem argumentum, quo plerique interpretes nisum putant Varronem (quippe homini erudito atque verborum usque vim intuenti arridebat) in Mucii discedere sententiam, nexum a nec suo dictum esse, perabsurdum est nec dignum, quod verbo uno refellatur. Sellius, quo suae fundamentum pararet sententiae, verborum Varronis, sicut modo allatum est, emendationem excogitavit, qua simul Varronem et defenderet et purgaret. Ea mutatione totiusque loci in patrium sermonem conversione alii, ut censor ejus Gloedenius in Schneideri annal. crit. 1845 p. 394 recte observavit, sententiam attribuere non dubitat, qua insulsior non facile invenitur, quae ne cogitari quidem potest. Fingitur enim Varro refellere eum, qui existimet, nexum inde dictum esse, quod suum, id est dominium fiat. Trahit porro Sellius (p. 25) in vertendo loco pronomen „idem“ ad vocabulum praecedens „verbum,“ quum conjungendum sit cum sequentibus „quod obligatur per libram.“ Ex Varronis enim mente id, quod obligatur per libram, nexum dicitur, idque ex ipso verbo sequi affirmat. Et recte atque jure ille quidem. Nam si verbi nexi vim intuemur, neminem, qui lingua Latina imbutus est, fugere oportet, nectendi verbum, a quo est dictum nexum, idem prope esse ac ligare vel obligare. De hac tamen vocabuli notione non omnes consentiunt, atque etiam nostra aetate inventi sunt, qui nexum idem esse vocabulum atque negotium, aut qui nexum a nec suo dictum esse opinarentur. Hanc posteriorem opinionem qui amplectuntur, teste utuntur Varrone, qui reprobant in eum invehuntur, qui tam perversam derivationem prodiderit, quam Hugo in hist. jur. Rom. p. 282 detestabilem vocat. Est sane rejicienda, sed non perspicio, cur eo nomine Varro tantopere vituperetur, quem tale quid cogitasse satis probatum non est. Qui mea sententia hoc exprimere vult, nexum inde [3])

[3]) Ab obligando. „Inde“ igitur particula conjungenda est cum „obligatur,“ non cum „neque suum.“ Tum non oportet hoc loco Varronem inerepare, quamvis licet jure Scaliger exclamare soleat: desinat ineptire Varro! Nec Sellii emendatione opus est, qua reprehensio evitetur.

Digitized by Google

esse dictum, quod res aut persona tantummodo obligetur (sive nectatur), non autem, quemadmodum in mancipiis, in dominium potestatemve alius transferatur. Consequitur hoc ex iis, quae inferius leguntur, ubi „Liber, inquit, qui suas operas in servitutem pro pecunia quadam debebat, dum solveret, nexus vocatur.“ Nexus igitur vocatur, quia alteri tantum obligatus, non ejus factus est, ut fit in mancipio. Similiter apud antiquos, Festo s. v. Nexum teste, nexum aes dicebatur pecunia, quae per nexum obligatur. Nam etsi illud aes sine dubio accipientis fieret, solebant ita dicere veteres, quia quum debitor ad rependendum aes libra et aere acceptum obligatus esset, ipsum aes quodammodo ejus non esse, sed creditoris manere videbatur.

Quae quum ita sint, quum in illis veterum, quibus nexum explicare student, repugnantia insit, quumque igitur inter juris antiquitatisque peritos ejusdem prope aetatis de nexi notione et ambitu controversia agitata sit, non alienum videretur, si locos illos potius explicandos esse, quam rem explicare rati missos faceremus. Attamen hoc ex iisdem discere videmur, omnia per aes et libram gesta nexo et mancipio comprehensa esse, nec nostra aetate, quum inter homines doctos de vera nexi et mancipii inter se ratione magna varietas nata sit, quum Savignius (p. 8) et Scheurlius (p. 9) nexum genus, ejus speciem mancipium esse arbitrentur, Walter (p. 587) nexum negotium esse existimet, quo res mancipio detur, Sellius (p. 25) neque nexum sine mancipio, neque mancipium sine nexo cogitari posse, nec tamen utique eadem esse censeat, Bachofenius (p. 14) et Huschkius (p. 32), sed iidem inter se discrepantes, tum in mancipio nexum inesse statuant, quum obligatio inde nascatur: nec nostra aetate dico, quisquam inventus est, qui negaverit, tam in nexo quam in mancipio aes et libram esse adhibita, nec qui ea contrahendi forma praeter nexum et mancipium etiam alia negotia gesta esse affirmarit. Unus Huschkius monet (p. 48), nexi liberationem apud Festum s. v. Nexum commemoratam nec mancipium esse, nec nexum dici posse, quum eo peragatur consilio, ut nexi obligatio sive nexum tollatur. Sed hanc ipsam ob causam cum nexo arcte conjuncta est.

§ 3.

Erunt igitur nobis de origine et natura eorum, quae per aes et libram agebantur, tractaturis nexum et mancipium consideranda. Utriusque jam legem XII tabularum mentionem fecisse constat his verbis: „Quum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupassit, ita jus esto.“ [4]) Hic quia concurrunt, idcirco discerni videntur. Nec Scheurlio (p. 10) assentiendum puto, qui veteribus in legibus crebro verba idem denotiantia vel quorum unum altero comprehendatur, conjuncta inveniri ratus legem intelligit, quasi scriptum esset: Quum nexum faciet, inprimis mancipium rel. Duo-

[4]) Festus s. v. Nuncupata. Cic. de orat. I., 57.

Digitized by Google

decim tabulas ita locutas esse persuadere mihi non possum, nec aliunde id probari posse puto. Et si verborum nexi et mancipii notionem propriam consideramus, necesse est dicamus, ea quam maxime diversa esse. Atqui si instituti, juris praesertim Romani, originem et naturam investigare et indagare in animo est, optima dux esse videtur vocabuli, quo significatur, vis et potestas, quae, quoniam et verbum et jus in ipso qui iis utitur, populo ortum in eodem crevit adolevitque, veram notionem atque naturam necesse est exprimat. Quodsi verbi mancipii vim inquiramus, nomen hoc a manu et capiendo dictum esse et veteres semel et saepius affirmant, nec est cur a nobis in dubium vocetur. Et dicuntur mancipia, etiam in jure Justinianeo, homines, qui libertate carent. Quos servos appellant Romani, quum de conditione eorum sive in civitate sive in jure agitur, famulos, quum considerantur ut pars familiae patrisfamilias potestati subjecta, mancipia vero quum quasi merx habentur, quae, ut alia merx, emptione venditione, donatione, permutatione comparatur et alienatur. Est autem servis nomen inditum mancipiorum, quia apud antiquas gentes homines manu capti ab hostibus utique in servitutem redigebantur, unde ipsa servitus originem traxisse reperitur. Alia significatione mancipium sive causa mancipii est status liberorum hominum, quo tametsi servi non sunt, servorum tamen loco habentur: quippe ceciderunt in eum statum venditione quadam servorum simili in alius potestatem translati. Hoc mancipium iis temporibus, quibus apud Romanos floruit juris disciplina, in usu fuisse animadvertimus, in jure autem Justinianeo jam non commemoratur. Remotiore, sed etiam Ciceronis aetate sensu simili idem fere valebat, atque dominium, cique mancipio nonnunquam opponitur fructus et usus. [5]) Quaeri autem potest, fueritne diversum a dominio, quod vocabulum hac saltem significatione posterius in usum venit, et qua in re diversum fuerit, et num fortasse fuerit dominium ex jure Quiritium, id quod verisimilitudinem habet. Quarta denique notione mancipium est actus solennis, qui per aes et libram geritur eamque ob causam a nobis contemplandus est. Eo perfecto aut mancipium illud, quod est dominium ex jure Quiritium, transfertur, aut liberi homines in illud, quod est quasi quaedam servitus, mancipium deveniunt. Isque actus solennis imperatorum aetate, velut apud Gajum et Ulpianum, plerumque vel unice appellatur mancipatio. Nam mancipium hoc nihil aliud est, quam vetustior forma vocabuli mancipationis. [6]) Id mancipium patet tam Manilio et Mucio ante oculos fuisse, quam in lege XII. tabularum intelligendum esse. Haec ultima procul dubio prima est mancipii significatio. Nam si uno vocabulo et actio quaedam et id, quod actione efficitur, designatur, illa significatio, ut ipsa actio effectum praecedit, utique prior est, quum propria sit, altera translata. [7]) Quam ob causam quoniam a manu et capiendo mancipium est appellatum, dubium non est, quin actio, qua manu

[5]) Cic VII. 29. Lucret. III. 984. Cic. Haruap. 7. ad Att. VIII. 11. Sen. epist. 75.

[6]) Mancipium sive mancipatio dicitur etiam interdum mancipatus, ut apud Plin. H. N. IX. 35.

[7]) Similis ratio est exempli gratia in verbis aucupii et auspicii.

Digitized by Google

aliquid caperetur, originem vocabulo dederit, non id, quod actione efficeretur. Hoc enim translatione tantum mancipium est vocatum. Quae si animo colligimus, mancipium, quum ad agendum refertur, tantummodo proprietate quadam solennem aere et libra gestam actionem denotat, quum omnis actio, qua quid manu capimus, mancipium et appellari possit et a priscis Romanis, ut conjicio, appellata sit, ita ut mancipio inprimis actio, qua ex hostibus homines resque capiebant Romani, significaretur.

Haec de mancipii verbi notione. De nexo jam dictum, vim ejus esse eandem fere, quae verbi ligandi et obligandi. Et qui juris Romani peritus est, non dubito quin animadverterit imperatorum certe temporibus nexo sive nexu arctius quoddam obligationis vinculum indicari, ita ut aut res aut persona in ejus, cui obligata est, potestate quouodammodo esse vel certo casu futura esse intelligatur, atque idcirco proprie dici de pignore. Hanc vero nexi potestatem in veteri nexo, quod appellare quidam solent nexum ob aes alienum, praecipue invenimus: eo modo nexos in servitutem quandam abductos a creditoribus, vinctos et clausos fuisse non paucis veterum testimoniis comprobatur. Verbi vi et potestate generatim perspecta, si sitne vel potius contineatne nexum negotium aliquod quaerimus, ut obligatio contrahatur, quoniam eo verbi notionem vel maxime tendere animadvertimus, si id ante omnia poscimus, videmur hoc jure nostro quodammodo postulare. Quodsi observamus negotium per aes et libram actum obligationem eandemque aere et libra contractam continere, ea, quum persertim et Manilius et Aelius Gallus omnia per aes et libram gesta nexo vindicent, nexi obligatio dici posse videtur, licet Mucius et mancipia omnino nexo subtrahens et insuper requirens, uti; quod per aes et libram geritur, id obligationis contrahendae causa fiat, aliud statuere videatur. Sin vero obligatio per aes et libram nulla gignatur, tum neque nexum negotium, si recte loqui volumus, appellari licet, quamvis licet apud veteres nonnunquam abusione ita nominetur. In mancipio contra requiremus, ut actu per aes et libram manu capiatur, quod qui accipit, si res est, suum faciat, si persona, in suam redigat potestatem. Verumtamen ipsum hoc manu capere, sicut videbimus, si non inde ab initio, at recentius, latius patuit.

De nexo et mancipio jam XII. tabulas locutas esse novimus. Neque iis sunt introducta, ut ex ipsa lege concludere possumus. Et Paulus in Fragm. Vat. § 50. confirmari mancipationem dicit lege XII. tabularum, satis indicio, eam antea in usu fuisse. Utrumque igitur ex antiquitatis remotissimae tenebris descendit, nec apparet ratio, qua adducamur, ut alteri priorem originem vindicemus. Quocirca quoniam via et ratione procedimus a rebus magis cognitis vel cognitu facilioribus proficiscentes, quo ad reconditas viam aperiamus, optimum duco priori loco de mancipio verba facere, cujus explicationem fontes uberius affluentes faciliorem futuram promittere videntur. Hujus mancipii sive mancipationis priusquam originem causasque exploremus, utile erit, ipsius actus formam, partes, usum, quales a Gajo inprimis et Ulpiano referuntur, sub uno aspectu posuisse.

Digitized by Google

§ 4.

Mancipationem Gajus (I. 113, 119) imaginariam quandam appellat venditionem, venditor mancipare vel mancipio dare, emptor mancipio accipere dicitur. In ea emptione venditione adhibitis civibus Romanis puberibus quinque testibus et libripende, emptor rem, si mobilis est, vel hominem mancipandum tenens verba haec: „Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, isque mihi emptus esto hoc aere aeneaque libra" locutus libram, quam libripens tenet, aere percutit idque aes dat ei, qui mancipat, quasi pretii loco. Quodsi praedium mancipandum est vel servitus, in absentia res peragi potest et plura simul mancipari, dum mobiles res non plures uno tempore mancipari, quam quot manu capi possunt. [8])

Mancipationem plurimae res non recipiunt, quibus mancipandis nihil agitur. Hae res nec mancipi vocantur, contra res mancipi, quae per mancipationem transferuntur. Sunt autem res mancipi praedia in Italico solo, tam urbana, quam rustica, jura praediorum rusticorum, velut iter, actus, via, aquaeductus (urbanorum non item), servi et quadrupedes, quae collo dorsove domantur, quales sunt equi, boves, asini, muli; elephanti tamen et cameli, licet hi quoque jumentorum operam praestent, nec mancipi sunt. [9]) Gajus memorat controversiam agitari inter duas scholas, utrum rebus mancipi jumenta et armenta ratione nascendi adscribantur, an domita ea vel eam aetatem, qua domari soleant, nacta esse oporteat. Illud Sabiniani, hoc Proculiani putabant. Ulpianus talis controversiae mentionem non facit.

Praeter has res mancipi liberae personae mancipantur, dummodo sint potestati alius vel juri simili subjectae. Sui juris enim personas mancipio dari posse nemo veterum dicit. Itaque mancipio dantur tum filiifamilias, quibus per mancipationem illud mancipium, quod servitutis loco est, aut constituitur aut mutatur, tum feminae, quae mancipatione vel, ut hic appellatur, coemptione in manum mariti conveniunt, nisi, quod serius a prudentibus inventum est, fiduciae causa fit coemptio ad evitanda quaedam incommoda ex sexus ratione oriunda, velut testamenti faciendi aut tutoris reponendi gratio. Coemptio autem a ceteris mancipationibus non parum differt, in verbis praesertim, quibus utuntur.

Est praeterea mancipi familia, quam testamento per aes et libram paterfamilias mancipio dat familiae emptori. Quo testamento non mancipatur, quae res nec mancipe est eamque ob causam in jure tantum cedi potest, hereditas, quippe viventis nulla est, verum universitas personarum rerumque juri testatoris subjectarum. Ea universitate, cui familiae nomen est, etiam ipse paterfamilias continetur, eamque ob causam, tametsi alia neque persona neque res mancipi ulla insit, utique mancipi est.

[8]) Gaj. I. 121. Ulp. XIX. 6.
[9]) Gaj. I. 120. II. 15, 16. Ulp. XIX. 1.

Digitized by Google

Quoniam vero in testamento faciendo non id agitur, ut patrimonium testatoris statim ad heredem transeat, sed ipsius maneat usque ad mortem, idcirco inter mancipationem, quae testamenti ordinandi causa peragitur, et ceteras magna intercedit differentia, propterea quod familiae emptor mancipio accipiens non potest dicere familiam esse suam ex jure Quiritium. Verba solennia, quae familiae emptorem loqui accipimus, apud Gajum II. 104, sed quum lacuna explenda sit, varie a viris doctis leguntur. Malim legere locum, qualem Lachmannus restituit: „Familia pecuniaque tua endo mandatelam tutelam custodelamque meam, quo tu jure testamentum facere possis secundum legem publicam, hoc aere aeneaque libra esto mihi empta.“ In hac mancipatione celebranda is quoque, qui mancipio dat, testator, verba certa pronuntiat. Qui aeris particula a familiae emptore accepta tabulas testamenti tenens: „Haec ita, ait, ut in his tabulis cerisque sripta sunt, ita do, ita lego, ita testor, itaque vos Quirites, testimonium mihi perhibetote.“ Et haec, ut Gajus et Ulpianus referunt, vocatur nuncupatio.

His positis quum de ritu mancipationis, tum de usu iis temporibus, quibus jure consulti maximi scripserunt, jam hoc loco, priusquam ad initia mancipationis indaganda aggrediamur, pauca summatim de indole ejus et potestate constituenda sunt. Dum stipulationibus et pactis secundum principia juris Romani nisi traditione consecuta non transferuntur, mancipatione perfecta res mancipata, si quidem dominus fuit, qui dedit, ipso jure accipientis fit, nec traditio ultra est necessaria. Idem quod mancipatio, efficit in jure cessio. Cujus usus quibusdam rebus latius patet, quum, ut omnes res corporales, exceptis praediis provincialibus, ita etiam incorporales, velut jura praediorum, tam urbanorum, quam rusticorum, ususfructus, hereditas, tutela legitima (non tamen obligationes) in jure cessionem recipiant, quibusdam, quum neque causa mancipii neque manus per eam constitui, neque testamentum fieri possit, angustiore ambitu continetur. Quaestio oritur, qua re factum sit, ut ne dicam de rebus incorporalibus, in corporalibus multis mancipatio non similiter atque in jure cessio locum habuerit. Quae quaestio cum ea de origine mancipationis arcte cohaeret.

§ 5.

De origine ipsius mancipationis pauci scriptores tractarunt, permulti de differentia rerum mancipi et nec mancipi ejusque causis. Qui plerumque non animadverterunt, finem sibi propositum se adepturos non esse, nisi quibus ex causis orta sit mancipatio et quamobrem mancipatio fuerit, perspexissent. Mira est sententiarum de rebus mancipi et nec mancipi prolatarum diversitas. Quas omnes referre atque excutere longum est. Quare satis habeo, quae recentiores auctores hac de re senserint, breviter exponere. [10])

[10]) *Ger. Meermann*, de rebus manc. et nec mancipi. — *Manhayn*, *über den Ursprung und die Bedeutung der* res m. *und* nec m. *im alten röm. Recht.* — *Danz*, *Lehrbuch der Gesch. des röm. Rechts*, I. p. 192 seqq.

Digitized by Google

Multi rerum mancipi numerum olim majorem fuisse existimant, nec defuerunt, qui quum persuasum sibi haberent, initio apud Romanos sola traditione nullarum rerum dominia mutari potuisse, sed utique opus fuisse actu civili, velut mancipione aut in jure cessione, omnes res, quae quidem traditionem reciperent, mancipi fuisse defenderent.[11]) Propositionis, qua potissimum nituntur, antiquitus dominium nisi aut per actum civilem aut usucapione accedente acquiri non potuisse, ut probatio difficilis est, ita difficilis refutatio. Argumenta, quibus adductus in rebus nec mancipi, ut inferiore aetate atque, sicut videtur, omnino Ciceronis tempore, ita jam principio traditionem ex justa causa suffecisse puto ad dominium transferendum, infra afferam. Hanc meam opinionem qui comprobat, non facile is ad illam sententiam, olim rerum mancipi genus multo latius patuisse, accedet. Duae enim res rerum mancipi propriae erant, quibus a nec mancipi rebus differebant, una, quod recte non acquirebantur, nisi actione civili, velut mancipatione, in jure cessione, adjudicatione, qua deficiente usucapio accederet necesse erat, altera, quod solae per mancipationem transferri poterant, quae in ceteris nullam vim habebat. Nam Gajus (II. 29) jura praediorum urbanorum in jure tantum cedi posse ait, rusticorum vero etiam mancipari. Quibus aperte negat servitutes praediorum urbanorum ut res nec mancipi mancipari posse. Hoc tamen exemplum, quum servitutes res sint incorporales, solum satis non est. Sed sufficiens hujus rei argumentum praebet tum Ulpianus (XIX.), qui, ut traditionem propriam rerum nec mancipi, ita mancipationem propriam appellat speciem alienationis rerum mancipi, non autem, ut in jure cessionem, usucapionem, adjudicationem, legem — de quibus omnibus hoc nominatim dicit — communem et rerum mancipi et nec mancipi alienationem, tum Cicero in Top. c. 10, qui Finge mancipio aliquem dedisse, inquit, id quod mancipio dari non potest. Num id ejus factum est, qui accepit? aut num is, qui dedit, ob eam rem se ulla re obligavit? Quae verba Boethius ad h. l. recte interpretatur loquentia de rebus nec mancipi mancipatis. Quas ob causas, qui res apud jure consultos classicos nec mancipi vocatas jam olim sola traditione (si quidem eae essent, quae admitterent traditionem) alienari acquirique potuisse existimat, easdem tunc mancipi fuisse non arbitrabitur, propterea quod una res rerum mancipi propria, quod actione civili transferendae erant, omnimodo in iis desideratur, nec alterius ratio probabilis reddi potest, quoniam intelligi nequit, quapropter, quae antea potuerint, non tamen debuerint, posterius ne potuerint quidem mancipari. Sed etiam si quis has res antiquitus non potuisse traditione legitime comparari defendat, censeat tamen easdem mancipi fuisse, forsitan causas probabiles is afferre poterit, cur necessarii esse mancipatio ceterique actus civiles desierint — non repugno —: quamobrem vero postea ne potuerint quidem mancipatione transferri, id explicatione adhuc indiget, quum ex necessitate mancipandi remissa nequaquam sequeretur, ut jam mancipationem non reciperent, quum praesertim in jure cessio etiam in rebus nec mancipi locum

[11]) *Bailhorn-Rosen, über* dominium. p. 83 seqq.

Digitized by Google

haberet. Haec autem ratio etiam ceteris obstat, qui minime omnes res mancipi fuisse dicunt, tamen mancipationi in veteri jure latiorem usum vindicant eo, quem veteres auctores fuisse referunt.

Niebuhrius in hist. Rom. I. p. 503 quum sibi persuasum habeat res mancipi eas fuisse, quae cujus ex jure Quiritium essent, quaeque in censum referrentur, tum opinatur antiquioribus temporibus etiam argentum, aurum, pecudes minores, velut oves, capras, et fortasse omnes res, quas quis vere suas haberet, non tantum possessione a republica vel patrono concessa teneret, mancipi fuisse: aes quin fuerit, dubium ei omnino non videtur. At posterius certe nihil obstabat, quominus etiam res nec mancipi civis Romani ex jure Quiritium essent, quamvis civili jure ejus non factae, sed jure gentium, nec causa apparet, cur olim rem habuisse se aliter arbitremur. Putat Niebuhrius res mancipi esse res mancipii, mancipi enim esse genitivum contractum, mancipii res fuisse eas, quas quis haberet in mancipio suo id est in legitimo dominio vel ex jure Quiritium. Res mancipi igitur ex Niebuhrii sententia idem valerent, atque res dominii legitimi vel ex jure Quiritium. Mancipi esse genitivum contractum, jam ante Niebuhrium plures monuerunt, velut Vossius (de arte gramm. III. 46), Salmasius (de usur. c. 8), Perizonius (ad sanct. Min. IV. c. 4 n. 12), atque Schultingius in jurispr. Antejust. p. 619 hic in mancipio, ut Niebuhrius, videt dominium verum, jure civili probatum. Sed haec sententia, quamquam nihil moror, quominus res mancipi sint res mancipii, mihi videtur falsa esse. Etenim mancipium hoc haud dubie sensu vetustissimo ad agendum referri oportet, ad actionem igitur, qua res acquiratur. Itaque quum mancipii nomine proprie vocatus est actus solennis per aes et libram, res mancipii sive mancipi eae fuerunt, quae per aes et libram et possent et quodammodo deberent transferri. Quod autem Niebuhrius, sicut etiam Vangerowius in libro de Latinis Junianis (p. 79) res mancipi eas fuisse existimat, quae in censum referrentur, omnes res corporales in censum referebantur, tametsi non essent mancipi: at jura praediorum rusticorum, licet mancipi essent, non video qui in censum potuerint dedicari. Nec oportet eandem ob causam cum Vangerowio recurrere ad locos apud Cic. pro Flacco c. 32 et Fest. s. v. Censui censendo, quibus probetur, res mancipi et res censui censendo easdem fuisse. Et videntur, quod Huschkius in libro de institutis regis Servii Tullii (p. 569 n. 86) recte observavit, censui censendo sola praedia esse appellata, quum Festus l. c. censui censendo agros proprie appellari dicat, qui et emi et venire jure civili possint: in praediis nimirum differentia erat Italicorum et provincialium, quae posteriora emi et venire jure civili non poterant, id quod in omnibus rebus mobilibus et se moventibus aliter erat, quoniam etsi mancipationem, at non similiter in jure cessionem res nec mancipi excludebant. Goettlingius in hist. instit. resp. Rom. (p. 124) ad Niebuhrii sententiam propius accedens eam restringit ita, ut res mancipi putet eas, quae aere gravi in mancipationibus ad certam summam redigi potuerint: eas tum a rege Servio Tullio in censu

Digitized by Google

nominatim esse appellatas. De hac re etsi nihil certo constat, tamen ita esse potest: at impedimento sunt servitutes praediorum rusticorum, quae quanti essent iu censum dedicari non poterant, id quod in dubium vocari posse non videtur.

Aliter rem explicat Hugo in hist. jur. Rom. (p. 512 seqq.), qui in rebus mancipi requirit, ut pretiosae populo agriculturae dedito, ut corporales vel tales fuerint, quae ad corporales proxime accederent, ita ut facile discernerentur, denique ut jam pridem Romanis notae fuerint. Haec sine dubio in rebus mancipi inveniuntur, sed nondum iis explicatur, quare in iis mancipatio tam necessaria fuerit, et cur ceterae res corporales mancipari non potuerint- Hanc necessitatem mancipandi Walter in hist. jur. Rom. (p. 588) res mancipi fuisse ratus, quae praecipue praedium rusticum ejusque instrumentum effecerint, ex eo deducit, quod Servius Tullius rex ratione habita librorum, in quibus totum solum descriptum esset, in his rebus acquirendis alienandisque mancipationis formam requisierit. Sed ratio non apparet, cur ob eam causam mancipatio potissimum fuerit inventa, quae minus idonea et conveniens esse videatur. — Ab omnibus his sententiis diversissimam de rerum mancipi notione et vi eximia proposuit sententententiam Huschkius in libro de institutis regis Servii Tullii (p. 249 seqq.) cum universa sua de necessitate, quam reperit in populi a rege illo constituta divisione quasi divinitus institutam arctissimo vinculo cohaerentem. Quae quum intelligi et impugnari nequeat nisi tota doctrina viri illius exponenda et impugnanda, quum hoc et alienum a proposito nostro et longius esset, quam fines hujus commentationis admittunt, putavi praetermittere eam me posse, eo magis, quia ipse Huschkius Romanos illius rerum mancipi significationis conscios verisimiliter non fuisse confiteatur. Huschkii opinioni plane oppositam defendit Christiansenius in hist. jur. (p. 352 seqq. et passim). Qui mancipi infinitivum passivi esse existimans verbi veteris mancipere, quod idem valuerit atque mancipare, manu capere, resque mancipi fuisse, quae mancipari sive mancipi solerent vel deberent, ita ut tale verbum supplendum sit, in distinctione illa rerum mancipi et nec mancipi nullam videt necessitatem, sed putat juris prudentes Romanos diu in incerto fuisse, quid de illa statuendum esset et quasnam res mancipari oporteret, dum sensim sensimque eam doctrinam excogitarent, quam a Gajo et Ulpiano nobis traditam, priscis Romanis prorsus ignotam ineptam esse arguere non dubitat: apud antiquissimuos autem Romanos eas res mancipari solitas fuisse, quae cognitionem facilem habentes vindicationem admitterent: testes in omnibus negotiis adhibitos esse, neque eorum aliam fuisse potestatem, quam ut per eos, quid gestum esset, constaret. Sed testes non dubito quin aliud significaverint, id quod inferius § 6 demonstrare conabor.

His sententiis variorum recentioris aetatis auctorum breviter relatis, melius res explicari videtur ex ea sententia, quam Manhaynius in libro allato (p. 61 seqq.) in medium protulit, quamque Danzius in hist. jur. Rom. (p. 192) et Puchta in instit. (vol. II. § 238) universe approbarunt. Eas res fuisse mancipi arbitratur, quae res

Digitized by Google

praedae ab ea ad privatos homines venditione publice instituta transferrentur. Huic opinioni jam argumenta afferenda sunt, quibus probabilis reddatur et confirmetur.

§ 6.

Per testes quinque, quos in mancipionibus necessarios fuisse novimus, antesignano Niebuhrio multi monuerunt populi Romani quasi imaginem quandam expressam esse, eamque hodie communem fere dicere licet opinionem, quamquam non prorsus desunt, qui adversentur. Veram eam esse, magno argumento est testamentum, quod per aes et libram agebatur. Nam quoniam olim testamenta condi non potuerunt, nisi aut in pace et otio calatis comitiis, quae bis in anno testamentis faciendis destinata erant, aut in procinctu, id est armato et expedito exercitu, patet tunc saltem testationem populi ad testamentum in paganis faciendum fuisse necessariam.[12]) At majoris rei causa in comitiis testamenta fieri oportebat. Ad solam testationem pauci suffecissent, nugasque egissent Romani testandi causa totum populum convocantes. Fieri debebant in comitiis testamenta, eo praesertim tempore, quo gentilitas vigebat, ut a populo, tanquam lex rogarctur, approbarentur ejusque auctoritate confirmarentur.[13]) Utcunque se res habuit, sive testatio populi fuit, sive confirmatio, quum neutra re vera esse posset, quotiens quis domi subita morte pressus testamentum facere vellet, idcirco testamentum per aes et libram a prudentibus inventum moribus introductum frequentem in usum venit, quo in testamento comitia populi Romani testibus civibus Romanis praesentibus adumbrarentur. Quorum testium si nulla alia fuisset significatio, quam eorum, quibus in negotiis quotidianis utimur, supplere non potuissent testationem vel confirmationem illam populi. Quum autem propositum esset exprimere populum Romanum per testes adhibitos, quaestio orta est, quinam numerus eligendus esset? Optandus erat minimus, quo facilius res perageretur. Quamobrem quinque satis visi, quibus classes quinque, in quas rex Servius Tullius populum descripserat, imitati sunt. Similem quandam nostrae rei causam affert Cicero (orat. adv. Rullum II. 12), qui ad speciem atque ad usurpationem vetustatis dicit comitia (curiata scilicet) per triginta lictores auspiciorum causa adumbrata constituta esse. Confirmat opinionem nostram, ut fere dubitationem admittere non videatur, quod testator nuncupando testes alloquens Quirites appellabat. Quae quum ita sint, quod de ea mancipatione, qua testamenta condebantur, statui oportet, id, quum praesertim familiae, ut rei, quae capi non potest, mancipatio posterioris originis fuisse videatur, non dubitabimus omni mancipationi vindicare, tanto minus quia adeo liberae personae per mancipationem in aliam potestatem et in causam ser-

[12]) Gaj. II. 101. Gell. XV. 27. Theoph. ad § 1 J. de testam. ordin. (II. 10).

[13]) Trekell, Tract. de orig. et progr. testam. fact. II. § 12 seqq. — *Gans, Erbrecht.* II. p. 37 seqq. — *Walter, Rechtsgeschichte* p. 634. — *Ihering, Geist des röm. Rechts.* I. p. 137.

Digitized by Google

vituti similem redigebantur. Et probabilius hoc redditur considerantibus, mancipationem rerum mancipi idem juris atque in jure cessionem adjudicationemque transtulisse. Nam, ut Gajus ait, quod valet maucipatio, idem (sed non plus) efficit in jure cessio. Deinde in omnibus mancipationibus qui jus sibi comparaturus erat, ex jure Quiritium suum esse ajebat. Ea verba, quae similiter in vindicatione (non tamen putaverim in omni vindicatione, sed in ejus rei, quae esset confirmante populi auctoritate acquisita) dicebantur, ut supervacanea non erat, ita nec sine causa et ratione necessaria fuisse existimandum est, nec parvum momentum habuisse.

Hanc sententiam de praecipua vi quinque testium in mancipationibus adhibitorum Christiansenius in hist. jur. Rom. (p. 148) rejicit. Putat enim omnia negotia ad jus privatum pertinentia coram testibus facta esse, quorum memoria jus negotio constitutum conservaretur. Initio prout iis, qui negotium gererent, conveniens visum et pro negotii cujusque natura modo majorem, modo minorem numerum adhibitum, dum usu diuturno constitisset, non minus quam quinque testes requiri. Sane dicit Gajus (I. 189, III. 174) non minus, quam quinque testes adhiberi, eaque verba indicio esse videntur, etiam plures adhiberi posse. Sed haec non perspicio cur nostrae obstent sententiae. Prudentes nimirum Romani majore numero minorem contineri animadvertentes, modo quinque adessent, majorem numerum non nocere dixerunt. Quod autem nemo veterum disertis verbis dixerit, illos testes populi classium quasi effigies parvas adumbrare, quum multarum rerum rationem non reddiderint neque eorum universe fuerit rerum causas inquirere, mirum videri non debet. Argumenta autem supra adducta planius atque apertius, quam nonnunquam directa testimonia, loquuntur.

§ 7.

His disputatis de testium in mancipationibus adhibitorum eximia quadam vi et potestate, mancipatio peracta quasi populo Romano in classes suas distributo testante vel potius confirmante actus erit nobis omnium maxime civilis, quo comitiorum simulacra parva adumbrata sint. Quam ob causam non sine temeritatis crimine forsitan dices, sicut testamenta, ita omnia, quae serius mancipationem postularent, principio veris comitiis rerumque mancipi alienationem per ipsum populum factam esse. Quandoquidem vero mancipatio sive mancipium a manu et capiendo est dictum, inde conjicere licet, actum hunc solennem apud priscos Romanos nihi in his, quae manu capiuntur, transferendis usitatum non fuisse. Ex numero autem rerum mancipi manu capi nequeunt familia et jura praediorum, quum sint incorporalia. Sed neque ipsa praedia, licet tangi possint, manu capimus. Et novimus in his omnibus mancipandis necesse non fuisse, manu res mancipanda apprehenderetur. Quapropter praeter homines ac jumenta armentaque indigena, quum mancipationum solennia nascerentur, res mancipi nullas fuisse persuasum mihi habeo. Eae res quamobrem hoc modo

Digitized by Google

insignitae sunt? Ipsa et mancipandi et rerum mancipi appellatio quaerentibus nobis, quid statuendum videatur, indicio esse et poterit et debebit.

In mancipationis solennitate celebranda, qualis cognita est nobis, ipsum illud manu capere forma tantum erat, qua quo consilio quemque in finem negotium gereretur, indicabatur, et utique requirebatur ad jus transferendum domini voluntas rem alienandi. Quodsi quis manu capiendo suam rem efficere vellet, ita ut hoc solum per se ad jus acquirendum sufficeret, a cive capiendo rem furtum committens suam facere non poterat, ne decursu quidem temporis, quoniam adversus furem aeterna erat auctoritas. Quare utique necesse erat ex hostibus res caperetur. Verum igitur mancipium, quo quis etiam non consentiente domino sine ulla alia re suas res faciebat, praedae erat ex hostibus faciendae occupatio. Hoc verum mancipium sine dubio tempore praecessit illud imaginarium, ut ita dicam, quo per aes et libram testibus praesentibus rerum dominia mutabantur. Quod imaginarium mancipium si cum vero illo conjunctum quodammodo et quasi ex eodem natum esse existimamus, a veritate puto nos non aberrare.

Verumtamen quum milites non sibi quisque caperet, sed reipublicae, minus recte dixi, res praedae ab hostibus partae capientium factas esse. Dionysius (VII. 58 ed. Sylburg) constare ait, praedam ex hostibus captam militumque virtute partam ad rempublicam legis jussu pertinere, et non modo nullum privatum hominem, sed ne ipsum quidem imperatorem in eam jus habere. Quem quum sciamus multis exemplis praedam passim militibus distribuisse, et ita quidem, ut jus potestatemque eam distribuendi sibi assumere videatur, quumque ex tot locis unum illud Dionysii testimonium in lege nitatur, quae praedam reipublicae acquiri jusserit, quidam, velut Mayerus in ephemerid. jurispr. hist. (VIII. p. 74) dicere non dubitant Dionysium in errore versari. Temere illi quidem, ut videtur, quum ille rerum Romanarum scriptor ad legem non provocasset, nisi tale quid jubens fuisset. Qua re motus Danzius (I. p. 197) differentiam fuisse censet rerum bello captarum: de quibusdam, ad rempublicam quippe pertinentibus, imperatorem nihil statuere, ceteras more majorum inter milites dividere potuisse. Illas imperatoris arbitrio detractas res populi factas ab ipso rursus singulis venditas esse, easque fuisse res mancipi. De praediis, nihil repugno, quominus Danzio assentiar neganti imperatorem in agros bello captos jus habuisse. Id per se intelligi, nec opus esse testimoniis arbitror. Verum in rebus se moventibus longe alia est ratio, nec loci a Danzio allegati sufficiunt, quibus probetur, de hominibus et equis imperatorem quid statueretur decernere non potuisse. Nam quod legimus captivos atque equos venditos esse, ea re quum saepenumero totam praedam venditam esse animadvertimus, suspicari non licet, quasi res nec mancipi populi non factae, sed utique inter milites distributae fuerint, nec imperatori jus adimitur, etiam homines atque equos militibus concedere. Quin locus Ciceronis, [14])

[14]) Cic. de invent. I. 45 si dici possit ex hostibus equus esse captus, cujus praedae sectio non venierit.

Digitized by Google

quo Danzius nititur, haud obscure contrarium indicat. Quid igitur est? Verba Dionysii allata dicunt, praedam ad rempublicam legis jussu pertinere, verum non dicunt, lege imperatorem prohibitum esse, quominus praedam ad rempublicam pertinentem militibus distribueret. Orator introducitur dicere, omnibus notum esse, imperatorem in praedam jus non habere: atqui pro his ad legem non provocat, sed oratoria vi dicendi rem auget, neque quia praeda reipublicae erat, idcirco imperatori jus eam aut distribuere aut vendere prorsus ademptum erat. Plerumque tota praeda (quae quidem in rebus mobilibus aut se moventibus constaret), aut ipsa aut manubiae, pecunia inde redacta, militibus concedebatur, nec ad eam rem utique concessu populi opus erat, quamquam, ut conjicio, imperator nonnumquam specialiter praedam in publicum redigere jubebatur. [15])

Ut et rerum mancipi et mancipationis originem exploremus, ad ipsa rei Romane primordia penetrandum esse existimo, et placet mihi Puchtae sententia rati antiquissimis temporibus, quum Romanorum civitas urbis paene muris contineretur, quum bella quotannis geri solita nihil essent aliud, nisi assiduae populationes et praedationes a paucis susceptae in finitimas gentes, praeter homines atque majores quadrupedes, quae serius inter rerum mancipi numerum habitae sunt, nihil praedae esse captum, quum oves, capras, sues domum agere operae pretium non videretur, nec fere essent aliae res dignae visae, quibus oneraretur et impediretur exercitus. Sane capiebantur praeterea exiguae res et leviores, quas quisque facili negotio secum ferre poterat, quasque, etsi pretiosae non essent, utiles sibi quisque ducebat. Eas vero arbitror iis temporibus reipublicae factas non esse, sed capientium. Namque Gellio teste (XVI. 4) quaedam exiguae exiguique prettii res populi concessu capientium fiebant, ut hasta, hastile, ligna, pabulum, uter, follis, facula et si quid minoris esset nummi argentei, ideoque has exceptiones sacramento militari additas legimus. Earum rerum numerus initio, ut opinor, major fuit, ita ut omnes res parvas ac viliores, quas miles facile secum portaret, sibi statim acquireret. Et suspicor lege illa, ad quam Dionysius provocat, quae quando lata sit prorsus ignoramus, veterem rationem, quum praeda usque et major fieret et plures res complecteretur, eo mutatam esse, ut quibusdam rebus paucis exceptis omnes ad rempublicam pertinerent. Eae autem res, quae jam principio, quando fere unicae bello capiebantur, populi factae sunt, homines igitur et jumenta armentaque vernacula, singulare quoddam genus rerum efficere coeperunt, insignitum modo, quo alienabantur. Quae res plerumque (nam interdum et fortasse haud raro etiam in his exceptio vel ab imperatore vel a populo statuebatur, ita ut inter milites ipsae, non tantum manubiae distribuerentur) in publico venum dabantur, et publice quidem a magistratu hasta erecta quasi signo quodam et unde venisset res venumdanda et legitimi dominii transferendi. Appellabant autem praedam,

[15]) Liv. II. 42 accensaque ex cupiditas est malignitate patrum, qui praeda militem fraudavere. Quidquid captum ex hostibus est, vendidit Fabius consul ac redegit in publicum.

Digitized by Google

puto, quum manu ex hostibus esset capta ideoque mancipio comparata, mancipium, quo nomine serius servos tantummodo, quotiens tanquam merx aliqua in considerationem venirent, designatos esse novimos. Et erand haud dubie captivi longe maximi momenti in praeda capta et ostentationis causa utique Romam agebantur, vendebanturque singuli sub corona, dum ceterarum rerum sectio venibat. Quae igitur res ex praeda venumdari solebant, eas res mancipii sive mancipi vocabant. Eae quandoquidem manu captae erant ex hostibus, ideo conveniens visum est, ut rursus simili actu fierent ementium, qui quanti emerant, tantum aes, libripende adhibito, appendendum curabant, remque acquirendam manu apprehendebant. Quod tali modo ex praeda capta, id optimo jure erat acquisitum, propterea quod res empta, quum rempublicam dominam esse dubitationem nullam habere posset, repeti evincique emptori non poterat. Maxime, ut ait Gajus, sua esse credebant, quae ex hostibus cepissent. Dixi eum, qui hoc modo sub hasta emisset rem mancipii, manu eam cepisse. Hoc ita intelligendum est, ut non prorsus necesse fuerit eum naturalem ejus possessionem statim corpore mancisci, sed suffecerit eam apprehendisse significandi causa, se rem manu capiendo suam facere, quamquam plerumque, ut suspicari possumus, quotiens res id fieri admittebat, emptor rem emptam illico tradendam sibi curabat. Dominus vero fiebat ipso mancipio, nec erat necesse traditio sequeretur. Nam res a magistratu adjudicata vel apud eum in jure cessa alicui statim traditione non interveniente hujus fiebat, quanto magis ea, quae quum addiceretur a magistratu, coram ipso populo vendebatur et addicebatur?

§ 8.

Actum hunc civilem, quo res praedae populi factae singulis hominibus venditione sub hasta alienabantur, deinde homines privati in negotiis inter se gerendis imitati sunt emptionem venditionem rerum mancipii testibus civibus Romanis, qui populi comitiorumque quasi effigies parvas adumbrarent, adhibitis et libripende, qui libram tenens pretium appenderet, solenni ritu peragentes. Numerus testium principio forsitan, quo numerus curiarum in comitiis suffragia ferentium efficeretur, triginta fuit, dum a Servio Tullio rege populo in classes diviso quinque testes sufficere visum est. Negotio huic mancipii nomen inditum essse, tum origo ipsius tum forma, qua gerebatur, declarat.

Mancipium sive mancipatio Gaji tempore, sicut supra adduxi, imaginaria erat venditio, quae, ut Ulpianus in L. 16 de R. J. ait, non est pretio accedente, id est vero pretio: aeris enim particula, quae pretii loco dabatur, pretium efficiebat imaginarium. Et Gaji tempore, sed jam longe antea, multis mancipatio intervenichat negotiis, in quibus venditio tantummodo dicis gratia fiebat, pretium non dabatur, quum id agerent, ut verum pretium nullum solveretur. In his igitur causis venditio necessario ab initio fuit imaginaria. Nam quum causa, ex qua res mancipio dabatur,

Digitized by Google

permutatio forte esset vel dotis constitutio donatiove, vel quum femina coemptionem faceret, plerumque etiam in filiisfamilias mancipandis verum pretium non intercedere ipsa negotii natura postulabat. Verum etiam quum causa, quae suberat mancipationi, vera esset emptio venditio, ipsa mancipatio Gaji tempore imaginaria erat. Num fuit imaginaria venditio ab initio? Id quidem non puto. In publica praedae sub hasta venditione, cui semper vera emptionis venditionis causa suberat, verum pretium, principio praesertim, statim appensum esse persuasum mihi habeo, idemque usurpatum esse a privatis hominibus res mancipi hoc modo inter se transferentibus. Causa, ut opinor, quam ob causam mancipatio sensim sensimque imaginaria facta est emptio venditio jam iis temporibus, quibus aerea pecunia utebantur, inprimis haec fuit. Postquam haec mancipationis solennitas nata est, desiderabatur, ut etiam si alia ex causa praeter veram emptionem venditionem dominium transferendum esset, hac via, hoc actu maxime civili fieri id liceret. Quocirca, cui forte ex causa permutationis, solutionis, donationis, transactionis alia res mancipi transferenda erat, is eodem ritu manu rem capiens emptam sibi esse dicebat libra et aere, quae quidem hujusmodi causis symbolice interveniebant ad imitationem illius verae venditionis. Poterat autem mancipio accipiens profiteri rem sibi esse emptam, quum emendi verbo, Festo auctore, [16]) apud antiquos Romanos nihil aliud significaretur, quam sumere vel accipere, quam notionem etiam nunc cernimus in verbis compositis, qualia sunt adimere, dirimere, eximere. Particula aeris, qua eum, qui accipiebat, libram percussisse constat, etiam in iis mancipationibus, in quibus verum pretium nullum dabatur, usitata erat et necessaria. Indicabatur etenim ea librae percussione negotii gerendi perfectio et absolutio. Oportebat praeterea in actu hoc civili ad mancipationis per aes et libram gestae normam referri et accommodari omnia Tali vero imaginario pretio etiam si vera causa subesset emptionis venditionis, non tantum facilitatis, vero pretio non appendendo testibus praesentibus, verum etiam necessitatis causa uti coeperunt. Nam perinde id, atque in ceteris causis, necessitas postulabat, quotiens id agebant partes, ut pretium non repraesentaretur, sed venditor aut eo nomine satis acciperet aut omnino pretium crederet.

§ 9.

His disputatis videamus, quomodo factum sit, ut in aliis causis praeterquam in servorum jumentorumque dominiis mutandis mancipatione atque in ea aere et libra uterentur. Et primum quidem quod attinet ad liberorum capitum mancipationes, quum in filiosfamilias pater antiquitus idem prope jus eandemque potestatem, atque in servos, haberet, eodem more eos venditos fuisse, mirum videri non potest. Ro-

[16]) Festus s. v. Recemptores — nam antiquitus emere pro accipere ponebatur, s. v. Emere, quod nunc est mercari, antiqui accipiebant pro sumere.

Digitized by Google

mulus, Dionysio testante (II. 27), traditur patri concessisse usque ad tertiam venditionem ex filio quaestum facere, idque retentum est lege decemvirali, in cujus quarta tabula haec verba scripta feruntur: „Si pater filium ter venum duit, filius a patre liber esto.“ Nec dubito quin eo tempore licuerit patri, filium trans Tiberim in veram servitutem vendere: hoc tamen jus moribus reprobatum in usu retentum non est. Si vero civi Romano mancipabatur filiusfamilias, venditione hac ei nec libertas adimebatur, nec ingenuitas, sed tamen servi loco habebatur dicebaturque in mancipio sive causa mancipii esse, propterea quod mancipio in eam causam pervenerat, nec ullo alio modo, in jure cessione hic locum non habente, pervenire poterat. Hae filiorum mancipationes quum olim verae venditionis causa fierent, postea aut non omnino aut raro eo nitebantur. Plerumque enim filius aut ex noxali causa, damni, quod dederat, sarciendi causa, mancipabatur, aut dicis gratia, idque tum emancipationis tum adoptionis ergo. In his omnibus causis ex intentione partium praeter pretium illud imaginarium nullum dabatur.

Filiorum igitur mancipationibus constat antiquitus veram venditionem non modo subesse potuisse, verum saepenumero, initio fere semper, subfuisse. Quod non similiter videtur existimandum esse in ea mancipatione, per quam uxor in mariti manum conveniebat fiebatque materfamilias, qualis non habebatur, nisi quae in manum convenisset, maxime si coemptione id factum esset. Non enim legimus hanc mancipationem unquam emptionem fuisse veram. Fortasse nec fuit apud ipsos Romanos. Fuit vero apud alias gentes ex eadem stirpe Indogermanorum oriundas, velut apud Graecos, Germanos, Sarmatas veteres, atque eam ob causam puto Romanos, si non vero, saltem imaginario pretio uxores suas emere solitas fuisse. Et serius introducta videtur ad speciem mancipationis filiorum (uxor coemptione filiae locum nanciscebatur) usurpata, quum patricii homines, qui diversa forma in manum conveniendi, confarreatione scilicet, utebantur, illam coemptionis formam antiquitus adhibuisse non videantur.

Jam de mancipatione praediorum servitutumque praediorum rusticorum dicendum erit. Sunt, qui putent, antiquissimis temporibus singulos cives Romanos nihil in solo proprium suum habuisse, omnia fuisse publica. Huic Niebuhrii opinioni quum alii, tum Puchta in instit. § 40 assentitur, Huschkius in libro de instit. Servii Tullii (p. 77) prorsus falsam judicat. De re tam veteri, quum nec testimoniis veterum auctorum satis dilucidis atque idoneis uti liceat, certum quidquam statui nequit. Agri bello capti fere semper solam possessionem privis hominibus concessam esse, aetatis recentioris historia comprabatur. Inde conjectura capi posse videtur, simile quid observatum esse in ipsis civitatis Romanorum primordiis, quum praesertim bello captum primum solum reperiatur. Attamen arbitror, quum forma non fierent domini privati, re tamen et facto sensim paulatimque quasi dominium in praediis esse constitutum, quum usu et consuetudine opinio invaluisset existimantium, agri cuique concessi possessionem jus esse et ad heredes suos transferendi et alienandi, saltem gentilibus.

Digitized by Google

Verum ea possessio agri publici non tantum nomine, sed etiam re ipsa a dominio vere privato differebat, propterea quod tanquam precario concessam respublica quolibet tempore reposcere poterat. Quum igitur facti magis esset, quam juris, ideo et primum constituenda et transferenda non requirebat actionem proprie civilem, sed occupatione comparata usu tenebatur, usucapione, quamvis per longissimum tempus esset possessio continuata, prorsus exclusa. Haec ratio nec statim mutata est, quum Ramnibus bellicosis Quirites accessissent, sed populi ager haberi continuavit usque ad Anci gentem in civitatem receptam. Quae quoniam pars non erat ipsius populi Romani, quum nec particeps agri publici esse posse videretur, eam ob causam privatus ei est ager concessus non tam late patens, quam patriciorum ager publicus. Quod fiebat aut assignatione aut venditione a magistratu procurata. Ea venditio ad speciem illius paulo antiquioris venditionis mancipiorum directa est; nec sine causa, quia ipse ager bello occupatus, manu captus ex hostibus res praedae ipse erat, ut servi, equi, boves, muli, asini. Itaque rei natura postulare videbatur, ut ipsi, quemadmodum res se moventes mancipi, mancipatione a populo alienati in singulorum dominium cederent. Eodem igitur ritu observato magistratus addictione dominium vere privatum, cognitum eousque tantum in rebus mobilibus, emptor nanciscebatur. In hoc vero negotio illud, in quo mancipio consistebat, ex quo proprium suum vocabulum sumpserat, quod oportebat emptorem manu rem capere, fieri non poterat. Et differentia intercedebat inter praediorum et hominum rerumque se moventium mancipationes, quia res immobiles absentes et diversis in locis sitae et plures simul mancipari poterant, ceterae non item. Sed haud obscure indicat Gajus antiquitus aliud obtinuisse dicens solere praedia absentia mancipari. Quid autem apprehensioni personae et rei mancipi se moventis in praediis substitutum fuerit, de ea re conjecturam capere possumus ex eorundem vindicatione. Nam quum is, qui aut hominem aut rem mobilem vindicabat, ipsam, vel si talis esset, quae sine incommodo in jus afferri adducive non posset, partem inde sumptam apprehenderet eique festucam imponeret, si fundus vindicabatur, antiquissimis temperibus praetor una cum partibus eum adibat, ut in praesentia res perageretur: postea glebam ex fundo, ex aedibus tegulam sumptam in jus afferrebant. Num igitur putabimus eandem fuisse consuetudinem in praediis assignandis vendendisque a magistratu populi Romani procuratis? Ita propemodum videtur. Tum censendum erit formam priori vindicationis formae similem principio usitatam fuisse ideoque magistratum cum emptore, cum testibus et libripende praedium mancipandum adiisse, ut ibi mancipatio perageretur. Quod etsi magna incommoda habuisse videatur, tamen considerantibus eadem in vindicatione rerum immobilium reperiri veri videtur non esse dissimile. Verumtamen quod actus in praesentia fiebat, eo nondum ad mancipionis normam erat accommodata: apprehensio rei desiderebatur. Quae quemadmodum adumbrata sit, puto colligere nos posse ex loco Festi s. v. Manceps, ubi „Manceps, inquit, dicitur, qui quid a populo emit conducitve, quia manu sublata

Digitized by Google

significat, se auctorem emptionis esse." Qui igitur a populo praedium emerat, in mancipatione verba loquens solennia manum tollens apprehensionem rei mancipationi propriam imitabatur. Deinde quum respublica Romanorum valde aucta esset, quum morosior usque videretur accessio ad ipsum agrum, praetermitti coepta est eique aut substituerunt formam vindicationis recentiorem aut manum sublatam per se sufficere crediderunt. Ipsius autem mancipis nomen satis indicio est, eum olim rem, qua de ageretur, manu cepisse, si quidem talis esset, quae capi posset. Haec de venditione agri publice facta. De assignationibus recentiore certe aetate constat lege agraria lata mancipationibus intervenientibus fieri solitas esse. Nec est quod dubitemus, quin jam olim, quum mancipationes in usum venissent, idem fuerit observatum.

Quum ager publicus divisus aut assignaretur aut a quaestore venderetur, saepissime, quo agro suo quisque recte atque ordine uti posset, necesse erat, servitutes, scilicet praediorum rusticorum constituerentur. Qua de causa in ipsa assignatione vel venditione servitutes deducebantur, quod quum fieret eodem actu per aes et libram, ideo evenit, ut etiam jura praediorum rusticorum, non tamen urbanorum, quae praeterea posterius sunt inventa, inter rerum mancipi numerum haberentur.

Eodem modo, quo praedia et jura praediorum rusticorum populi jussu publice alienabantur, deinde etiam inter privatos dominos mutabant. Videtur tamen in privata mancipatione paulatim in desuetudinem abiisse, quod emptorem manum tollere oportebat. Certe scriptores, qui longe posterius floruerunt, Gajus et Ulpianus, necesse hoc fuisse non dicunt.

Una restat familia, quae testamento per aes et libram mancipio dabatur. Quae mancipatio, ut supra dixi, inventa est ut forma, qua utentes etiam in pace et otio praeter tempus comitiorum testamentis faciendis destinatorum testamenta facere possent. Et sine dubio serius in usum venit, quam ceterae mancipationes, propterea tum quod res mancipanda ejusmodi erat, quae mancipium proprio sensu dictum non admitteret, tum quod nequaquam verisimile est, in eadem unquam verum pretium praeter rausculum datum esse, tum vero quod cognita est nobis forma, quae illam praecesserat, ex qua sese, prudentibus adjuvantibus, explicarat.

§ 10.

In origine tum mancipationis tum rerum mancipi indaganda versantibus nobis superest, ut qua ratione cum veteri per libram solvendi et usu et necessitate a compluribus auctoribus tradita connexa fuerit mancipatio scrutemur. Qua de re sic sentio. Mancipatio imaginaria emptio venditio fuisse fertur. Constat autem omnes gentes priscas prima aetate, nondum inventa pecunia, quae quidem re vera ita dici posset quaeque esset rerum omnium natura diversissimarum universa et quasi civilis quaedam mensura, loco emptionum venditionum permutationibus esse usas: ab iis, quae

Digitized by Google

sunt proprie juris gentium, originem emendi vendendique coepisse Paulus in L. 1 de contrah. empt. recte animadvertit. Quod si ita se res habet, in hoc maxime discrimen inter emptionem venditionem et permutationem vertitur, quod illa solo consensu perficitur, permutatio perfecta non est, nisi res permutandae ultro citroque traditae sint. Sane novissimis liberae reipublicae temporibus, aetate Labeonis, ea pars, quae rem dederat, quum altera nondum dedisset, non modo rem datam condicere poterat, verum etiam praescriptis verbis actione in id experiri, quod adversariam ex bona fide dare facere oporteret. Verum ea actio antiquioribus incognita fuit. Quamobrem oportebat eos utramque rem permutandam simul tradendam curare. Nec mutaverunt rationem hanc in rebus tradendis usitatam, postquam aes verae pecuniae locum obtinere omniumque rerum communem quandam mensuram praebere coepit, et ideo, quum de re emenda et de pretio dando convenissent partes, emptor rem emptam sibi tradendam, venditor pretium appendendum curabat, neque prius, quum consensus nondum appareret, perfectum negotium intelligebatur. Omnes igitur emptiones prorsus aes requirebant pecuniae vicem obtinens, ac raro, quae tum erat rerum conditio, libra utenda supersedebatur. Sed tempora non prorsus postulabant libripendem, qui trutina aes appenderet. Nam quum haud dubie privati homines plurimi trutinam eamque talem, quae probata esset a civitate, haberent, emptor et venditor libripendis in appendendo aere partibus ipsi fungi poterant. Multo minus testes requirebantur, coram quibus res perageretur. Verumtamen in rebus majoris momenti pleruinque et libripendem accessisse et testes, quorum memoriae res mandaretur, veri simile mihi videtur. Necessitas vero et libripendis et testium adhibendorum sensim sensimque est introducta in rebus quibusdam acquirendis, iis scilicet, quae mancipi sunt vocatae, quaeque, ut vidimus, eae erant, quas bello sibi comparatas ipse populus hasta justi dominii signo erecta vendebat. Concurrebant in iis plures res, quae effecerunt, ut alienationis forma insignirentur. Primum videbant homines eas simili ritu publice alienari: eo modo acquisitae optimo jure erant acquisitae, quandoquidem, quum earum comparatio ab ipso populo quasi confirmata esset et munita, omnis privati hominis exclusa erat repetitio. Deinde erant res maximi momenti, quum omnino, tum illis praesertim temporibus et hominibus agricolis. Tum, et haec res non parum suasit nostram acquirendi formam, tales erant, quae cognitionem habebant non difficilem testibus. Has enim res si novus dominus vindicaret, iis, quibus praesentibus sibi compararat, recognoscendi facultas erat, quum in aliis rebus, velut in minoribus quadrupedibus, ovibus, capris, suibus acquirendis, quum molestius, ut in rebus levioribus, tum prope inutile fuisset testes adhibere. Et non tantum testimonii causa voluerunt civibus praesentibus rem peragi, verum etiam juris acquisiti confirmandi et tuendi gratia. Eos novus dominus adjutores sibi futuros comparabat in re tuenda, iique opem ad recuperandam rem amissam ferebant. At non tam adjutores privatos sibi comparare voluerunt, quam jus confirmari et muniri tanquam ab ipso populo con-

Digitized by Google

cessum et probatum, atque ideo, quum ipsum populum adhibere non possent, imaginem invenerunt effigiemque ejusdem in classes quinque divisi. Itaque si quinque testibus civibus praesentibus res ex praeda venumdari solita aere et libra et libripende adhibitis comparata erat, ea tanquam ipso populo confirmante acquisita esse intelligebatur. Has inprimis ob causas mancipationis solennitas in usum venit in rebus mancipii emendis vendendisque. Ex usu et consuetudine, quum firmior usque fieret et stabilior, necessitas, ut fit, juris est facta, ita ut, nisi hoc civili actu (aut certe alio civili, velut in jure cessione), juste legitimeque acquisitae non intelligerentur, nec dominium rei, nisi usucapio accessisset, mutatum esset, pristinus dominus autem ad id tempus impletum rem tanquam non alienatam vindicare posset. Quum eo perventum esset, victum erat in his rebus jus gentium jure civili.

Omnes fere igitur emptiones venditiones, quae quidem non minime essent momenti, in ultima antiquitate (ea tamen, ubi loco pecudum aes factum esset communis rerum mensura) aere et libra accedente factas esse arbitror. Attamen eas tantum, quae testibus praesentibus et libripende adhibito perficiebantur, per aes et libram fieri proprie loquentes homines dicebant. Quodsi aliae res praeter eas, quas mancipi esse antiquitas sanxerat, eadem mancipatione adhibita alienabantur, mancipatio proprios et singulares effectus suos non habebat. Ac postea quum pecunia argentea fere semper utentes nummos adnumerarent, aes es libra in rebus nec mancipi acquirendis adhiberi desierunt, retenta sunt in rebus mancipi, quippe quae acquirendae civilem actionem flagitarent.

§ 11.

His tractatis de mancipationis origine atque usu, partes hujus actus solennis, tum natura atque vis paulo attentius, quam hucusque factum est, considerandae sunt. Et primum quidem de librae percussione jam dictum, ea indicari negotii perfectionem. Hoc tamen non omni ex parte verum est, quum non tam librae percussio, quam aes acceptum ad perfectionem rem deduceret. Ipsum aes, quo libram percutiebant quodque pretii loco dabatur, olim rude fuit et imperfectum, inde rauduscului appellatum. Legimus in mancipationibus solita fuisse verba: „rauduscului libram ferito.“[17]) Haud dubie libripendis erat, quum mancipio accipiens verba fecisset, nec altera pars contra dixisset, verba haec eloqui, quibus indicaret negotium perfectum esse. Multi, qui de hac re scripserunt, animadvertentes veteres saepenumero de sestertio nummo uno assium quattuor in mancipationibus loqui, in rauduscului vel assis locum (nam aere signato assem adhibere soliti sunt) arbitrati sunt sestertium nummum argenteum successisse.[18]) Eam sententiam arguit Huschkius in comment. ad Flav. Syntrophi

[17]) Varro de L. L. V. 163. Festus s. v. Rodus.

[18]) Trekell de testamenti fact. III. § 20. Meermann de rebus manc. et nec manc. p. 175.

Digitized by Google

instrum. donat. p. 40 affirmatque, sestertium illum ad aliam rem excogitatum esse, scilicet ut lacunam quandam, quae in mancipationibus liberalitatis titulo factis exsisteret, expleret: accessisse eum ad aes mancipationis. Sane in hujusmodi mancipationibus solis scimus sestertium adhibitum esse. Et aeris particula, uti ipsa per aes et libram gesti appellatio satis ostendere videtur, quia Romani, quum mancipatio oriretur, aerea pecunia, quam appendebant, utebantur, idcirco ab ipso actu abesse non potuit, semperque et cum aere libra adhibita est, qua uti non attinuisset, si sestertius numinus argenteus, non pondere, sed numero constans pretii loco datus esset. Et saepe ille sestertius eo quoque tempore, quo quin aere facta sit mancipatio dubium esse non potest, cum mancipatione conjunctus legitur.

De quinque testibus adjici potest, imperatorum temporibus et forsitan longe antea etiam Latinos colonarios et Junianos, item eos peregrinos, quibus commercium concessum esset, mancipationem facere, testes et libripendes esse potuisse. Verum antiquitus in quibusdam mancipationibus videtur non sufficisse, ut testes cives Romanos puberes adhiberentur, sed necesse fuisse primae classis homines essent. Nam classici, Gellio testante, non omnes, qui in classibus erant, sed primae tantum classis homines dicebantur, classicos autem testes Festus refert dictos fuisse, qui signandis testamentis adhiberentur.[19]) Conjicere licet, in ceteris quoque mancipatienibus, iis praesertim, quae majoris essent momenti, classicos testes antiquites adhibitos esse, etsi necesse id non erat.

Libripendem principio ex patriciorum tribubus, deinde ex prima classe sumptum velut magistratus partibus in appendendo aere functum esse Hugo in hist. jur. Rom. (p. 213) et Huschkius in libro de instit. Servii Tullii (p. 272) probabiliter conjecerunt. Is enim ceteris testibus dignitate antecellere debebat, cujus ab officio universum negotium per aes et libram gesti nomen sortitum est. Unde in instrumentis mancipationum ad nos perlatis ejus potissimum nomen relatum invenitur. Certissima autem videtur hominum doctorum conjectura in iis, quae ab ipso populo instituebantur, mancipationibus.

Ad testes quinque et libripendem legimus alium accessisse, quem mancipio accipiens, vellicata auricula, quae memoriae sedes esse credebatur, tanquam testem interrogaret, num omnia recte conficerentur. Is tamen, qui antestatus appellabatur, nec necessarius fuisse videtur, quum Gajus et Ulpianus ejus mentionem non faciant, nec mancipationis proprius erat, quum in aliis quoque, praesertim in jus vocatione, occurreret. Walchius in libello de antestato in mancipationibus (p. 12) conjicit, in praediis in absentia mancipandis homines si non necessarium, utile saltem existimasse, aliquem, qui praedium bene nosset, sibi tanquam arbitrum constituere, qui quid vere mancipatum et lege mancipii comprehensum esset, si de ea re inter mancipio dantem

[19]) Gell. VII. 13. Festus s. v. Classici testes.

Digitized by Google

et accipientem dubitaretur, definire posset. Et sane in omnibus, quae exstant, antestationis exemplis in mancipationibus in absentia mancipatio fiebat.

Verba, quae emptorem locutum accipimus, solennia erant atque certa, diversa tamen pro genere juris, quod mancipatione nacturus erat. In omnibus actionibus civilibus animadvertere licet Romanos usos fuisse certis quibusdam verbis ab eo usque eloquendis, cujus in negotio utilitas verteretur, vel qui inde jus sibi assumeret. Quapropter in mancipatione emptor tum rem mancipandam suam esse praedicabat ex jure Quiritium, tum quo modo sua facta esset, idque, ut videtur, semper modo imperativo.[20]) Certe is rei, quae agebatur, magis conveniebat. Quaestio oritur, num mancipio accipientem, praeterquam quod aere et libra emptam sibi rem ajebat, veram causam mancipaudi, utputa venditionem, permutationem, donationem appellare oportuerit. Id Huschkius nuper defendit, tametsi in formulis, quae paucae nobis servatae sunt, nihil hujusmodi inveniamus. Quum quid statuamus pendeat ex sententia, quam de vi mancipationis amplectamur, inferius rem attingam.

Num haec verba certa et solennia intelligenda sunt in illo XII. tabularum: „Quum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupassit, ita jus esto?“ et num igitur nuncupatio fuit verborum solennium in nexo mancipioque facta enuntiatio?[21]) Id sequi videtur ex derivatione vocabuli. Nam nuncupare, ut Huschkius probabiliter suspicatur, est nomine capere, simili modo dictum, quo nundinae a novendinis. At in testamento per aes et libram verba, quibus testator testes alloquitur, nuncupationem Gajus et Ulpianus appellant, non ea quae familiae emptor pronuntiat. Et Cicero (de off. III. 16) verbis: „quum ex XII. tabulis satis esset ea praestari, quae essent lingua nuncupata“ et illum locum XII. tabularum respicit et manifesto legem mancipii intelligit. Quare inprimis lex contractui dicta, in mancipio lex mancipii, quae lex obligationem gignit, ex qua dicta promissaque servare oportet, nuncupandi appellatioe comprehenditur. Sed tamen etiam verba certa nuncupatione continentur.

§ 12.

Mancipationes peragebantur aut rerum mancipi civili ratione transferendarum, aut conditionis liberorum hominum alieno juri subjectorum mutandae causa. In rebus nec mancipi nullam mancipationis vim fuisse supra admonui. Attamen antiquitus, quum discrimen rerum mancipi et nec mancipi nondum satis stabile firmumque esset, eam in his quoque haud raro adhibitam esse suspicari possumus. Videtur autem Plinius major natu indicare, margaritas, quippe res valde pretiosas et aevi perlongi, mancipari solere. Qui (H. N. IX. 35) postquam dixit, unionum nomen maxime

[20]) Legitur tum „emptus esto“ (Gaj. II. 104, III. 167), tum „emptus est“ (Gaj. I. 119. Fragm. Vatic. § 50.) Prior lectio praeferenda videtur.

[21]) *Huschke, Recht des* nexum p. 23 seqq.

Digitized by Google

grandibus margaritis impositum fuisse, „Et hoc tamen, inquit, aeternae prope possessionis est, sequitur heredem, in mancipatum venit, ut praedium aliquod.“ Haec verba Plinii, tametsi nihil moror quominus de mancipatione intelligam (sunt enim, qui aliter rem explicent), minime probare arbitror uniones res mancipi fuisse eosdemque sola mancipatione acquisitos esse. Mancipatio enim, quamvis in rebus nec mancipi nullius esset momenti nec ad obligationem constituendam nec ad dominium transferendum, tamen traditioni ex justa causa factae accedens non nocebat: quin testibus mancipio accipiens postea uti poterat, quibus tum traditionem, tum negotium justam causam tradendi praebens comprobaret. Etiam in rebus mancipi se moventibus traditionem plerumque, antiquitus vero fere semper cum mancipatione conjunctam fuisse, tametsi necesse hoc non esset, veri est simillimum. Hoc igitur ex loco Plinii discimus, in unionibus — et probabiliter in aliis quoque rebus et pretiosis et diuturnis — transferendis mancipationem ipsius temporibus admodum usitatam fuisse.

In rebus mancipi mancipatio nihil erat aliud, atque in rebus nec mancipi, in jure Justinianeo in omnibus rebus traditio, forma dominii transferendi, tamen insignis propterea quod, ut traditio juris gentium, ita ipsa actus erat omnium maxime civilis. Nuda autem traditio, ut Paulus in L. 31 pr. de acquir. rer. dom. ait, nunquam transfert dominium, sed ita si venditio aut aliqua justa causa praecesserit, propter quam traditio sequeretur. Et similiter Ulpianus (Fragm. XIX. 7) dicit, rerum nec mancipi dominia ipsa traditione apprehendi, si ex justa causa traditae sint. Etenim traditio per se res facti, non juris est, quum non tantum dominii mutandi causa, verum permultis aliis ex causis, velut ad custodiendum, commodandum, pignus constituendum res tradantur. Justa causa tradendi posita est in voluntate partium ad rem alienandam acquirendamque consentientium. Qui consensus deficiens efficit, ut rei traditae apud priorem dominum dominium maneat. Diversae sunt causae dominii per traditionem transferendi, venditio, permutatio, solutio, mutui datio, transactio, dotis constitutio, donatio aliae. Omnes hujusmodi causae tradendi — praeter mutui dationem, quae natura sua utique in rebus nec mancipi versatur — etiam causae erant, ex quibus res manciparentur. Sed quaeritur, num necesse fuerit talem justam causam subesse, ut valeret mancipatio. In mancipatione non similiter, atque in traditionibus, quaeri poterat, qua intentione quove consilio perageretur, quum in rebus semper fieret dominii jurisve transferendi causa. Licet enim res manciparetur, ut tutius apud amicum esset, vel mancipio accipiens ea per certum tempus uteretur, vel quasi pignoris loco haberet, nihilo minus dominium transferebatur. Quapropter causa mancipandi quaerenda non erat, nec Ulpianus, qui in loco modo adducto in traditione ad dominium acquirendum justam causam requirit, ubi de mancipatione agit, de causa loquitur. Quid? si vera causa nulla subesset, tamenne mancipatio effectum suum dominii transferendi habebat? Et si ex causa venditionis re mancipata pretium nec solutum nec creditum nec satis eo nomine datum esset, num haec res

Digitized by Google

efficiebat, ut dominium non statim ipsa mancipatione transiret? Constat enim venditas res et traditas non aliter emptori acquiri, quam si is venditori pretium solverit, vel alio modo ei satisfecerit, veluti expromissore aut pignore dato, idque in constitutionibus (II. 1, § 41) caveri dicitur ex lege XII. tabularum. Juris prudentes autem statuerunt, etiam si venditor fidem emptoris secutus fuerit, rem emptoris fieri. Illa XII. tabularum vulgaris interpretum opinio ad mancipationem atque in jure cessionem referre non dubitat, quum praesertim permulti prorsus negent, illis temporibus solius traditionis, quamvis justa ex causa factae, eam vim fuisse, ut nisi accedente usucapione ad dominium rerum nec mancipi comparandum sufficeret.

In Guji institutionibus sententia hoc loco instit. Justin. expressa non invenitur, id quod fortasse lacunae, forte in lib. II. § 20 aut lib. III. § 141, attribuendum est. At complures alii loci eandem continent, quorum praeter Theophili paraphrasin ad legem decemviralem, quae eam sanxerit, nullus provocat. Ea res pluribus ansam dedit, ut XII. tabulas tale quid continuisse negarent: inventam esse regulam a juris consultis observantibus eam naturali aequitati et juri gentium consentaneam esse. Itaque Otto in comment. instit. II. § 41 putat regula nostra principium vetus generale expressum esse, secundum quod omnem alienationem per aes et libram (id institutiones vertisse pretio soluto) effici oporteret. Et Puchta in cursu instit. II. § 241 not. f. sententiam XII. tabulis sancitam non esse ratus legem forte fuisse autumat, quae loquens de mancipatione vim hujus actus solennis ex ea re pendere jussisset, ut ad solutionem imaginariam rauduscolo dato effectam vera solutio aut satisfactio accederet. Nonnihil adjuvatur illa opinio in ipsis XII. tabulis regulam, de qua agitur, comprehensam non fuisse existimantium, quod lectio „ex lege XII. tabularum“ in codicibus institutionum longe pluribus praevalet, ita ut doctrina jure consultorum ex mente legis usurpata esse videatur. Sed praepositionem ex saepissime abundare, Schraderus ad h. l. admonet. Atque quum testimonio legitimo caveri id ex lege XII. tabularum perhibeatur, quumque Theophili interpretatio expresse ipsi legi sententiam adscribat,[22]) omnis mihi videtur removenda esse dubitatio.

Verumtamen etsi XII. tabulas de rerum venditarum dominio, nisi soluto pretio aut satisfactione alia consecuta, non transferendo aliquid statuisse censere oportet, quum ipsis verbis legis desideratis in Justiniani institutionibus veteres actiones civiles, ut mancipationem et in jure cessionem, silentio praetereuntibus relationem tantum habeamus, nihil prohibere videtur, quominus non solum de traditione, verum etiam de mancipatione et in jure cessione ipsam legem sensisse vel locutam esse arbitremur. Quam sententiam modo dixi vulgarem esse. Mihi recta non videtur: puto legem solam traditionem, non civiles actiones respexisse. Primum enim animadverto istam legi suppositam sententiam aperte pugnare cum regula juris civilis certissima,

[22]) Theoph. ad h. l. — *τοῦτο δὲ καὶ τῷ δωδεκαδέλτῳ διηγόρευται νόμῳ* —.

Digitized by Google

actus legitimos, qui non recipiant diem vel conditionem, velut mancipationem, in totum vitiari per temporis vel conditionis adjectionem. [23]) Adjiciebatur enim conditio vel dies, si dominium rei mancipatae non statim ipso actu legitimo transferretur, verum usque ad pretii solutionem apud venditorem remaneret. [24]) Nec dicere licet, conditionem hanc tacite adjectam ejusmodi esse, quae, ut ait Papinianus, aperte comprehensa vitium afferat, tacite inserta inutilem actum non efficiat, quum id spectet ad rem longe diversam, sicut exemplum ab ipso Papiniano allatum plane docet. Qui exceptionem statuit talem, si acceptum feratur ei, qui sub conditione promiserit, ita demum egisse acceptilationem aliquid, si obligationis conditio exstiterit. Multo minus dices, regulam a jure consultis inventam, veteri juri et tempori XII. tabularum ignotam fuisse. Non fuit jurisperitorum, formarum a majoribus traditarum vim augere, sed potius minuere: elaborarunt, ut materiae negotiorum majore usque reddita potestate formae principatus vinceretur, cujus cum significatione effectus progrediente scientia pari passu dilapsus est et annihilatus. Sed etiam si regulam hanc non haberemus, tamen negarem XII. tabulas de mancipatione venditionis causa facta cavisse id, quod a natura atque vi quum omnium actionum civilium veterum, tum inprimis mancipationis, actus omnium maxime civilis, alienissimum esse judico.

§ 13.

Omnes actus, qui ad jus pertinent, ab iis, qui quum jura neque constituant, nec tollant, nec immutent, nec confirment, in jure nullius momenti sunt, duabus rebus differunt, tum forma externa, qua geruntur, tum materia, qua quo consilio quamve ob causam gerantur, exprimitur. Saepe in negotiis, ut valeant, et formam et materiam concurrere oportet, saepe, qua forma utantur partes nihil refert, saepe vero forma ita praevalet, ut quae re vera in actu insint quaeque sit partium intentio, non inquiratur. Formae auctoritas maxima esse solet in priscis gentibus, dum ne sint omnino rudes atque incultae, ac respublica jam vim auctoritatemque sibi assumpserit et comparaverit. At idem hodie observare licet in nostra Germania, ubi in syngraphis, quae vulgo cambiorum nomine designantur, eximia quaedam formae tribuitur vis et potestas. Apud Romanos pridem (de primordiis nihil dico, quoniam quae fuerit juris conditio ignoramus) permagni formam momenti fuisse constat, idque in plurimis negotiis. Quousque solius formae in civilibus actionibus adhibitae potestas se extenderit, quum veterum testimonia nec satis clare aperteque loquantur, de anti-

[23]) L. 77 de R. J. (Papinianus.) Fragm. Vatic. § 329. — sub conditione cognitor non recte datur, non magis quam mancipatur.

[24]) Ipsas XII. tabulas tantum de pretio soluto locutas, prudentum interpretatione reliquas satisfactionis species solutioni exaequatas esse, concludere licet tum ex eo, quod pretii soluti mentio plurimis locis sola habetur, tum quia Julianus in L. 25 § 13 de usufr., si emptor tantum satisfecerit, in pendenti esse dominium affirmat.

Digitized by Google

quissimis temporibus vix certum quidquam tradere possint, dubium videtur. Equidem affirmare non dubito, actus civiles sua vi ac potestate constitisse sine ulla re, quam forma amplecteretur, sine ulla causa, propter quam adhiberetur, maxime vero per aes et libram gesta, quippe quae coram ipso populo sive testante sive confirmante fieri intelligerentur. Id, ut opinor, conjectura consequi possumus ex loco Gajano, ubi „Saepe accidit, inquit, ut quis jure civili teneatur, sed iniquum sit, eum judicio condemnari, velut si stipulatus sim a te pecuniam, tanquam credendi causa numeraturus, nec numeraverim. Nam eam pecuniam a te peti posse certum est, dare enim te oportet, quum ex stipulatu tenearis, sed quia iniquum est, te eo nomine condemnari, placet per exceptionem doli mali te defendi debere.“ [24]) Qui locus docet, stipulationem ipsius Gaji tempore solam per se sine ulla causa vim habuisse ad constituendam civilem obligationem, exceptionem tantum doli mali admittit, quam non obscure indicat antiquitus datam non fuisse, sed aut a praetore propositam aut constitutam prudentum interpretatione et auctoritate. Itaque stipulatio omnino, licet sine causa confecta, actionem gignebat civilem, quam olim ne per exceptionem quidem repelli potuisse magnam habet probabilitatem. Quodsi tanta erat vis stipulationum, quanto majore jure iis vindicabimus, quae per aes et libram gerebantur, quum praesertim stipulatio non tam proprie fuerit juris civilis, quam illa, imo apud posteriores certe, excepta sponsione, juris gentium esse et inter cives et peregrinos valere diceretur. Quid sibi voluissent verba certa atque legitima in mancipationis solennibus quasi in comitiis populi Romani a mancipio accipiente aeris et librae tanquam aerea voce consonante pronuntiata: „Hanc ego rem ex jure Quiritium meam esse ajo,“ si postea venditor rem traditam pretium solutum esse negans, quasi nunquam amisso dominio, ex jure Quiritium suam vindicare potuisset? quid illa XII. tabularum: uti lingua nuncupassit, ita jus esto? Qui rem venditam pretio nondum soluto mancipio dederat, si deinde pecunia non solveretur, de se queri debebat. At si non tradidisset, contra vindicationem posterius certe exceptione doli mali se tuebatur. Ea vero exceptio quin hujusmodi in causis jam antiquitus locum habuerit, valde dubitandum est. Ceterum apud antiquissimos Romanos, si venditionis causa res manciparetur, persuasum mihi est fere semper in praesentia testium a libripende pretium appensum fuisse. Quodsi pretium non illico appendebatur, nec antea datum erat, si nec alio modo, velut fidejussore aut pignore dato venditori satisfieret, venditor, ut opinor, curabat, ut nexo emptorem sibi obstringeret, id quod et testibus et libripende tum maxime praesentibus facillime factu erat.

Huschkius, [25]) qui per aes et libram gestis insignem quandam significationem potestatemque tribuit, tamen non dubitat, quin ex causa emptionis mancipatio non

[24]) Gaj. IV. 116. Quinctil. J. O. IV. 2. Satis est dixisse: certam pecuniam peto ex stipulatione: diversae partis expositio est, cur ea non deberetur.

[25]) Flav. Syntr. instr. donat. p. 41. *Recht des Nexum* p. 42.

Digitized by Google

magis quam traditio, nisi pretium solutum satisve eo nomine datum esset, rem alterius fecerit: nihil enim valere imaginariam causam, nisi vera subsit. Quam ob causam existimat emptorem in mancipatione, quanti rem mercatus esset, expressisse, his fere verbis: eaque res mihi esto empta hoc aere aeneaque libra sestertium centum milibus nummum, et si aliis ex causis mancipandum fuerit, mancipio accipientem ipsam hanc causam appellasse, velut his verbis: eaque res mihi esto empta hoc aere aeneaque libra dotis causa: in donationibus vero similibusque liberalitatis causis praeter causae appellationem adjecisse: sestertio nummo uno assium quattuor. Haec verba, ut alia negotia imaginaria nummo uno facta esse legimus, velut usufructus locationem aut venditionem, in mancipationibus liberalitatis titulo factis adjecta verbis legitimis in omnibus donationum per mancipationem confectarum instrumentis, quae nobis servata sunt, reperimus,[26]) nec Trekellio et Meermanno ceterisque assentior hunc sestertium nummum unum cum asse mancipationis confundentibus, sed potius Huschkio, qui sestertium ad assem accessisse conjicit lacunae cujusdam explendae causa, quae in hujusmodi mancipationibus exsistere videretur. Nec repugno, quominus in ceteris mancipationibus praeter emptionis causa factam mancipio accipiens solitus fuerit causam appellare, nec quominus, si causa erat vera emptio, quanti empta esset res, addiderit, tametsi his de rebus testimonium nullum adsit.[27]) Sed meo judicio minime necesse erat nec pretii mentio, nec causae appellatio, nec in mancipationibus liberalitatis causa factis sestertii nummi unius assium quattuor adjunctio. Ac donationis causam praeter ceteras appellando is, qui mancipio accipiebat, gratum animum testificabatur. Et in iis mancipationibus, quibus vera suberat emptio venditio, pretium saepe expressum esse puto, ut constaret de obligatione, quae re repetita nasceretur.

§ 14.

Haec de genere mancipationis valentis sua vi ac potestate ac sine ulla causa accedente ad effectum suum pervenientis posita si vera sunt, eamque ob causam statuendum est legem XII. tabularum loco memorato de traditione et de ea quidem sola locutam esse, argumentis firmanda est sententia nostra, jam illo tempore et inde ab initio in rebus nec mancipi traditionem ex justa causa factam ad dominium acquirendum suffiecisse. Non me referam ad L. 48 D. de pactis, ubi Ictus „In traditionibus rerum, inquit, quodcumque pactum sit, id valere manifestissimum est.“ — Quae verba ex Gaji libro tertio ad legem XII. tab. desumpta legimus. Namque non dubito, quin ipse Gajus scripserit: In mancipationibus rerum mancipi rel., quoniam ex Fragm.

[26]) Morem hunc testatur etiam Justinianus in L. 37 C. de donat.: verba superflua, quae in donationibus poni solebant, scilicet sestertii nummi unius assium quattuor, penitus esse rejicienda censemus.

[27]) Huschkius quidem nititur verbis Pauli Fragm. Vat. § 59 item in mancipationibus: emptus mihi est pretio, deducto usufructu.

Digitized by Google

Vatic. § 47 collata cum § 50 colligere possumus, de traditionibus in in XII. tabulis cautum non esse nec valuisse.[28]) Nec magnopere nitor loco Festi s. v. „Sub vos placo in precibus quum dicitur, significat id quod supplico, ut in legibus: Transquedato endoque plorato," quae verba J. Gothofredus, assentiente Dirksenio, ex XII. tabulis et diversis earum locis sumpta esse opinatur, quia etiamsi certum esset, verbum transquedato in lege illa fuisse, tamen non constaret ad dominium rei venditae et traditae acquirendum pertinuisse. Dirksenius suspicatur verbum hoc fuisse in lege de poena perduellis, qua, ut ex L. 3 pr. D. ad Leg. Jul. majest. sequi videtur, cautum erat, eum, qui civem hosti tradidisset, capite puniri.

Constat apud Romanos ultimis liberae recipublicae temporibus res mancipi acquirendas civilem actionem, eaque deficiente usucapionem traditioni accedentem postulasse, in nec mancipi vero rebus traditionem, quae juris gentium est, ad rerum dominia mutanda satis fuisse. Reputantibus nobis utrum jam primis liberae reipublicae saeculis regumque temporibus idem fuerit observatum, an aut solae civiles rerum comparationes valuerint aut aliquando naturales in omnibus rebus suffecerint, veterum res antiquissimas parum inquirentium testimonia, quibus in alterutram partem uti liceat, paene nulla adsunt neque, quae adsunt, ejusmodi, quibus rem decidere possimus. Qua de causa mirari non licet, quod diversissime doctorum hominum ingenia rem explicaverint. Probatio paene est desperanda, hoc quaeritur, quae sit sententia probabilior. Jam primum omnium inter omnes satis constat, jus gentium sive naturale vetustius esse, proditum rerum natura cum ipso genere humano, jus civile natum esse cum civitatibus atque legibus. Hinc apparet, ante civitatem aliquam constitutam homines in ea regione jure naturali agentes in rerum dominiis acquirendis naturali ratione usos fuisse, civiles formas non uno tempore, sed sensim sensimque introductas esse videri pari passu cum civitatis institutis, cum legum dignitate magistratuumque auctoritate. Quid autem de priscis Romanis statuendum est? Ipsa Romanae civitatis origo varie traditur. Si verum est, conditam eam esse quasi a subita hominum colluvione e finitimis gentibus collecta, tamen ea res non prorsus magnam verisimilitudinem affert sententiae eorum, qui formarum proprie civilium magnam olim et vim et usum fuisse animadvertentes omnia hominum privorum jura a reipublicae auctoritate profecta, totumque jus civile sive privatum a civitate fundatum ejusque potentia demum progredientibus saeculis explicatum solutumque esse affirmant. Omni id historiae rationi contrarium esset docentis jus privatum quaeque ex ea proficiscuntur

[28]) § 47: In re nec mancipi per traditionem deduci ususfructus non potest, neque in homine, si peregrino tradatur: civili enim actione constitui potest, non traditione, quae juris gentium est. Cf. § 50: Pomponius putat ad certum tempus deduci (usumfructum sc.) nec per in jure cessionem, nec per mancipationem, sed tantum transferri cum posse. Ego didici et deduci ad tempus posse, quia et mancipationem et in jure cessionem lex XII. tab. confirmant. — Per mancipationem constitui ususfructus non poterat, nihilominus poterat deduci, quia, quod lingua in mancipio faciendo nuncupasset, lex ratum esse jusserat. Per traditionem ususfructus, ut res incorporalis, constitui non poterat, sed ne deduci quidem poterat, quia lex id ratum esse non jusserat.

Digitized by Google

privatorum vi et efficientia constitui, dum respublica majorem usque sibi assumens auctoritatem magis magisque subegerit viceritque singulorum hominum voluntates.

Qui in altera parte stantes omnibus rebus recte acquirendis civilem solennemque formam vindicant, partim mancipationem antiquitus ad omnes res pertinuisse contendunt, partim per in jure cessionem omnium rerum dominia initio mutari oportuisse affirmant, accessisse deinde in rebus mancipi mancipationem, nec mancipi rebus etiam tum in jure cessionem postulantibus, dum temporum decursu sive usu sive lege introductum sit traditionem suffecisse. De mancipationis usu latius patente, quem nonnulli vetustati assumunt, jam supra dictum est, causam non inveniri, cur, quae res antea mancipari solitae fuerint et debuerint, postea ne potuerint quidem mancipari. Quid vero dicemus de in jure cessione, quam lege XII. tabularum confirmatam vetustam admodum esse negari non potest? Eam formam solennem, adhibitu difficilem et molestam adversarii dicunt inveniri non potuisse, si eodem tempore traditio eandem habuisset dominii tranferendi potestatem. Gajus sane (II. 25) tradit plerumque et fere semper mancipationibus uti Romanos: quod enim ipsi praesentibus amicis agere possent, id necesse non esse cum majore difficultate apud praetorem aut praesidem provinciae quaerere. Sane fuit difficilior, quam traditio, sed quin apud priscos Romanos major fuerit in jure cessionis, quam mancipationis difficultas, dubito. Equidem de ratione inter in jure cessionem ex una parte et ex altera mancipationem et traditionem intercedente sic sentio. Traditio, ut acquisitio juris gentium, prima fuit. Invaluit autem, forsitan pridem admodum, res ex hostibus captas reipublicae acquisitas, quae et maximi erant momenti et cognitionem habebant non difficilem, ritu ei, quo publice venumdabantur, simili, mancipio testibus, qui comitia adumbrarent, praesentibus alienari. Postea alia forma civilis desiderata est in iis adhibenda, quae etsi fortasse nonnunquuam mancipabantur, proprie tamen credebantur non recipere mancipationem, maxime in rebus incorporalibus, quarum tantum jura praediorum rusticorum ad speciem rerum corporalium proxime accedentia mancipari solebant. Eum actum, ut res dubitationem non admitteret, potissimum in jure apud magistratum peragi voluerunt: imitati sunt mancipationis formam, praeterquam quod nec aes et libra nec testes adhibebantur, quorum vicem scilicet magistratus obtinebat. Itaque rem acquisiturus tenens eam, ut in mancipatione, „Hanc ego rem, inquiebat, ex jure Quiritium meam esse ajo.“ Qui postquam ita vindicaverat, praetor eum, qui cedebat, interrogabat, an contra vindicaret. Quo negante aut tacente illi rem addicendo perfectionem negotio dabat, sicut in mancipatione libripens indicabat verbis „rauduscule libram ferito.“ [29])

Progressione reipublicae Romanae quum et majorem haberet in jure cessio difficultatem, et magistratibus rebus parvis molestiam non coacti afferre nollent, in rebus

[29]) Eodem jure, quo lis symbolica dicitur in jure cessio, mancipatio quoque dici potest. Quod juris consulti de vindicatione loquuntur, nihil ad rem facit, quoniam vindicare (vim dicere) rem nihil est aliud, atque rem sibi assumere. Quodsi lis fuerit, oportuit eum, qui cedebat, contra vindicare.

Digitized by Google

mancipi fere semper, ut Gajus dicit, mancipatione, in rebus nec mancipi non facile in jure cessione utebantur, praeterquam in rebus incorporalibus traditionem non recipientibus, forsitan etiam in rebus oppido pretiosis, velut gemmis, margaritis, vestibus sericis aliis ejus generis rebus. In rebus nec pretiosis nec diuturnis puto in jure cessionem usitatam nunquam fuisse (nam id natura rerum omni lege valentior non patiebatur) persuasum mihi est, quamquam quominus ea homines scrupulosiores et nimium diligentes interdum usi sint, non repugno. Nec ullam rem arbitror movere nos, ut traditionis effectum res nec mancipi transferendi negemus. Plurimi ad locum quendam Gaji (II. 40) se referunt dicentis, olim populum Romanum eodem usum fuisse jure, quo peregrinos unum habentes dominium ex jure Quiritium: postea divisionem accepisse dominium, ut alius posset esse ex jure Quiritium dominus, alius in bonis habere. Quibus consideratis contrariam magnopere sustentari sententiam non existimo. Hoc enim, non plus, Gajus mihi indicare videtur, olim eum, qui rem mancipi traditione tantum sibi comparasset, a praetore nondum adjutum fuisse in re vindicanda, nec tutum doli exceptione adversus auctorem ut dominum ex jure Quiritium rem vindicantem. Attamen non prorsus crederem eum, qui rem nec mancipi traditione sibi acquisierat, ex jure Quiritum eandem vindicare potuisse, tametsi vindicare eum potuisse persuasum mihi habeo. Jure Quiritium enim, ut opinor, illud jus designabatur, quod populi reive publicae quasi confirmatum et munitum esset auctoritate, quippe comparatum per aes et libram, in jure cessione, censu, confarreatione, adjudicatione, usucapione. [30])

Puchta adversariam amplexus sententiam, homines privatos initio res sibi quemque comparasse ex bello captas addictione magistratus autumat, quum aut imperator res praedae inter milites distribueret, aut quaestor singulis venderet: eas res deinde inter privatos dominos mutasse in jure cessione, quae et ipsa esset addictio magistratus, quum ex mente veteris juris utique solennis acquirendi modus poscerétur: postea accessisse actum privatum, mancipationem, quo faciliori ritu res mancipi compararentur: mancipationis enim usu in rebus mancipi supervacaneam redditam esse in jure cessionem cum majore conjunctam difficultate: tandem etiam res mancipationem non admittentes solutas esse necessitate in jure cessionis. Ex Puchtae sententia singularia profecto fuerunt hominum Romanorum ingenia, qui censuerint agros, quamvis magnos, domusque optimas privato posse actu comparari, aratra, crates, palas non item, qui homines, equos, boves per mancipationem suos facere non dubitarint, oves vero, capras, sues (ne dicam de anseribus, columbis, gallinis), nisi a praetore addictas recte atque ordine acquisitas esse non existimaverint. Sane ridiculum paene fuisset, si res nec mancipi, illis temporibus omnes fere minimae et levissimae, in jure cedi, a praetore addici solitae fuissent.

[30]) *Ihering, Geist des röm. Rechts* p. 214. Iheringius suspicatur, de iis, quae jure civili septa et quasi a populo confirmata essent, centumviros judicasse. Quae sententia non parum sustentatur loco apud Cic. de orat I. 38.

Digitized by Google

§ 15.

Superest, ut de nuncupatione dispiciamus. Quae in mancipio faciendo lingua nuncupasset, rata esse jusserat lex XII. tabularum. Verumtamen non prorsus quidquid libebat, nuncupando adjici poterat, ut jus ratumque esset. Primum enim oportebat, quae nuncuparentur, non pugnare cum ipso mancipio, quemadmodum pugnasset dies conditiove adjecta. Deinde plura prohibebat publica quaedam ratio, velut quominus novo domino alienandi potestas adimeretur jusque ejus alio modo nimium restringeretur, quum ex indole juris Romani, veteris praesertim, talia pacta dominii naturae adversaria nullius momenti essent. Quas leges contractui dici licebat, eae tum mancipio dantis, tum accipientis gratia adjungebantur, accipientis exempli causa fundum optimum maximumque esse, servum cum peculio venire, viam, actum, iter, aquaeductum praestitum iri, mancipio dantis veluti fundum mancipari deducto usufructu, recepta servitute, detracto loco sepulchri, vel haec lex venditionis, si quid sacri vel religiosi vel publici esset, ejus nihil veniisse. In his, quas nominavi, legibus aut jus aliquod in mancipatione deducebatur emptori, aut amplius jus meliusque definiebatur. Alia vero nuncupabantur eo, ut, qui mancipio accipiebat, obligationis vinculo obstringeretur. Harum legum et frequentissima et gravissima fiducia erat, qua ad remancipandam rem sibi mancipatam obligabatur. Fiducia, ut Christiansenius in hist. jur. p. 158 seqq. demonstrat, variis ex causis fieri poterat et fiebat, velut quasi pignoris jure cum creditore promittente, si pecunia debita persoluta esset, se rem mancipio suam factam remancipare, vel eo consilio, ut tutius res domo profecturi aliisve rebus impediti hominis apud amicum esset, vel eo, ut mancipio accipiens re mancipata ad certum tempus certave in re uteretur, sive gratis sive mercede constituta. Multa igitur negotia hoc modo per aes et libram peragi licebat, quoniam effectum si quaerimus fiducia contracta pignora constituebant, deponebant, commodabant, locabant. Oportebat vero rem, qua de ageretur, ejusmodi esse, quae mancipationem reciperet. Quodsi res nec mancipi esset, in jure cessione opus erat. Nam per eam quoque, quum tantundem, quantum mancipatio valeret, fiducia contrahi poterat, eaque res, ut suspicor, non parum hujus legis actionis usum suadebat, quum praesertim traditio, de qua lex XII. tabularum non jusserat ratum esse, quod lingua nuncupasset, ad fiduciam contrahendam non sufficeret. Huschkius sane in ephemerid. jurispr. hist. XIV. p. 243 fiduciae causa conjicit etiam res nec mancipi mancipari potuisse. Sed vereor, ne subtilior sit viri doctissimi argumentatio. Quod Gajus (II. 59) dixerit, qui rem alicui fiduciae causa mancipio dederit vel in jure cesserit rel., nec de rebus mancipi mancipio dandis locutus sit, hoc magno adjumento non esse Huschkii opinioni duco.

Qui fiduciam accipiebat (nam et ipsa res fiducia dicebatur), quoniam rem suam

Digitized by Google

esse ex jure Quiritium praedicabat, utique dominus fiebat, eamque ob causam vindicatione ei, qui dederat, adempta actio fiduciae comparata erat, judicium bonae fidei.

Quaeritur, cujus fuerit legem mancipii dicere, ejusve, qui mancipio accipiebat, an ejus, qui dabat? Si forte fundus deducto usufructu mancipandus erat, legimus mancipio accipientem ita locutum esse: „Hunc ego fundum ex jure Quiritium meum esse ajo deducto usufructu.“[31]) Sed tamen putarem eum quoque, qui dabat, ea, quibus mancipium definiretur, nuncupavisse, maxime si ipsius commodo adjungerentur, sicut ea, quibus alter obligaretur. Qua de causa in fiducia contrahenda puto eum, qui dabat, legem fiduciae dixisse, velut his verbis: „Hanc ego rem tibi fiduciae causa mancipio do ea lege, ut mihi remancipes ita, uti ne propter te fidemve tuam captus fraudatusque siem.[32])

De obligationibus ex mancipatione oriundis alio loco, expositis iis, quae de nexi obligatione sentio, dicere institui. Jam ipsum nexum considerabimus.

§ 16.

Admonui supra, nonnullos auctores veteres omnia per aes et libram acta nexa appellasse, eos plurimos nostrum secutos fuisse, statuique nexum recte dici non posse, nisi per aes et libram contracta obligatio inveniretur. Jam instituenti adumbrare et, si potuero, explicare nexum eadem mihi via utendum visum est, qua in mancipio explorando, ut ab iis, quae alia magis, alia minus certa exploratoque reperirentur, ad illa transirem, quae vetustate occulta involutaque laterent. Regula est juris Romani, eodem genere quidque dissolvi, quo colligatum sit, ideoque obligationem re contractam re solvi, verborum obligationem verbis, nudi consensus obligationem contrario consensu tolli. Et generaliter Paulus ait: „Fere quibuscunque modis obligamur, iisdem in contrarium actis liberamur.“[33]) Hoc non ideo dicitur, quasi contraria forma adhibeatur, quod quidem natura rerum refragante fieri nequit, sed idcirco verum est, quod, quae insunt in negotiis, ea in contrarium concipiuntur, quod, quae in contrahenda obligatione affirmata sunt, in liberatione negantur. Atque ea quidem, quae forma sua maxime constant, simili vel certe ejusmodi, quae paribus viribus effectuque praedita sit, forma tollantur necesse est. Quae quum ita sint, liberatione cognita facultas erit ipsam cognoscere obligationem, cujus fiat liberatio.

Nexum per aes et libram gestum esse constat. Eodem modo, imaginaria solutione per aes et libram, quasdam obligationes sublatas esse, Gajus (III. 173—175) nobis est auctor. Quae res eodem fere ritu, quo mancipatio, peragebatur. Praesentibus civibus Romanis quinque testibus et libripende is, qui liberatur, certa quaedam

[31]) Fragm. Vatic § 50.

[32]) Cic. de off. III. 17.

[33]) L. 153 de R. J. L. 35 eod. L. 80 de solut. Gaj. IV. 119.

Digitized by Google

verba locutus aere libram percutit idque aes dat alteri parti, non pretii loco, ut in mancipiis, sed tanquam solvendi causa. Hac imaginaria solutione per aes et libram Gaji tempore utebantur tum in eo, quod per aes et libram gestum erat, tum in eo, quod ex judicati causa, tum etiam in eo tollendo, quod ex legato per damnationem relicto debebatur. Quae quidem obligationes licet diversis ex causis profectae esse videantur, tamen in liberatione similis formula, ut videtur, usitata erat. Quamobrem fere necesse est cognationem inter eas intercessisse, quae quidem alia jam esse non potest, quam quod eadem natura eademque earum potestas fuerit. Et legati quidem illius in hoc praecipua posita erat potestas, quod in testamento, ut antiquissimo tempore coram ipso populo condito ab eoque, ut videtur, confirmato, ita serius coram civibus populi vice fungentibus facto, scriptum erat: Heres meus Stichum servum dare damnas esto. Nam quod Gajus et Ulpianus scribunt, etiam si dato, facito, dare jubeo scriptum esset, tamen esse per damnationem legatum, hoc procul dubio olim, ut ipsa legati appellatio clamat, ita non fuit,[34]) nec in hac causa omnia eadem fuisse suspicor, atque si veteri forma usus fuisset testator. Itaque per damnationem legato relicto, heres perinde erat obligatus, ac si damnatus esset. Poterat autem testator ita heredem obligare, ut damnatus esset. Nam lex XII. tabularum non modo generatim, quod in mancipio faciendo (et erat species mancipationis familiae venditio) lingua nuncupasset, verum etiam specialiter, quod paterfamilias super pecunia tutelave suae rei legasset, ratum esse jusserat. Erant igitur heres testamento dare damnas jussus et debitor jure judicatus re pari obstricti: ille condemnatus erat lege ita jus esse jubente, hic judicis a populo delegati lata sententia. Et quoniam eae obligationes illa imaginaria solutione per aes et libram tollebantur, liberatio haec efficiebat, ut qui fuerat, jam damnatus non esset. Quae omnia si animo colligimus, quum eadem solutione per aes et libram id quoque, quod praeter testamenti causam per aes et libram gestum erat, tolleretur, eum quoque, qui aere et libra esset obligatus, si quum debuisset, se non liberasset, in eadem fuisse causa, atque damnatum vel judicatum, dicemus.

Haec, de qua Gajus loquitur, imaginaria solutio per aes et libram, alia non erat, atque nexi liberatio ab Aelio Gallo apud Festum s. v. Nexum sic appellata. Hoc in dubium vocare non oportuit. Nexi liberatio etenim, quoniam Aelius Gallus eam in numero eorum esse dicit, quae per aes et libram gerantur, non omnes complectitur causas, quibus nexi obligatio tollatur, verum ipsa per aes et libram fiat necesse est. Ex quibus conjectura consequi possumus, omnia per aes et libram gesta vel, ut Manilius et Aelius Gallus dicunt, omnia nexa iisdem facta esse solennibus, quibus tum nexi liberatio tum mancipium agebatur. Hoc confirmatur probaturque

[34]) Clarius etiam alia vetus appellatio loquitur. Nam ut ex Agroetio (de orthogr. p. 2271 Putsch.) discimus, appellabatur etiam damnas esto legatum.

Digitized by Google

eo, quod et testamentum, quod per aes et libram, et solutio, quae ita appellatur, eadem habebant solennia, quod Ulpiano (XX. 2) per mancipationem fieri idem est, ac per aes et libram fieri, quod ipsa mancipatio nexu traditio, denique pro eadem per aes et libram mercari dicebatur. [35]) Omnia ergo per aes et libram acta, in iis omnia nexa, quinque testibus populi in classes divisi vicem obtinentibus et libripende libram tenente praesentibus peragebantur, in eoque actu omnium maxime civili et tanquam ab ipso populo confirmato et munito altera pars certa quaedam solenniaque verba locuta asse vel particula aeris libram percutiebat idque aes alteri parti dabat, in mancipio quasi pretii loco, in nexi liberatione tanquam solvendi causa. Id rauduscul um quo consilio dederint in eo nexo, quod quum neque mancipium esset nec liberatio nexi, proprie, quoniam de eo per aes et libram liberabatur, nexum dicemus, dubium jam esse nequit, eo scilicet, ut, qui dabat, alterum obligationis vinculo sibi obstringeret. Cujus quidem obligationis eam fuisse intelleximus indolem potestatemque, ut illi ex causa judicati par haberetur.

§ 17.

Quae quum ita sint, quum de ipso nexo, quod vere dicitur, perpauca apud veteres tractata reperiamus, operae pretium esse videtur, primum inquirendo in illa, de quibus pleniorem notitiam habemus, tum de natura per damnationem legati, tum de nexi liberatione sive solutione per aes et libram, tum vero de judicati causa antiquissimis temporibus quid statuendum videretur, indicare. Supra suspicatus sum, antiquitus in legato illo necesse fuisse testator verbis dare damnas esto uteretur. De hoc legato per damnationem relicto heredem imaginaria solutione per aes et libram liberari nominatim Gajus dicit. Quibus indicat, de legato sinendi modo, etsi testamento per aes et libram relicto, hoc modo liberari non posse. Nec hujusce rei causa esse potest, quasi heres damnatus non sit, quum sinendi modo ita legetur: Heres meus damnas esto sinere. Alia igitur ratio quaerenda est, eamque ipse Gajus significat circumscribendo usum solutionis per aes et libram in ipso legato per damnationem relicto eo, ut dicat, de eo tantum posse hoc modo liberari, quod pondere, numero constet et ita, si certum sit. Adjungit quosdam etiam de eo, quod mensura constat, idem existimare. Sinendi modo enim incertum relinquitur, quia omne, quod in faciendo aut non faciendo consistit, incertum est. At nondum satis est, certum esse, quod relictum sit, oportet res legatas aut pondere aut numero constare: de iis, quae mensura consistunt, dubitabatur. Quaenam est hujusce rei ratio? Secundum formulam, qua in actu solenni debitor utebatur, quaeque nobis, etsi non integra,

[35]) Cic. Top. 5. Horat. ep. II. 2 v. 15. Si proprium est, quod quis libra mercatus et aere est.

Digitized by Google

servata est, primum postremum solvebatur.[36]) Verum dici non licet, ideo per aes et libram de ceteris rebus certis liberationem fieri non potuisse, quia in rebus nec pondere, nec numero, nec mensura constantibus primum postremumque non inveniatur, sed potius statuendum est, in formula de primo et postremo agi, propterea quod ad alias res nexi liberatio non pertineret. Porro quod dubitabatur de rebus, quae mensura continentur, an hoc modo liberari posset, idque plerique negabant, suspicor solutionem per aes et libram proprie ad eas tantummodo res pertinuisse, quae pondere, numero constarent, dum jurisconsulti quidam etiam in rebus mensura consistentibus primum et postremum contineri perspicientes in his quoque eam admittendam esse putaverint. Proprie vero et initio ne in iis quidem rebus omnibus, quae penduntur et numerantur, solutionem per aes et libram locum habuisse existimandum est, sed in sola pecunia sive appendenda erat sive numeranda. Aliter enim intelligi non potest, quare in iis rebus, quas metiri solemus, quae semper fere cum illis conjunctae reperiuntur iisque exaequantur, adhiberi non potuerit.

His disputatis probabile fit, nexi obligationem solutione per aes et libram sive nexi liberatione tolli solitam, proprie, initio autem unice, pecuniae fuisse, sive aereae pondere, sive argenteae aureaeque numero constantis. Atqui quamdiu sola aerea pecunia utebantur Romani, quum appenderetur ejusque in pondere vis et potestas esset, quumque peregrini nummi argentei mercis loco haberentur, solummodo aes, ut videtur, obligationis causam praestabat. Quod confirmatur verbis formulae liberationis superstitibus „hanc ego libram primam postremam.“ Quae verba serius etiam in argentea aureaque pecunia solvenda apta erant et convenientia, quia omnis pecunia non modo ad libras aeris facili negotio referri posset, sed etiam aeris appellatione comprehenderetur.[37])

Quod modo statui, nexum vel nexi obligationem pecuniae sive aeris obligationem fuisse, ea sententia plurimis locis, qui de ipso nexo agunt, adjuvatur:

Varro de L. L. VII. 105. Liber, qui suas operas in servitutem pro pecunia quadam debebat, dum solveret, nexus vocatur, ut ab aere obaeratus.

Festus s. v. Nexum aes apud antiquos dicebatur pecunia, quae per nexum obligatur.

Id. s. v. Nuncupata pecunia est nominata, certa, nominibus propriis pronuntiata: Quum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupassit, ita jus esto.

Liv. II. 27. Appius quam asperrime poterat, jus de creditis pecuniis dicere. Deinceps et qui antea nexi fuerant, creditoribus tradebantur, et nectebantur alii.

[36]) Huschkius formulam hanc probabiliter, ut mihi quidem videtur, sic restituit: Quod ego tibi tot milibus eo nomine jure nexi sum damnas, solvo liberoque hoc aere aeneaque libra hanc tibi libram primam postremamque secundum legem publicam.

[37]) L. 159 de V. S. Etiam aureos nummos aes dicimus. Seneca de benef. V. 14.

Digitized by Google

Liv. VIII. 28. Pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Ita nexi soluti cautumque in posterum, ne necterentur.

§ 18.

Nexi igitur obligationem certae pecuniae intelligo per aes et libram gestorum solennibus damnatione interveniente constitutam. Ad certam pecuniam etiam similitudo rei judicatae nos rejicit. Ratio inter nexum et rem judicatam intercedens omnino eadem erat, quae inter mancipationem et in jure cessionem intercedebat. Nexi autem obligationem, ut perinde civilis, atque judicati, esset, oportebat habere, quae in re judicata obtinerent. Jam vero formularum, quae inde a lege Aebutia lata in usum venerunt, omnium ad pecuniariam aestimationem condemnatio concipiebatur, sed olim, Gajo (IV. 48) teste, in ipsam rem fiebat. Atqui complures loci significant, creditori non licuisse manum reo injicere, nisi pecuniae esset judicatus, nec ullum testimonium exstat, quod de alio, quam pecuniae judicato loquatur. Inprimis illud testantur ipsa verba actoris manum judicato injicientis solennia, quae apud Gajum (IV. 21) leguntur, et, ut mihi quidem videtur, verba ipsius legis XII. tabularum a Gellio (XX. 1) nobis servata: Aeris confessi rebusque jure judicatis triginta dies justi muto. Post deinde manus injectio esto. Hanc legem varie interpretes intelligunt, quum alii aes confessum et res jure judicatas ad solam pecuniam referant, alii ad omnia debita, sive in dando sive in faciendo consistat obligatio, alii vero intelligant de quibuscunque pecuniae obligationibus.[38]) Huschkius recte explicat illa ita, ac si scriptum esset: Aeris confessi et aeris rebus jure judicatis triginta dies justi sunto. Qui sensus videtur optime et magis quam alius cum verborum structura attente considerata quadrare. Quodsi legis actionum temporibus in rem aliam praeter pecuniam certam condemnatio facta erat, judicato satisfacere actori detrectante, litis aestimatione a judice arbitrove facienda opus erat, ut in eum per manus injectionem agere liceret. Hoc arbitrium liti aestimandae, postquam per formulam agi coeptum est, cum ipso judicio est conjunctum, adque ideo judex statim pecuniae reum condemnabat.[39])

Quae omnia si animo colligimus, quum nexi obligatio pecuniae sit, apparet, actum civilem, quo contrahebatur, non minus in aere appendendo, quam testibus praesentibus populi vice fungentibus verbisque solennibus nisum fuisse. Sed quaeritur,

[38]) Cf. *Bachofen, das Nexum etc.* p. 132 seqq. *Huschke, Recht des Nexum.* p. 13 u. 17.

[39]) Loci, qui de pecuniae judicato agunt, hi sunt. Gaj. IV. 21 cit. Quod tu mihi judicatus sive damnatus es sestertium X. milia, quae dolo malo non solvisti, ob eam rem ego tibi sestertium X. milium judicati manum injicio. Gaj. III. 78 bona — veneunt — judicatorum post tempus — quod eis lege XII. tabularum — ad expediendam pecuniam tribuitur. Gell. XX. 1 — judicatis triginta dies sunt dati, conquirendae pecuniae causa, quam dissolverent — ad praetorem in comitium producebantur, quantaeque pecuniae judicati essent, praedicabatur. Liv. XXIII. 14 quique pecuniae judicati in vinculis essent.

Digitized by Google

utrum ad nexum constituendum necesse fuerit, praeter rauduscalum pecunia sive in ipso actu sive antea appenderetur vel adnumeraretur, an alius generis debita hoc actu civili per novationem in pecuniam mutari potuerint? Equidem non dubito, quin hoc suffecerit, tametsi veteres in illis versantes temporibus, quibus nexum vigebat, saepius de pecunia credita loquantur. Illa enim causa longe gravissima erat res gestas scribentibus, qui narrarent, quemadmodum plebs aere alieno oppressa a creditoribus patriciis vexaretur. Multae sunt causae, ex quibus pecunia debetur, sed aes alienum homines pauperiores maxime pecunia mutua accipienda contrahunt. Nec dubitari potest, quin originem nexum traxerit ex eo, quod pecunia crederetur. Jam vero quotiens primis temporibus pecunia credebatur, libra propemodum necessaria erat, qua quanta esset certum fieret; et si res majoris esset momenti, non solum libripendem, qui sine studio alterius partis aes appenderet, adhibebant, sed etiam coram testibus pecuniam appendi volebant, quorum et memoriae mandaretur negotium et auctoritate confirmaretur. Attamen necesse non erat testes adhibere in ultima antiquitate, sed nec postea, quum civitatis potestas et dignitas aucta esset, ut obligatio constitueretur pecunia danda, opus erat forma solenni per aes et libram gestorum, quemadmodum in rebus mancipi transferendis mancipatio (aut in jure cessio). Haec vero obligatio, quae quotiens pecuniam creditam non per aes et libram testibus praesentibus dabant, nascebatur, neque erat nexi, sed mutui obligatio. Mutuum enim eadem re, qua traditio a mancipatione, qua pignus a fiducia, a nexo aere differebat: ut mutuum juris gentium, ita nexum vel maxime erat juris civilis. Quare nexum hoc nec speciem mutui dicere licet, nec a Livio unquam ita appellatur. Nonnunquam pro nexo aes alienum vel foenus dicit, et Dionysius proprie loquens nexum aes dare ἐπὶ σώμασι δανείζειν appellat (IV. 9).

Exstiterunt, qui antiquitus apud Romanos praeter actum civilem, qui per aes et libram gerebatur, nullum actum privatum firmum ratumque fuisse existimarent. Cui sententiae quum testimonia desunt, tum natura rerum videtur repugnare. Quoniam ea, quae sunt juris gentium sive naturalis, semper tempore praecesserunt ea, quae ex jure civili alicujus populi civitatisve descenderunt, postquam jus civile introductum est, vim potestatemque sibi comparavit, comparatam firmavit, nunquam tamen adeo momento suo valuit, ut prorsus sublato jure gentium unum regnum teneret. Quotiens per aes et libram credita pecunia dabatur, qui accipiebat, arctiore vinculo creditori obnoxius fiebat, quam mutuam accipiendo, propterea quod tanquam coram populo ipso negotium peragebatur ab eoque confirmabatur. Tum enim, quod vix sine temeritatis crimine in dubium vocari potest, creditori potestas dabatur, debitori, qui die praestituta non persolvisset pecuniam, sine ullo judicio manum injicere eumque domum abducere, adversus infitiantem autem in duplum lis crescebat, ut omnis paene infitiandi ratio adempta esse videretur. Haec res maxime valuit, cur nexum aes, non mutuum daretur.

Digitized by Google

§ 19.

Haec nexi aeris obligatio quaeri potest, qualis fuerit, verbisne an re contracta? [40]) Quandoquidem quotiens pecuniam mutuam dantes eandem mox stipulamur, una nascitur obligatio eaque verborum, propterea quod verborum obligationis potior causa habetur idque agitur, ut sola stipulatio teneat, idcirco probabilitatem habere videtur, nexi obligationem, cujus in verbis certis praecipua vis posita sit, verborum esse. [41]) Accedit, quod utrumque negotium et strieti juris est et forma sua maxime valet. Verumtamen non omni ex parte similia sunt, propterea quod ipsa nexi forma, ut jam nomen, quod ab aere et libra sortitum est, indicat, praeter verba certa etiam rauduseulum dari requirit, ideoque hactenus re contrahitur. Tamen nec re contrahi dici potest nexi obligatio, quae tum ex verbis, tum ex toto actu substantiam capit. Quid igitur est? Statuendum esse arbitror, et actu et verbis et re nexum constitui, quamadmodum de stipulatione loquens Modestinus in L. 52 § 3 de O. et A. re et verbis pariter nos obligari ait, si et res interrogationi intercedat. A stipulatione hoc quoque differt nexum, quod obligatio, quae ex stipulatione proficiscitur, universe ad dandum faciendumve spectare potest, dum nexi obligatio in pecunia danda consistit. De causa obligandi controversia est, quum alii nexum nisi pecunia data constitutum non esse affirment, alii qualiacunque debita in nexi obligationem transferri potuisse censeant. Qui pecuniam datam requirunt, alii necesse fuisse existimant, ut in praesesentia testium sive appenderetur sive adnumeraretur, alii suffecisse, si ante actum solennem sive mutua sive alia ex causa, forte depositi, data esset. Equidem putarem non modo quod alia ex causa quacunque deberetur, per novationem potuisse in nexi obligationem deduci, verum omnino causam requirendam non fuisse. Sua vi ac potestate nexum consistebat: ea ipsa re, quod quis coram testibus populi classes imitantibus patiebatur se pecuniae damnari, quasi confitebatur se debere tantundem, quantum alter praedicarat, caque confessio non video cur minus efficax pollensque fuerit, quam in jure facta, quum talis inesset vis in iis, quam per aes et libram gerebantur, qualis incrat in iis quae apud praetorem in jure agebantur. Nam quod in jure cessio, idem valebat mancipatio, quod judicatio et confessio in jure, idem valere debebat damnatio in nexo faciendo pronuntiata. Hac tamen re ejusmodi damnatio atque confessio cum ea tacite conjunta a re judicata et confessione in jure discrepabant, quod utraque in futurum tempus concipiebatur. Erat confessio pecuniae debitae non statim, sed post certum tempus solvendae. At eo ipso, quod nonnisi pecuniam vel aes debitor in nexo faciendo confitebatur, haec confessio major erat vel certe esse poterat ea, quae in jure edebatur, quum haec etiam alius debiti esse posset. Quoniam vero con-

[40]) *Huschke, Recht des Nexum* p. 25—27.
[41]) L. 126 § 2 de V. V. L. 6 § 1. L. 7 de novat. et solut.

Digitized by Google

fessionem aliarum rerum in jure editam et judicationem in rem ipsam, ut manus injectioni locus esset, in pecuniam per aestimationem redigi oportebat — XII. tabulae enim tantum de aere confesso locutae erant, — idcirco creditores efficere cupiebant, ut debita alius generis per aes et libram in pecuniae debitum mutarentur.

§ 20.

Hoc per aes et libram gestum, quo nexum aes dabatur, multi difficultates, quas talis opinio probanda habet non parvas, pro suo quisque ingenio effugere aut vincere tentans, mancipationem fuisse voluerunt. Et alii quidem pecuniam antiquitus rem mancipi fuisse existimantes ipsum aes mancipatum esse affirmarunt. Verum propositio, qua haec opinio nititur, sine qua stare non potest, probabilitatem habet nullam.[42]) Quare alii aliud excogitarunt, quod mancipio datum fuerit. Quidam censent, debitorem se ipsum mancipasse.[43]) Quod quin fieri potuerit, jure dubitabimus, quum jam ipsum hoc, quod dabatur mancipio (nam sic plerumque, apud antiquiores unice dicebatur, mancipandi verbum serius in usum venit), impedimento esse videatur. Nusquam legimus liberas personas alieni juris servosque mancipio se dare ipsos, nec homines sui juris mancipari potuisse. Quae personae liberae mancipabantur, eae juri vel potestati alicui subjectae erant, atque ab eo, cujus in potestate erant, mancipio dabantur. Nec obstat, quod feminas patriae potestati non subjectas coemptionem fecisse legimus. Nam eas quoque ab aliis mancipatas esse constat, a tutoribus nimirum, qui in iis jus potestatemque patriae non dissimilem, olim vero persimilem habebant. Alii animadvertentes neminem se ipsum potuisse mancipare, operas suas debitores mancipio dedisse putant.[44]) Quas nemo satis probavit res mancipi fuisse, neque id probari potest, verique autem plane dissimile est, veteres Romanos tam subtiliter de hujuscemodi rebus cogitasse, ut in operis hominis, liberi praesertim, res incorporales viderent. At etiamsi fuerint, quominus istam sententiam probemus, prohibet regula juris, secundum quam per temporis vel conditionis adjectionem in totum mancipatio vitiatur.

Quae quum ita sint, equidem nec causam video, cur nexum constitutum esse per mancipationem necesse videatur. Mihi videtur nexum quam maxime a mancipio diversum fuisse, eodem modo, quo a dominio distat obligatio. Nam mancipium, sicut vidimus ipsumque nomen significat, praeterquam quod ea potestas in liberos homines mutabatur, rerum quarundam transferendarum causa comparatum erat, nexum vero,

[42]) Gajus (II. 19, 20) nominatim quum vestem, tum etiam aurum et argentum rebus nec mancipi adnumerat, significandi causa, ut suspicor de his rebus ut pretiosioribus dubitari posse: aes enim, in quo omnis olim pecunia consistebat non putabat a quopiam rebus mancipi adscribi posse.

[43]) *Puchta, Lehrbuch für Institutionenvorlesungen* p. XXXIII.

[44]) Scheurl. p. 51sseqq. Sell. p. 43 seqq. Eos refutavit Bachofen p. 64 seqq.

Digitized by Google

quod ipsa appellatio probat, obligationis nectendae gratia. Quodsi pecunia credita danda erat, non eam ob causam per aes et libram res agebatur, ut dominium nummorum ad alterum transferretur (quod quum fieret sola tratitione, civili actione non erat opus), sed idcirco eam formam adhibere creditor malebat, quia quum facilior probatio tum nexi obligatio prae ceteris insignita erat. Per aes et libram utroque consilio negotia agebantur, tam obligationis contrahendae, quam dominii transfendi. Et nusquam dicitur, mancipio omnia per aes et libram facta ideoque omnia nexa contineri: contra mancipia in nexorum numero esse legimus. Quapropter causa non est, cur studeamus demonstrare nexi obligationem mancipatione contractum fuisse. Quid enim est, quod moveat nos, ut nullum actum praeter mancipium tam singulares effectus, quales nexum peperisse accipimus, gignere potuisse credamus, quum praesertim constet, XII. tabulas jussisse, non solum quod in mancipio, verum etiam quod in nexo faciendo lingua nuncupasset, id ratum esse? Forma quidem utrique actioni civili communis erat, sed diversum iu finem illa utebantur.

§ 21.

Quod dixi, formam nexo et mancipio communem fuisse, ita verum est, ut in utroque quinque testibus praesentibus a libripende aes appensum fuerit. Ceterum, quae erat diversitas consilii, quo agebantur, alia nexi aeris, alia mancipii propria erant. Qui mancipio accipiebat aut personam aut rem se moventem, eam apprehendere debebat, et in mancipandis praediis et servitutibus praediorum rusticorum manum eum, saltem antiquitus, sustulisse verisimile visum est. Neutrum in nexo aere contrahendo necesse erat, quoniam non id agebatur, ut qui rauduscului dabat, in suam potestatem hominem vel rem redigeret, verum id, ut alterum obligatione sibi obstringeret. Eandem ob causam dubium esse non potest, quin diversis verbis usi sint, sed quibus, formula nobis nulla servata, in incerto relinquitur. Quoniam vero in omnibus actionibus civilibus is, qui jus sibi assumebat, ideoque tam in nexi liberatione, quam in mancipatione is, quis rauduscului dabat, verba certa eloquebatur, in nexo constituendo creditoris erat, haec verba pronuntiare, quibus debitorem damnabat, ut statuto tempore pecuniam solveret. Dicebatur omnino damnatio pro obligationis vinculo, quo quis tanquam populo (vel etiam ut damnatus voti, Diis) obstrictus intelligebatur, velut ex judicati causa vel ex delicto lege prohibito. Nam eo ipso, quod damnas erat, excelsa quaedam ejus, cui erat obligatus, potestas indicabatur, quo homo privatus praeditus non erat. Quibus de causis Huschkius creditorem pecuniam creditam per aes et libram dantem in hunc fere modum locutum esse existimat: Quod ego tibi mille libras hoc aere aeneaque libra nexas dedi, eas tu mihi post annum jure nexi dare damnas esto.[45]) His verbis utebantur etiam, quotiens alia ex causa praeter pecuniam

[45]) *Huschke, Recht des* nexum p. 50 seqq. cf. ejusdem *Studien des römischen Rechts* p. 295 seqq.

Digitized by Google

creditam pecunia, sed etiam si alia res, quam tamen in pecuniam redigi oportebat, debebatur. Itaque in venditionibus, si pretium non repraesentaretur, venditorem suspicor emptorem pretii nomine nexo sibi obligasse. Quodsi res mancipi vendita mancipio dabatur, ex mancipio emptor pretii nomine jure nexi non obligabatur, quoniam mancipio accipiens non jubebatur damnas esse et ne aes quidem, quo obligaretur, accipiebat. Quare ut etiam nexi obligatio pretii nomine nasceretur, duplici actu opus erat, quorum alter ad dominium rei mancipi transferendum, alter ad obligationem nexi constituendam spectaret. Sed fortasse hac in causa diversis verbis utebatur, quibus ad mancipationem se referebat, velut his: Quod ego tibi hanc rem hoc aere aeneaque libra mille libris vendidi, eas tu mihi post sex menses jure nexi dare damnas esto.

Illa verba certa erant, quae quidem abesse non poterant. Alia, quae lex XII tabularum jus esse jusserat, nuncupando adjici solebant, inprimis foenus constitui. Tunc forte creditor addebat: cum foenore, velut unciario. Praeterea probabiliter nuncupatione adjungebatur ea conditio, ut si pecunia statuto tempore persoluta non esset, summa certa poenae nomine solveretur. Et quo tutius ageret, creditor curabat, ut res, utputa fundus, fiducia contracta sibi manciparetur, eaque causa fiduciae, ut opinor, omnium frequentissima fuit. Sed non tantum res suas, verum etiam liberos debitor fiduciae causa mancipio dabat. Hujusmodi vero mancipationibus modus definitus erat lege XII tabularum, et ut fertur, jam lege Romuli jubente filium a patre ter venumdatum liberum esse. Saepe etiam sponsores vel fidepromissores accessisse existimandum est.

§ 22.

Nunc consideremus vim effectumque nexi obligationis. Qui nexo se obligarat, is, ut jam pluries dictum est, in eadem erat causa futurus, qua judicatus erat. Judicato autem et aes confesso ex XII tabulis triginta dies justi erant ad comparandam pecuniam.[46]) Quibus praeteritis, si debitor non solvisset, manu injecta creditor eum in jus ducebat, et nisi judicatum faceret nec vindex exsisteret, domum ducebat et vinciebat. Nisi pacti essent, in vinculis tenebatur dies sexaginta, inter quos trinis nundinis continuis ad praetorem in comitium producebatur, quantaeque pecuniae judicatus esset, praedicabatur. Tertiis nundinis capite poenas dabat aut trans Tiberim vendebatur. Non solum universa, quae inter nexo obstrictum et judicatum erat similitudo illum similia, atque hunc, expertum esse designat, verum etiam non paucis locis satis clare id probatur. Debitorem, qui die praestituta non solvisset, creditor, ut conjicere licet, praesentibus testibus, qui nexo faciendo interfuerant, appellabat. Si ne tum quidem solveret nec tamen infitias iret, conquirendae pecuniae causa dies

[46]) Triginta dies erant, quia in his necessario Kalendae, quibus major erat pecuniae faciendae facultas, continebantur. Probabiliter jam ante legem XII tabularum latam triginta dies justi erant.

Digitized by Google

legitimos habebat, procul dubio triginta, ut judicatus.[47]) Qui si exiissent nec debitor solvisset, eum manu injecta domum abducere et vincire creditor poterat.[48])

Debitor, quem hoc modo creditor domum abducebat, dicebatur necti, nexum se dare,[49]) nexum inire,[50]) atque ipse nexus ob aes alienum vel simpliciter nexus vocabatur.[51]) Tum enim, quum antea aes tantum nexum fuisset, ipsum corpus debitoris creditori fiebat obnoxium, et quamvis nec servus fieret, nec, ut mancipio datus homo liber, in servilem causam deductus capite deminueretur, quum et libertatem et civitatem et familiam, uxorem, filios, bona retineret, tamen extera rei specie tanquam servi loco habebatur, quia a creditore, ac vel clausus et nervo compedibusve vinctus retineri poterat eique postulanti operas praestabat,[52]) quibus, ut videtur, per aestimationem ad pecuniam redactis primum usurae currere continuantes compensabantur, tum, si pluris essent, sors deminuebatur.[53]) Et non solum ipse nexus, verum etiam filii nepotesque, quos in potestate habebat, omniaque bona ejus nexum inibant.[54]) Ne uxor quidem in manu libera erat, sed ab ea forsitan pudor creditorem abstinebat, eamque, si aliter liberari non posse videretur, maritus remancipabat. Filios quoque magnam probabilitatem habet a patribus aere alieno oppressis aut emancipatos esse aut amico fiduciae causa mancipio datos.

Nexus igitur cum familia sua quasi pignoris loco a creditore retinebatur. Compluribus ex locis apud Livium et Dionysium sequi videtur, quasi per longum tempus in ea causa fuerint, quum tamen lex XII tabularum aes confessos et judicatos sexaginta dies retineri posse, deinde aut caedi aut peregere vendi jussisse videatur. Sed lex non dicit eos sexaginta diebus praeteritis aut caedi aut vendi deberi: jus aut occidendi aut vendendi creditori tribuit, non necessitatem injungit. Quare nihil obstat, quominus perdiu pignoris loco tam judicati quam nexi apud creditores fuerint, qui ex operis eorum sibi acquirerent. Nec tamen ex iis scriptorum locis probari potest, debitores plus quam sexaginta dies in illa causa fuisse.

Haec ita erant, si debitor nec solveret nec infitias iret. Quodsi debitum infitiaretur, nihilo minus creditor eum nec manum sibi depellere nec pro se lege agere valentem, nisi vindicem daret, domum ducebat. Vindex pro se causam agebat. Sed

[47]) Docet hoc inprimis Dion. VI, 83, ubi, quemadmodum Dion. V, 69. VI, 46, distinguitur inter eos, in quos sententia lata sit, et eos debitores, qui ex contractu obligati partim diebus legitimis praeteritis in vinculis habeantur. Cf. Dion. VI, 23. Dion. Excerpt. p. 2338 Tom. IV, Reisk. Zonar. VII, 14.

[48]) Praeter locos Dionysii adductos probant hoc Dion. IV, 9. IV, 11. V, 69 cf. VI, 1. VI, 59.

[49]) Liv. VIII, 28. Val. Max. VI, 1 § 9.

[50]) Liv. VII, 19. sorte ipsa obruebantur inopes nexumque inibant. Primus casus hic non nexum est, sed nexus, quo ipsa actio nectendi significatur, dum nexum obligatio est eo actu contracta.

[51]) Liv. II, 23. II, 24. 25. 27. VIII, 28. VII, 19.

[52]) Varro de L. L. VII, 105. Liber, qui suas operas in servitutem pro pecunia quadam (sic unus codex Paris., ceteri omnes „quam," ex Huschkii conj. „qua damnas") debebat, dum solveret, nexus vocatur, ut ab aere obaeratus. Dion. V, 53. VI. 79. Fragm. XVI, 9. Appian. de rebus Samnit. 1, 1.

[53]) Paul. S. R. II, 13, § 2.

[54]) Dion. V. 69. VI, 26. 29. VI, 37 41. Liv. II, 24. VIII, 28.

Digitized by Google

infitiatione in duplum ibat lis in omnibus causis, quae ex damnatione proficiscebantur. De actione judicati, damni injuriae ex lege Aquilia, denique de legato per damnationem relicto hoc certo scimus.[55]) Erat ea poena in re judicata temere litigantis, qui sententiam nullam esse dicens iterum rem in judicium deduceret. Eandem poenam deinde quaedam leges specialiter sanxerunt, velut Aquilia et Publilia. Quae quum ita sint, quum nexum damnatione niteretur, quum universe inter rem judicatam et nexum magna intercederet similitudo, quumque etiam legati per damnationem relicti, de quo, sicut de causa judicati et de nexo per aes et libram liberatio fiebat, infitiatione in duplum lis cresceret, dubium esse non potest, quin nexi quoque causa infitiando duplata fuerit, maxime propterea quod etiam in nexo obligatum per manus injectionem agebatur, ut in judicatum. Erant autem cum illa infitiationis poena haec conjuncta, quod neque indebitum solutum, quamvis ab ignorante, repeti,[56]) nec pacto decidi poterat.[57])

Vindex, qui interventu suo judicatum vel jure nexi damnatum liberarat, eum sine dubio manu injecta domum abducere et pignoris loco retinere poterat, sicut ipse creditor. Id sequi videtur ex jure pignoris, quod in redempto ab hostibus is, qui redemerat, habebat.[58])

§ 23.

Haec de nexo in universo. Superest, ut inquiramus, quid statuendum sit de obligationibus ex mancipationibus oriundis, et num vere dici possint nexi obligationes quasi per aes et libram contractae. Mancipationes tum potestatis in libera capita mutandae, tum rerum mancipi transferendarum causa et hoc potissimum consilio peragebantur. Jam vero emptio venditio, praeterquam quod justam praebet causam dominii transferendi, etiam mutuam gignit obligationem, quum emptor venditori pretium tradere, venditor autem teneatur rem venditam ita praestare, ut eam emptori recte habere liceat. Qua re duo continentur. Primum evictionis nomine venditor tenetur, deinde oportet rem venditam talem esse, qualem eam aut natura rerum, quarum ex genere est, postulet, aut ipse promiserit. Quid igitur est? Num haec in mancipatione quoque, quae imaginaria emptio venditio fuisse fertur, inveniuntur?

Primum ad emptorem mancipio accipientem quod attinet, quandoquidem mancipatio imaginaria erat emptio venditio pretiumque praeter rauducsculum ex ipso mancipio nullum dabatur, idcirco ipsa mancipatione, quae forte ex causa emptionis fiebat, veri pretii nomine non obstringebatur. Hoc enim nihil ad mancipationem, quod ex empto obligatus erat. Quodsi venditor effiecre vellet, ut nexo emptor pretii nomine teneretur, secundo actu per aes et libram opus erat. Nam meo judicio ne per nun-

[55]) Gaj. IV, 9. II, 282. Paul. S. R. I, 19, § 1. § 7 J. de obl. quae quasi in contr.
[56]) § 7 J. de oblig. quae quasi in contr. L. XV. C. de cond. indeb. IV, 5. Gaj. II, 283.
[57]) Paul. S. R. I, 19, § 1.
[58]) L. 15. L. 19, § 9. L. 21 pr. D. de capt. XXXXIX, 15.

Digitized by Google

cupationem quidem in mancipio faciendo de pretio solvendo caveri poterat, quum hujusmodi nuncupatio nihil ad mancipium pertinuisset ab eoque plane aliena fuisset. Nuncupatio enim, ut persuasum mihi habeo, lex erat contractui dicta, qui in mancipio eo spectabat, ut res mancipanda ad alterum transferretur.

Diversa ratio erat venditoris mancipio dantis, qui ex ipsa mancipatione, quum mancipio accipiens rem ex jure Quiritium suam esse praedicaret, si repeteretur periculum judicii praestabat. Sed debebat ei, si res evinceretur, emptor litem denuntiare eumque vindicanti rem auctorem laudare. Quod si neglexisset, auctoritatis agere non poterat, nisi venditor aut curasset, ne sibi denuntiari posset, quum testatio coram quinque testibus, qui mancipationi interfuerant, facta sufficeret, aut in jure interrogatus defugisset auctoritatem, quum in jure interrogatus respondere nolens pro confesso haberetur.[59]) Liberabatur autem periculo defensionis venditor praeterito usucapionis tempore; tum enim emptor sibi ipse auctor factus erat. Actio auctoritatis, qua venditor, si res vendita repeteretur, tenebatur, dupli nomine emptori competebat. Nam sancitum erat lege XII tabularum, ut quae lingua nuncupasset qui infitiatus esset, dupli poenam subiret.[60]) Hac enim in lege infitiatio erat pro mendacio.[61]) Qui in mancipio faciendo coram testibus populi classes adumbrantibus se rem emptoris facere eamque habere res certas qualitatesque proprias dixisset, eum, si mentitus esset, in duplum ejus, quod esset mentitus, conveniri lex volebat. Quamobrem non tantum si res empta justo judicio repetita, verum etiam si alia in nuncupatione vel lege mancipii dicta promissaque inventa non essent, velut si majorem, quam esset, modum agri, vel fundum optimum maximumque, quum serviret, venditor dixisset. Propter vitia vero, quibus venditor rem solutam non dixerat, ex mancipio obstrictus non erat. Ideo si servum sanum, furtis noxisque solutum non promisisset, emptor vitiis inventis ad actionem empti, quae in simplum dabatur, rejectus erat. A jure consultis autem, ut ait Cicero, etiam reticentiae poena est constituta.

Huschkius quidem nuper actionem auctoritatis per se in simplum tantum competentem infitiando in duplum crevisse defendit.[62]) Sed Paulus non tantum, ubi actiones in duplum infitiatione crescentes enumerat, de hac actione silet, verum etiam universe dicit venditorem re mancipata evicta auctoritatis duplo tenus obligari.[63]) Praeterea, quod ex L. 26 § 7 D. de cond. indeb. et L. 74 pr. D. de evict. colligi posse videtur, nec indebiti condictio exclusa erat et pacto decidi poterat. — Ad duplationem eorum, quae in lege mancipii a venditore dicta promissaque sunt, quod

[59]) L. 29, § 2. L. 56, § 5—7. L. 39 fin. D. de evict.

[60]) Cic. de off. III, 16.

[61]) *Rudorff, Zeitschrift für geschichtl. Rechtswissenschaft.* XIV, p. 428. 447.

[62]) *Recht des Nexum* p. 188.

[63]) Paul. S. R. XVII. 1, 3. Venditor, si ejus rei, quam vendiderit, dominus non sit, pretio accepto auctoritatis manebit obnoxius. Aliter enim non potest obligari. § 3. Res empta, mancipatione et traditione perfecta, si evincatur, auctoritatis venditor duplo tenus obligatur.

Digitized by Google

attinet, Huschkius eam excludit in omnibus, praeterquam si de modo agri venditor mentitus esset: tum infitiando litem in duplum crevisse arbitratur. At non tantum Cicero in loco, quem modo adduxi, generatim dicit ex XII tabulis ea praestanda esse, quae lingua nuncupasset, sed Varro de R. R. II. 10 § 5 de servis agens „In horum emptione, inquit, solet accedere peculium, aut si excipiet, stipulatio intercedere, sanum eum esse, furtis noxisque solutum, aut, si mancipio non datur, dupla promitti, aut, si ita pacti, simpla," satis indicio, mancipato servo duplae promissione opus non esse. Majore jure Huschkius actionem de modo agri infitiando demum in duplum crescere dicere videtur, quum Paulus et eandem iis actionibus adnumeret, et mox dicat, ex iis causis pacto decidi non posse.[64]) Sed alio loco satis clare indicat, jam propter mendacium in lege mancipii dictum in duplum actionem dari.[65]) Itaque priori in loco aliquid omissum esse putandum est, eo magis, quia interpretatio de circumscriptione loquitur.[66]) Nec causa apparet, cur venditor, qui quindecim jugera promiserit, duodecim dederit, de eo quod minus inventum fuerit, cum emptore pacisci, aut si duodecim jugeribus promissis quindecim inventa fuerint, tria condicere non possit.

Paulus non aliter posse venditorem auctoritatis obligari dicit, quam si pretium acceperit. Haec vero conditio non dubito quin a jure consultis inventa sit, qui mancipationis causam traditioni similiorem reddere, strictum jus cum aequitate conciliare studerent. Legem XII. tabularum persuasum mihi habeo pretii accepti mentionem nullam fecisse, verum sine discrimine pretium esset acceptum necne dupli poenam, si res mancipata esset repetita, injunxisse. Sed serius quum venditor pretio non accepto doli exceptione contra actionem auctoritatis se tueretur, ea res juris consultis ansam dedit, ut doctrinam, quam Paulus tradit, invenirent.

Fontes, qui de auctoritate hac perpauca continent, tantummodo de mancipatione venditionis causa facta loquuntur, quae omnino fuit omnium frequentissima, ut saepissime mancipandi appellatione simpliciter posita mancipatio venditionis causa facta intelligatur. Quid? si aliis ex causis praeter venditionem, velut ex causa permutationis, dotis, solutionis, transactionis res per mancipationem transferenda esset, num etiam tum, qui mancipio dabat auctoritatis obnoxius fiebat? Equidem affirmare non dubito, eum in his quoque causis re evicta duplotenus obligatum fuisse, quum auctoritatis obligatio ex ipso mancipio proficisceretur, lex autem XII. tabularum generatim statuisset, eum, qui in mancipio faciendo mentitus esset, quae lingua nuncupasset, dupli poenam subire. Cur de sola venditionis causa hoc sanxisset, non perspicio, eo minus, quia, qui rem praestare debent, etiam ex ceteris causis evictionis nomine teneantur. Nec donationis quidem causam, quod ad auctoritatem ex mancipio oriundam attinet, excipio, etsi hodie de evictione a donatore praestanda multi dubi-

[64]) Paul. S. R. I. 19 § 1, 2.

[65]) Id. S. R. II. 17 § 3. Distracto fundo si quis de modo mentiatur, in duplo ejus, quod mentitus est, officio judicis aestimatione facta convenitur.

[66]) — de modo agri, quum a venditore emptor fuerit circumscriptus, ut minus inveniatur, quam probatur scriptura

Digitized by Google

tant. Apud antiquos enim, ut persuasum mihi habeo, qua ex causa manciparetur, nihil prorsus referebat.

Idem, quod de auctoritate, de ceteris obligationibus ex mancipatione profectis statuendum est, atque ideo, qui agrum in solutum dederat, si de modo mentitus esset, in duplum conveniebatur. In omnibus autem his causis aestimatione judicis opus erat, quum quantum simplum esset, nondum constaret, sicut, si non semper, at saepe in mancipationibus venditionis causa factis.

Huschkius [67]) negat praeter venditorem mancipio dantem quemquam ex ipso mancipio infitiationis nomine obnoxium factum esse, ideoque opus fuisse stipulatione. Quae est Huschkii sententia de nexo nisi pecunia data non constituendo, idcirco necesse est neget ex aliis causis mancipio dantem nexo obligari potuisse. Sed nec puto obligationes illas vere nexa, i. e. ejusmodi obligationes fuisse, quae antiquitus creditori jus darent debitori sine ullo judicio manum injicere, propterea quod in his utique damnationem requiro, quam in mancipio pronuntiatam esse, nec testimoniis probari potest nec verisimilitudinem habet. Nec lis infitiando in duplum crescebat, sicut in actionibus, quae damnationis causam habebant, sed ab initio omnimodo is, qui in mancipio dando mentitus erat, quae lingua nuncuparat, in duplum tenebatur. Sane Cicero [68]) in rebus mancipi repetendis eum dicit periculum judicii sustinere, qui se nexu obligarit. Verum, ut jam ex loco Varronis § 2 adducto sequitur, eo tempore quidam omnia per aes et libram gesta, in iis omnia mancipia nexis adnumerabant. Ideo ipsam mancipationem respectu mancipio dantis, qui, si aut res evicta aut ipse in nuncupatione aliquid mentitus esset, dupli poenam subibat, nexu traditionem appellabant. [69])

Ex mancipationibus liberorum capitum ne obligatio quidem ulla nascebatur, propterea quod partium nihil intererat, quod per aestimationem ad pecuniam redigi posset. Quod quidem nullam habet dubitationem, quotiens dicis gratia fiebant, sicut in coemptionibus, in filiorum mancipationibus frequentissimis, quae eo fiebant consilio, ut mox manumissi libertatem consequerentur. Quid vero statuendum est de mancipatione ex noxali causa facta, quum mancipio accipientis ideo, quod ex operis filiifamilias mancipio dati sibi acquireret, utilitas verteretur? Talem eum, qualis erat, is, cui nocitum erat, accipere debebat, pater autem noxae datione quum omnimodo liberaretur, nec ad praestandum aliquid obligabatur. Sane olim, quum verae venditionis causa filiifamilias a patribus manciparentur, similiter atque in servis mancipandis obligatio oriri poterat.

[67]) *Recht des Nexum* p. 46.

[68]) Cic. dro Mur. c. 2.

[69]) Cic. Top. 5. Abalienatio est ejus rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu aut in jure cessio, inter quos ea jure civili fieri possunt. Boeth. ad h. l.

Digitized by Google

Ex mancipationibus igitur vera nexi obligatio non nascebatur, quae nascebatur, alia re insignita erat. Aliud tamen statuendum esse videtur de illa obligatione, qua heres ex testamento per aes et libram legatario legati per damnationem relicti nomine tenebatur, propterea quod et damnas esse jussus erat, et adversus eum, si infitias iret, modo certum relictum esset, in duplum lis crescebat. Quam ob causam non dubito, quin antiquitus, quum nexum vigeret, legatarius adversus heredem a testatore damnatum, ut certam pecuniae summam solveret, per manus injectionem agere potuerit, non minus quam si quis in nexo faciendo post statutum tempus pecuniam dare damnas jussus esset. Simile quid indicare videtur Aelius Gallus apud Festum s. v. Nexum, ubi in genere nexorum nominatim testamenti factionem commemorat.

Haec de obligationum, quibus mancipatio originem dabat, origine et natura et potestate. Tollebantur autem obligationes tam ex nexo quam ex mancipio ortae, sicut ceterae obligationes, quum solutione, tum compensatione, confusione, novatione, quae stipulatione, transcriptione, litis contestatione fieri poterat. Praeterea tollebantur imaginaria solutione per aes et libram, ut Gajus, vel nexi liberatione, ut eam Aelius Gallus appellat. Est haec tertia species per aes et libram gestorum, quae nexum non majore jure, quam quo acceptilatio stipulatio dici potest, multo minus mancipium est. Quoniam vero de forma et usu hujus solutionis jam supra § 16 et 17 quaedam allata sunt, hoc loco plura addere non attinet.

§ 24.

His tractatis tum de origine, tum de usu, natura, vi eorum, quae apud Romanos per aes et libram agebantur, nihil jam reliquum esse videtur, quam ut historiam, quae dici potest, breviter adumbremus. Et primum quidem de nexo videamus. De quo, quam terribile fuerit pauperioribus, vel, ut Livius dicere solet, plebi Romanae, et quemadmodum complurium seditionum causa facta sit, quae scriptores rerum gestarum narraverint, referre, quum a proposito nimium recedat, in animo non est. Tantum de mutationibus ipsius instituti quaedam exponam. Gajus refert, lege, cujus nomen in codice legi non potest, excepto judicato et eo, pro quo depensum erat, ceteris omnibus, cum quibus per manus injectionem actum esset, permissum esse, sibi manum depellere et pro se lege agere.[70]) Eam legem etiam ad nexos pertinentem Huschkius[71]) probabiliter Valeriam esse suspicatur, latam dictatore M. Valerio Corvino, qua seditionem debitorum periculosam apud Victor. de viris illustr. 29 et Appian. de reb. Samnit. I. 1, 2 memoratam placaverint. Eadem lege haud dubie cautum est, ne lis adversus infitiantem in duplum cresceret. Alia lex, cui impotens

[70]) Gaj. IV. 25.

[71]) *Huschke, Recht des Nexum* p. 143—147.

Digitized by Google

Publilio cuidam ab homine patricio illata injuria occasionem dedisse fertur,[72]) lata est judicatos et nexos simul spectans. Hanc legem alii consulibus C. Poetelio et M. Papirio (a. u. 429), alii dictatori C. Poetelio (a. u. 441) adscribunt. Utcunque se res habet, nostra praecipue interest, quid sanxerit haec lex Poetelia, ut vulgo nominatur. Haec sunt, quae veteres auctores tradunt:

Liv. VIII. 28. Eo anno plebi Romanae velut aliud initium libertatis factum est, quod necti desierunt. — Victum eo die ob impotentem unius injuriam ingens vinculum fidei: jussique consules ferre ad populum, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur: pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esse. Ita nexi soluti, cautumque in posterum ne necterentur.

Varro de L. L. VII. 105. Liber, qui suas operas in servitutem pro pecunia, qua damnas, debebat, dum solveret, nexus vocatur, ut ab aere obaeratus. Hoc Popilio vocare Sillo dictatore (Huschk.: Hoc C. Poetilio rogante solo dictatore) sublatum ne fieret, et omnis, qui bonam copiam jurarunt, ne essent nexi, dissoluti.

Dion. Fragm. XVI. 9. Atque ob hunc casum cuncti, qui ob aes alienum nexi erant, lege lata soluti pristinam libertatem recuperarunt.

Cic. de rep. II. 34. Quum sunt propter unius libidinem omnia nexa civium liberata, nectierque postea desitum.

His relationibus veterum attente consideratis interque se comparatis, haec puto ex iis colligi posse. Primum legem jussisse omnes, qui bonam copiam jurarent, ne essent nexi, solvi, deinde sanciendo, ne quis nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur, prohibuisse, quonimus pecuniae judicati nexique illa poena hominibus liberis et ingenuis indigna affligerentur, denique cavisse, ne quis posthac ob aes alienum necteretur, pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esse. Haec postrema, ut ex verbis Varronis consequi videtur, praecipue ad operas ante legem hanc latam a debitoribus praestandas pertinebant. Nemo dicit, ipsum nexum, quod per aes et libram fiebat, sublatum esse. Neque id quamobrem fieret, causa erat. Quare etiam posthac nihil obstabat, quominus nexi solennitas perageretur. Quum vero damnatio effectus suos insignes jam non haberet, quum nec lis infitiando in duplum cresceret, quum creditor ne ei quidem debitori, qui sibi manum non depelleret et pro se lege ageret, quod permissum erat lege Valeria, ipse manum injicere posset, sed decreto praetoris duci eum permittente opus esset, quum denique ad operas praestandas debitor compelli jam non posset, eas ob causas rarius in dies nexum factum est, stipulationum et mutui dationum, quibus stipulationes intercedebant, usus frequentior usque esse coepit. Et quum argentea

[72]) Liv. VIII. 28. Dion. l. c. Cic. de rep. II. 24. Val. Max. VI. 1 § 9.

Digitized by Google

pecunia non ita multo post legem Poeteliam latam cusa amplius necesse non esset libram et libripendem adhibere, haec quoque res, ut conjicere licet, non parum valuit, cur nexum submoveretur. Quapropter videtur mox omnino in desuetudinem abiisse.

De mancipio pauca dicam. Priscis Romanis res mancipi, quae mancipationem et recipiebant et quodammodo postulabant, fere unicae pretiosae erant, eaque res haud dubie non parvi momenti fuit, cur alienandi et acquirendi forma notarentur. Jam vero progressione reipublicae Romanae, quum multis gentibus et terris subactis veterum simplicitate neglecta luxus invasisset, quum plurimae res majoribus paene ignotae essent, quae res mancipi pretii magnitudine, quasdam etiam diuturnitate temporis facile vincerent, iniquum videbatur, hujusmodi res nec mancipi posse sola traditione acquiri, res mancipi minus pretiosas civilem actionem requirere. Erat porro auctum commercium cum peregrinis, cum eo juris gentium vis et usus, civiles actiones alienas aspernantis. Et quum dominia rerum saepius, quam antea, mutarentur, non raro in rebus mancipi transferendis mancipationis cum majore difficultate conjunctae usu supersedebant. Qua re motus praetor eum, qui traditione acquisierat rem mancipi, contra vindicationem prioris domini exceptione doli tuebatur, deinde eidem actionem dabat (Publicianam scilicet) ad recuperandam rem amissam, qua etiam contra dominum ex jure Quiritium auctorem suum uti poterat, quum exceptionem dominii replicatione doli infirmaret. Obligationem insignem ex mancipio auctoritatis nomine oriundam duplae stipulatione, et non tantum in rebus mancipi, verum etiam in rebus nec mancipi pretiosioribus, imitabantur. Nihilominus mancipationes Gaji tempore admodum frequentes fuisse videntur, in praediis praesertim, ut suspicor. Ut eum, qui rem mancipi traditam sibi, non mancipatam in bonis tantam habebat, praetor tuebatur, ita secundum tabulas testamenti septem testium signis obsignatas hereditatem dabat, tametsi per aes et libram factum non esset. Theodosii secundi tempore nunquam in testamentis faciendis mancipationis forma utebantur: nuncupatio coram quinque testibus sufficiebat. In jure Justinianeo mancipatio, verisimiliter jamdiu ex vitae usu sublata, locum non habet. Ipse legislator differentiam rerum mancipi et nec mancipi, quam sane antiquam merito antiquari dicit, in constitutione de usucapione transformanda (C. VII. 31) sustulit.

Digitized by Google

THESES.

1. Jus consuetudinis ex usu et consuetudine nascitur.
2. Est titulus usucapiendi pro re judicata.
3. Reo absoluto, licet male judex absolverit, tamen ne naturalis quidem obligatio remanet.
4. Re homineve criminis alicujus perfectionem non recipiente, neque conatus ejusdem est admittendus.
5. Qui pacto hereditario heredem sibi constituit, mortis causa donare non potest.
6. Actio revocatoria feudi agnatorum, qui ad alienationem omnes consensum dederunt, descendentibus non competit.
7. Jus patronatus non utendo non amittitur.
8. Foro gestae administrationis forum domicilii non excluditur.

Digitized by Google

Digitized by Google

1856. VII.
IUR. II.

DE BONA FIDE
PRAESCRIBENTIS EX IURE CANONICO

AD INTERPRETATIONEM C. ULT. X. DE PRAESCRIPT. 2, 26.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE ILLUSTRIS IURE CONSULTORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIBUS RITE OBTINENDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IOANNES HENRICUS NOLTE
KILIENSIS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR.
MDCCCLVI.

Digitized by Google

Imprimatur.

W. Girtaner,

h. t. Decanus.

Digitized by Google

C. ult. X. de praescriptionibus (2, 26).

„Quoniam omne quod non est ex fide peccatum est, synodali judicio diffinimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica quam civilis: cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quae absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui praescribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae."

Omni tempore valde discordantes erant scriptorum sententiae de vi et effectu canonicae hujus „diffinitionis", concilio Lateranensi IV (ann. 1216) constitutae decretaliumque corpori insitae, qua „generaliter esse omni constitutioni atque consuetudini derogandum, edicit Innocentius III, quae absque mortali peccato non possit observari." Atque cum priore aetate ne agnoscerent quidem hunc canonem, cui „potius standum esse quam legi" glossator quidem censet, quia „voluit propter periculum animarum" (ne mala fide quis praescriberet) „in hoc leges corrigere, licet non servetur in indicio saeculari": de hoc uno tamen hodie consentiunt scriptores, esse aliquid immutatum in civili praescriptionum jure ex pontificis edicto.

Cujus mutationis de finibus in quatuor discedunt sententias, quae ita statuuntur.

1) Bona fide opus esse in omni praescriptione, sive in personam, sive in rem actioni opponatur (haec sententia priore tempore in judiciis obtinebat; vid. Savigny, System v. § 244 not. l);

2) non ad rei propriae debitorem spectare hoc praeceptum (Boehmer, Jus eccl. prot. II, 26 § 52 cet.; Savigny, System § 245, 246; Arndts, Pand. § 109 cet.);

3) soli praescriptioni in rem actionibus opponendae ita derogatum esse, ut omnimodo atque quoque temporis momento bona fides desideretur (Puchta, Pand. § 90);

4) non nisi juris Romani principio derogatum esse, ex quo mala fides superveniens non noceret (Kierulff, Theorie pag. 206 ss.)

Digitized by Google

Jam quoniam et incertissimi sunt ex solis verbis hujus canonis interpretandi fines, nec quidquam convenit inter nostros scriptores de legislatoris intentione, rectum existimo, ad ipsius juris canonici in praescriptionibus principia pristinaeque aetatis ad testimonia recedere, quae ad hunc canonem attinent. Qua in re nos adjuvant duorum scriptorum investigationes de nostri capituli fontibus factae.

Möllenthiel, üb. d. Natur d. g. Glb. bei d. Verjähr. 1820. § 19—25.

Hildenbrandt, d. b. f. rei propr. deb. ad t. pr. n. nec. 1843. — Gesch. d. Best. d. can. R. cet.; im civ. Archiv XXXVI (1853) p. 27. ff.

Primum igitur praescriptionis ex jure canonico definitione statuta, inquiramus mortalis peccati, quam Pontifex profiteatur rationem, postremo hujus canonis in jure civili examinantes effectum.

1) De praescriptionibus juris canonici.

Non pauca inveniuntur praescriptionum exempla et in Decreti causis

C. 13. qu. 2., C. 16. qu. 3. an jura eccl. praesc. tollantur; qu. 4 eod. an monast. adv. eccl. praesc. possit; —

et in Decretalibus pontificum

Tit. X. de praescrpt. (2, 26.),

neque igitur mirandum, quod pontifex propriam distinguit a civili praescriptionem canonicam, quippe quae et canonum auctoritate et pontificum decretalibus nitatur.

Vide D. Gratiani ad c. 15 C. 16 qu. 3: „in canonibus vero ecclesia adversus ecclesiam triginta annis, monastesium adversus ecclesiam non nisi XL annis praescribere permititur“ cf. c. 4, 6, 8, 9, 15 X. h. t. (in quibus XL. annorum curricula ex pontificum decretis canonicae praescriptioni praefiniuntur).

Sed quae legis vigorem, propriam quoque recepit ex jure canonico naturam praescriptio.

Cf. Möllenthiel l. c. § 20, not 283 ss.

Pertinebat enim ad propria illa jura ecclesiastica, quae utique certo territorio vel ejus, qui dominus erant juris, vel eorum, qui illi quasi subjecti erant, conjuncta, quasi possideri existimabantur.

Ita omnes canonicae hujus praescriptionis casus, qui in decretalibus referuntur, ad possessionem attinent vel quasi possessionem praediorum. Neque aliud quidem obtinet in Decreti canonibus, qui, cum ad certum juris ecclesiastici fundamentum respicere nondum possent, ex principum constitutionibus non raro tricennalis atque quadragenalis, quas solas statuunt (excepto c. 15. C. 16. qu. 3, in quo triennalis quaedam memoratur; cf. c. 1 X. h. t.), praescriptionis vigorem desumunt.

Sed et civilis praescriptionis, in canonibus quidem non inventae, proponuntur in Decreto principia, Gratiano scilicet auctore. Longi temporis enim prae-

Digitized by Google

scriptionis nomine, insito cuidam canoni (c. 15. C. 16. qu. 3. cit.), commovetur, ut copiosiore quam assolet excursu de praescriptionum jure disquirat, et legibus constituto et canonibus. In civilis autem praescriptionis doctrina, quam his incipit verbis:

> „Praescriptionum aliae sunt introductae odio petentis et favore possidentis: aliae tantum odio petentis“,

de juris Romani refert longi temporis (X et XX annorum) extraordinariaque, quam vocant, praescriptione, ipsa fere allegans Justiniani verba (legis 8 § 1, 2. C., de praescript. 7, 39).

Gratianum quidem, qui juris canonici descendit e vestigiis, civilis quoque praescriptionis causam ad solum possessorem referre videmus defendentem se a vindicatione. In ampliore scilicet illo excursu quare nullo verbo attigerit exceptionem temporis personali actioni opponendam, nisi praescriptionis ipsam notionem cohibuisset arctioribus finibus, quippe cum statim ab initio illius tractatus possidentis personae adjecisset jus praescribendi?

Gratiani autem cum non parvi momenti sit testimonium, ut aequalium ex eo cognoscamus in praescriptionis nomine sensum, tum maxima erat inter canonistas posteri temporis auctoritas. Evidens hujus causae tamquam probatio exstat sententia illa (3) regulis juris canonici in 6te Decretalium hoc titulo (5, 12) insita:

> „Sine possessione praescriptio non procedat.“

Ac ne quid dubii supersit, ipse 6ti auctor Dinus declarat in lectura ad vocem „praescriptio“ hujus sententiae (cf. Hildenbrand, Arch. pag. 47): „Large ponitur, ut tam usucapionem triennii quam praescriptionem X vel XX annorum vel XXX vel XL vel etiam magis longeavam contineat; licet enim in vera et propria significatione praescriptio ad immobilia, usucapio vero ad mobilia referatur, tamen legislatores commiscue utuntur istis vocabulis, referendo communiter ad mobilia et immobilia.“

Spectat sane ad praescriptionem civilem ex jure Romano profectam, nec tamen „in vera et propria significatione“ praescriptionis personali actioni opponendae facit mentionem. Non autem puto, assentiendum Hildenbrandio dicenti, incorporalium „quasi possessionem,“ quam postea Dinus memorat, significare detentionem rei alienae in debitoris velut depositarii cet. persona. Pergit enim commentator 6ti:

> „Sed opponitur et videtur, quod praescriptio sine possessione procedat; certum est enim, quod incorporalia non possidentur — et tamen praescribuntur — —. Sed dic: quod incorporalibus est quaedam quasi possessio, quae illud operatur, quod operatur vera possessio circa corporalia.“

Spectat potius ad propriam canonicam praescriptionem Dinus, ad quam hoc tempore jam transtulerant ex doctrina juris Romani quasi possessionis vocem. Certe aut ad omnes actiones personales referamus Dini verba necesse est, aut ad solam usucapionem canonicamque praescriptionem.

Digitized by Google

Sed quid opus est posterioris aetatis et auctoris testimonio, qui in hac lectura fortasse potissimum sequebatur juris canonici in praescriptionis voce sensum? Habemus aequalis Innocentii, habemus ipsius Accursii sententiam, quae satis ostendit, ex ipsorum legistarum sensu adeo cohaesisse possessionis cum praescriptionis causa, ut glossator in Theodosianae legis praescriptione interpretanda quasi possessionis fictione opus esse judicet, si a debitore praescribatur personali actioni:

> Glossa ad l. 3 C. h. t. (7, 39): „sed quomodo juri incorporali vel actioni personali praescribitur, cum ab adversario nihil possideatur? Resp: quasi possidetur."

Unde tandem in debitore praescribente personali actioni sumserit possessionis conditionem glossator, nisi ex sensu aequalium, qui possessionem omnimodo immiscuerat praescriptionis notioni?

Num solum Innocentium ab hoc et canonistarum et legistarum, ab aequalis aeque ac prioris aetatis, denique a juris canonici sensu discessisse existimemus? num dicamus, Innocentium in canonica quidam utique spectare ad quasi possessionis causam, in civili vero praescriptione et ad possessionis et ad non solventis factum, personali actioni opponendum? Immo: ipse legislator in fine dispositionis in jure effectum his comprehendens verbis:

> „Unde oportet, ut qui praescribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae" —

rei alienae nomine evidenter declarat, eundem, quem ceteri, secutum sensum, ad possessionem reique dominium se referre praescriptionis verbum. Nemo enim rei alienae nomine comprehendet debitum personali actione exigendum.

Sin vero quaeramus, quinam fuerit illius praescriptionis ex ratione juris canonici effectus: priore quidem tempore dubium fuisse potest, exceptionisne tantum adversus vindicantem commodum, an etiam vindicationis jus tribuerint longi temporis possessori vel quasi possessori canones:

> cf. c. 2. C. 16 qu. 3: „jure sibi vendicent, quod tricenalis lex conclusit; c. 4 eod: „quamvis secundum leges ejus non videatur esse dioecesis, admittenda tamen non est contra eum actio reposcendi:"

sed magis est, ut non observasse videantur subtiliorem juris Romani inter exceptionem vindicanti opponendam et ipsum dominii jus praescriptione acquirendum distinctionem.

> c. 6. c. 8. C. 16. qu. 3. (Gelasius 492): „sed sint omnia in potestate et jussu praesulis ecclesiae, quaecunque inter XXX annorum spatium ab eo possessa esse noscuntur;" c. 15. X de praeser. (Innoc. III ann. 1216) — „tanto tempore pleno jure possessae, ut videatur in iis episcopale jus legitime praescripsisse: — — absolvatis abbatem ab impetitione episcopali super ecclesiis memoratis et adjudicantes illas abbati pleno jure subjectas" — —.

Digitized by Google

Sententiam eam fuisse, ut revera jus acquireretur praescribenti et haec ostendunt decretalia et ipsius Gratiani inscriptiones, quibus de praescriptionum jure agentes canones introducit C. 16. qu. 3 cit.: „omnia jura ecclesiae praescriptione tolli“ et C. 13 qu 2. in qua quaeritur: „an jus percipiendi decimationes et funerandi alii „dioecesi per quinquaginta annos possessum praescriptione tollatur?“ Gratianus ex canonum auctoritate respondet: „decimationes istae etsi jure vobis debentur,

> ut asseritis, tamen tricennalis objectio silentium vobis imponit. Omnis enim possessio tricennaria — — praescriptione tollitur.“

Certe jus decimationes exigendi prope attingit jus personale, nec tamen extinctivae in personali actione praescriptioni tribuitur tollendi ille effectus, sed longi temporis quasi possessioni, quam altera ecclesia exercuit. Videmus in ecclesiasticis illam praescriptionem plane similem haberi acquisitivae longi temporis possessioni ex jure civili.

Denique cum prioris aetatis canones possessionis illius in praescribente et initium et postremam conditionem accuratius non definiant, nisi ut „sine violentia“ (c. 1. C. 16. qu. 3.), „sine aliqua interpellatione“ (c. 4. eod.), „inconcusso jure“ (c. 2. C. 16. qu. 4., c. 8. X. de praescr. 2, 26, Alex. III 1172) possederit, potissimam vim tribuentes temporis decursui, jam adeo increvit usucapionis ex jure Romano similitudo et momentum, ut Innocentius III in epistola quadam ad archiepiscopum Pisanum (c. 17. X. de praescr. 2, 26 a. 1212) quasi sententiam jure canonico receptam edicens, rescribat, non recte eum praescribere in jure quodam ecclesiastico, quod „scienter“ ille, contra juramentum praestitum de conservando jure et honore sedis apostolicae possederit, „cum in praescriptione rerum ecclesiasticarum bona fides et justus titulus exigatur.“

Ceterum quia incertissimi sunt tituli illius ex jure ecclesiastico fines et causae certe verum est, omne quaestionis momentum in bona fide possidentis collocatum esse.

At hac cum ratione juris canonici quomodo congruit doctrina, quam Gratianum in excursu illo de praescriptione civili, leges secutum Romanas, profiteri videmus? Nam primum descendens a summa quam memoravimus divisione praescriptionum, quos aut favore possidentis aut odio tantum petentis introductas declarat, licet in finibus se contineat praescriptionum juribus rerum oppositarum, tamen aperte comprehendit extinctivam quam vocamus praescriptionem; deinde vero expressis verbis declarans: —

> „Bona vero fides (in l. t. praescriptione) non ad tractum medii temporis, sed ad initium possessionis refertur. Sufficit enim in initio cuique bona fide possidere coepisse, etiam si medio tempore scientiam rei alienae habuerit;“ — — —

Digitized by Google

postremo adjiciens:

„Quod si mala fide rem alienam quis possidere coeperit post, XXX annos adversus omnem petentem exceptione tutus erit. Si vero aliquo casu a possessione ceciderit, actionem non habebit, quia haec praescriptio non favore malae fidei possessoris, sed odio tantum rem suam persequi negligentis introducta est;“ — —

malam fidem nec supervenientem nec initio quidem possessionis nocere ex jure civili aperte declarat.

Non credo canonistas agnovisse illam, quam statuit distinctionem inter eum, qui jus acquisierit atque qui possessione tantum decedere non cogatur „exceptione tutus adversus omnem vindicantem.“ Imo qui semel tutus erat eundem omni tempore tuendum existimabant, quoniam praescriptione jura „tollerentur“, neque justum videreturu in possessione tueri nisi eum, qui plenum jus acquisiisset longa possessione.

Sed cum „in rebus ecclesiasticis omnimodo bona fides et justus titulus exigeretur, num justum erat, civiliter recte praescribere quamvis mala fide aut apprehendentem aut detinentem possessionem?

Necesse erat perversam hanc doctrinam corrigi: ergo Innocentius edixit „nullam valere absque bona fide praescriptionem tam canonicam quam civilem“, atque „gene„raliter esse derogandum omni constitutioni atque consuetudini, quae absque mortali „peccato non posset observari.“

2) De mortalis peccati ratione.

Mortalis peccati ille respectus, qui pontificis mentem commovit, ad nos quidem, si juris modum adhibemus, non pertinet. Sed ut fines statuamus atque naturam bonae fidei, quam desiderat in omni praescriptione legislator, mentem exquiramus oportet dicentis „omne peccatum esse, quod non fiat ex fide.“ (Epist. Pauli ad Rom. XIV, 23.)

Eandem Innocentius noster adjiciens rationem c. 3 X. de rest. spol. 2, 13 declarat: — „mulierem, quae consanguinitatis habuerit notitiam, non posse hujusmodi viro sine mortali peccato commisceri: quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est“ — —.

Succurrit autem in pernoscenda hac causa sententia quaedam Decreto injecta (c. 5 C. 34 qu. 1) ex Augustini libro de fide et operibus. Augustinus enim: virgo, quae nupserit viro alieno, „ex hoc, inquit, (adultera)esse incipit, ex quo cum alieno viro sciens cubaverit. Sicut in jure praediorum tam diu bonae fidei possessor quisque rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum, cum vero scierit nec ab aliena possessione recesserit, tunc malae fidei perhibetur, tunc juste injustus vocatur.“

Digitized by Google

Utraque sententia ad hunc concurrit pari ratione finem, ut mortale peccatum tum demum existat, si ad injuste factum, quod adest in aliqua persona, accesserit ipsius injusti scientia. Itaque Augustinus injuste factum dicit, si quis rem alienam possederit, sed possessorem nominat injustum, si conscientiam ceperit rei alienae.

Deinde vero huc pertinet decretalis illa nomen ferens Alexandri III (1180), in appendice concilii Lateranensis relata ad ipsum Clementem Alexandrinum, quae, etsi supposita sit et ficta,

v. Hildenbrand l. c. 34. ss.

omni tamen aetate una cum nostro capitulo fundamentum est habitum mutationis in praescriptionum caussa ex jure canonico factae.

> c. 5 X h. t. 2, 26: „Vigilanti studio cavendum est (quum summa dimensio divini judicii ab initio consueverit propria dimittere, aliena non appetere), ne malae fidei possessores simus in praediis alienis et maxime rebus ecclesiasticis; quoniam nulla antiqua dierum possessio divino jure juvat aliquem malae fidei possessorem, nisi resipuerit, postquam se noverit aliena possidere, cum jure etiam bonae fidei possessor dici non possit. — — (ad text. Richteri.)

Plane si juris civilis ad hanc legem attuleris rationem, perversum illum habet, quem Hildenbrandius (l. c. p. 35) reprobat, intellectum. Nam quem non juvat ex pontificis sententia antiqua dierum possessio m. f. possessorem, nisi resipuerit, eum vero non juvabit ex juris effectu, si — id quod lex jubet — resipuerit, rem scilicet restituendo domino. Eadem potius spiritualis „juris divini“ ratio, quam Augustinum profiteri vidimus, inest huic legi, dicenti non posse juvari, nisi resipuerit, animam possessoris, qui mortalis peccati fiat obnoxius malae fidei possessione. Ex mortalis peccati igitur illa ratione recipiamus interpretationem.

1) Primum quaerenti, quomodo resipiscat, qui sciens possidet alienum, ipse Innocentius noster viam demonstrat.

In notis enim ad decretalem quandam (c. 8. X. de immun. eccl. 3, 49), qua edixit, Praelatos restituere debere, si quid plus, quam solverint, perceperint a subditis — justo quidem subsidii in procurationem vel servitium Legatis dandum nomine exactum —, commentationis causa adjicit similem casum (v. Hildenbrand l. c. p. 44):

> „Item qui tutus est praescriptione odiosa bona fide vel etiam exceptione tantum — ubi tamen non fuerit crimen — credo, quod debet istud restituere, ut est in praescriptione XXX annorum, ubi nullus requiritur titulus nec bona fides.“

Non esse crimen pontifex censet, si in possessione remaneat, quam sine crimine adeptus sit: imo, ex legibus exceptione XXX annorum eum tutum fore:

Digitized by Google

nihilominus restituere eum debere — certe: ne mortalis peccati fiat obnoxius. Ita etiam ex decretali Alexandri III „non juvat antiqua“ illa ex legibus „dierum possessio“ alienae rei possessorem: quia non evitat mortale peccatum, „nisi resipuerit“ restituendo, postquam „se noverit aliena possidere.“ Ergo statim restituere debet, ubi rei cepit conscientiam alienae, id quod et Augustinum affirmare vidimus, dicentem: „sin vero scierit nec ab aliena possessione recesserit, tunc malae fidei perhibetur, tunc juste injustus vocatur.“

2) Porro quaeris, quomodo intelligi possit non restituendo peccare possessorem, qui bona fide nactus possessionem quocunque fortasse casu postea compererit, rem esse alienam, possidendo certe eum nihil committat delicti?

Non dubium duae sententiae huic quaestioni afferunt responsum. Alteram ipsi decretali Alexandri III conspicimus insitam argumenti causa:

„quum summa dimensio divini judicii ab initio consueverit propria dimittere, aliena non appetere.“

Alteram invenimus inter decreta concilii Lateranensis IV, quo et ipsum nostrum canonem („quoniam“ cet.) constitutum esse supra adnotavimus. In collectione scilicet decretorum qui nostrum canonem (c. 41) praecedit (c. 39) canon inscriptionem hanc fert:

„De restitutione danda contra possessorem.“

Restituere oportere m. f. possessorem canon declarat,

„quod non multum intersit, praesertim quo ad periculum animae, detinere injuste ac invadere alienum.“

cf. Möllenthiel, l. c. § 23, not 3 ff. Hildenbrand, l. c. p. 49.

Apparet appetitum esse rei alienae, quem utraque sententia exprobrat tamquam peccati causam m. f. possessori, eumque appetitum non minus injustum esse ex jure canonico, sive quis invaserit sive detinuerit sciens alienum — „ubi tamen non fuerit crimen“ ex Innocentii commentatione.

3) Quomodo tandem restituere cogatur non petenti domino possessor? Jus quidem pontificum invenerat remedium, quo averteret mortale peccatum non restituentis — denunciationem scilicet evangelicam —

(cf. Hildenbrand, l. c. p. 44.)

„officum quum spectet de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum, et si correctionem contempserit, per districtionem ecclesiasticam coercere.“ (c. 13. X. de jud. 2, 1. Innocentius III a. 1200.)

Atque haec dispositiva vis inest decretali illi, ut primum quemque „vigilare“ jubeat, „ne m. f. possessores simus in praediis alienis,“ tum vero significet, ut restituere cogendus sit „nisi sponte resipuerit“ m. f. possessor.

Digitized by Google

Quid? nostra jam aetate quoniam neque exercetur denunciationis evangelicae coercitio, neque attinet ad forum civile, de salute vigilare animarum, nonne et nulla haec legis dispositio et inutilis esse omnis illa mortalis peccati ratio videtur? — Atqui cum Innocentium in cap. ult. ex hac ipsa ratione decernentem vidimus de „omni constitutione atque consuetudine attinente ad praescriptiones — qua de causa mox cognoscemus — tum haec quoque decretalis ecclesiastico, quod priore parte continetur, praecepto adjecit dispositionem de jure civili non dubie interpretandam ex eadem mortalis peccati ratione.

> — — „Ephesinus enim legislator, Origenis patruus, solum propter vitandam miserorum segnitiem et longi temporis errorem et confusionem primus tricennali vel quadragenali praescriptioni legis vigorem imposuit. Nobis autem tam in rebus cognitis quam in latentibus placuit non habere vigorem."

Quodsi nuda haec sequaris verba: „nobis autem — — placuit non habere vigorem", facile eveniat, ut nihil omnino praescriptionum in jure civili relinquatur dicenti, jus canonicum noluisse, ut diuturno temporis obtentu jus factum videretur, quod ab initio injustum fuisset, neve quae semel nata esset actio, annorum decursu extingueretur. Sed amplissimum hanc ne amplectamur verborum interpretationem et mortalis peccati illa prohibet ratio et tota capitis ultimi dispositio. Ineptum enim erat, „synodali judicio definire, ut nulla valeret absque bona fide praescriptio" si omni jam praescriptionum instituto derogatum erat ex sententia juris canonici. — Plane — ne curemus „Ephesinum illum legislatorem (de quo vid. Hildenbrand, l. c. p. 39) — hoc quidem apparet, tricennalem vel quadragenalem praescriptionem, cui „solum propter vitandam miserorum segnitiem" legis vigorem imposuit legislator xc capitis 5 sententia, eandem esse, quam „tantum odio petentis indroductam" ex dicto Gratiani (v. supra p. 5) et ipsum Innocentium in commentatione notata (v. supra p. 9) tamquam „odiosam" rejicere vidimus, extinctivam denique quam vocamus praescriptionem XXX annorum, primum ex Theodosii II constitutione (l. 3 C. h. t. 7, 39) omnibus aeque personalibus atque in rem actionibus objiciendam. Sed ex mortalis peccati ratione et Augustini et ceteras canonum sententias omne causae momentum „conscientiae" tribuere vidimus injuste appetentis alienum: ergo praescriptio etiam injusta offendens in jus canonicum numeratur non ex laesione in jure facta domini vel creditoris, sed ex sola conscientia injusta quae in personam possessoris debtiorisve cadat.

Neque hi quidem fines sufficiunt. Certe si generaliter adhibemus illam rationem, dicendum est, omnem pari modo debitorem injuste praescribere personali actioni atque improbe appetere alienum, qui conscientiam habeat debiti. Sed unde injustam illam computemus debiti scientiam? Num iis solum praescribendi tribuamus quasi beneficium, qui justam habent ex legibus ignorantiae causam?

Digitized by Google

l. 42 D. de R. I. 50, 17.

an iis ex praescriptione condonemus negligentiae et oblivionis praemium, qui, debitores facti, obliti sunt vel diei vel totius causae solutionis? Quid, si post completum praescriptionis tempus in mentem revocaverit damnosam istam conscientiam vel interpellando creditor vel quicunque casus? nonne hoc ipso quod se tuentur praescriptione injuste appetunt alienum, cum debiti receperint notitiam? an dicamus post completos annos statim desinere valere spiritualem illam rationem, quam decretalis allegat, quod „nulla antiqua dierum oblivio eos juvat, nisi resipuerint"? Verius est, ut ne juste quidem completa praescriptio valeat ex hac canonis interpretatione.

Sed respondeas, ad eos solos respicere ex prima hac, quam supra memoravimus, canonicae diffinitionis interpretatione hujus quoque decretalis praeceptum, qui contra bonam fidem vel dolose omiserint solutionem restitutionemve. Qua de re infra etiam quaestio nobis erit. Hoc quidem loco sufficit animadvertisse, in cap. 5 debiti solutionis nullo verbo fieri mentionem, sed statim ab initio decerni de possessoribus praediorum. Eum solum praescribere vetat „divino jure" decretalis, qui „jure etiam bonae fidei possessor dici non possit." Jam etsi injuste appetentis alienum ille animus, quem omnino reprobat prior decretalis pars, cuivis debitori praescribenti pari modo objici posset, tamen nec possessionis nec bonae fidei definitio patitur, ut ad debitorem „rei propriae," quem dixerunt, illud praeceptum referamus, neque enim, qui fortasse mente legislatoris legis etiam dispositione comprehenditur debitor.

Supra autem notavimus, non accurate distinxisse jus canonicum inter acquisitivae atque extinctivae praescriptionis et effectus et conditiones: porro nil adjicit nostra decretalis, ut praescriptionis commune verbum ad solas in rem actiones referamus: denique generalis illa injuste appetentis alienum ratio desiderat, ut omnem malae fidei possessorem sive in rem sive personali actioni praescribentem, legis dispositioni subjiciamus. Non injuste enim ex juris canonici definitione, quam supra notavimus, malae fidei possessoris verbum trahitur ad praescribentem personali actioni tam detentorem rei alienae, ubi animum ascivit possidendi, quam debitoris heredem ubi cognovit rem esse alienam. Secundae igitur interpretationis, quam supra notavimus, a Boehmero reliquis prolatae fines huic capiti 5 tribuimus.

Jam ut capitis ult. in jure civili effectum definiamus, primum sententia illa, qua „generaliter omni constitutioni atque consuetudini esse derogandum pontifex edicit, quae absque mortali peccato non possit observari," generalior est, quam cui dispositivam in jure vim tribuamus. Solam spiritualem illam exprimit rationem, ex qua cap. 5 quoque dispositionem interpretati sumus. Eadem autem utriusque decretalis ratio suadet, ut eosdem dispositivae quoque partis fines statuamus, quos et verba cap. ult. admittunt. Non solum enim praescriptionis in priore parte, quam supra demonstravimus, ex sensu juris canonici cum possessione utique conjuncta de-

Digitized by Google

finitio debitorem „rei propriae“ excludit, sed ad eundem quoque nos perducunt finem partis ultimae verba, quae legislatoris comprehendentia in jure dispositionem ejus omnimodo interdicunt praescriptionem, qui „conscientiam habuerit rei alienae.“

Nec tamen, qui constitutis in decretalium corpore recte tribui videtur par ex interpretatione finis, idem constituendis etiam decretalibus subjectus erat ex mente pontificum. Omne rei momentum in malam fidem cadit utique rejiciendam in praescribente. Supra notavimus Gratianum distinguere inter malam fidem aut inde ab initio aut certe medio tempore non nocentem ex jure civili praescribenti, prout aut „odio tantum petentis“ aut „favore quoque possidentis“ praescriptio sit introducta. Ne hoc quidem casu praescriptionem valere jus canonicum censet, cum „juste injustus“ vocetur (ex dicto Augustini) atque „jure etiam bonae fidei possessor dici non possit, — postquam se noverit aliena possidere.“ Sed haec spiritualis rationis consequentia, ecclesiastico quidem cap. 5 cit. praecepto comprehensa, in parte postera, ad jus civile pertinente, non satis expressa videbatur, quippe quae Theodosianam solam „odio tantum petentis introductam“ praescriptionem rejecisset. Quem defectum synodali judicio expleturus Innocentius, primum repetita juris canonici sententia generali, „ut nulla valeat absque bona fide praescriptio,“ expressis verbis declarat illam consequentiam, ut qui praescribat „nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae.“

Ita haec decretalis generalem quidem in se continens, quam cap. 5 edictam vidimus juris canonici de bona fide praescribentis necessariu, sententiam, specialiter tamen derogat juris civilis principio, secundum quod „sufficiebat in initio cuique bona fide possidere coepisse, etiamsi medio tempore scientiam rei alienae habuerit.“ Qua de re ne quid remaneat dubii, inspicias ipsam quam in collectione decretorum concilii Lateranensis caput nostrum (41) fert inscriptionem:

„De continuatione bonae fidei in omni praecriptione necessaria“

Hunc denique tribuamus pontificio praecepto cap. ult. effectum oportet, ut non solum abrogaverit juris Romani ad solam usucapionem attinentem sententiam, ex qua mala fides superveniens non nocere dicitur, sed continuationem illam fecerit necessariam in „omni“ praescriptione, in qua bona fides requiritur.

3) De bonae fidei in jure civili vi ac momento.

Pontificiarum dispositionum ex sola canonum ratione statuimus in praescriptionum jure fines. Non alienum ducimus a disquisitionis nostrae proposito, de ipsa mutationis in jure civili factae cognoscere et natura et ratione. Nam quum non dubitemus de vigore juris, legibus primum constituti, judiciorum posten ex usu recepti, communi denique Ictorum consensu sustenti: accuratius tamen examinemus oportet generale illud de bona fide omni possessori praescribenti necessaria praeceptum, et

Digitized by Google

quemnam in singulis recipiat intellectum, et quomodo cum juris civilis consentiat principiis. Sed priusquam ad singula descendamus, quaedam praemittamus opus est:

1) Nimirum quaeri debet, an omnino nostro juri congruat canonum in praescriptionum et conditionibus et effectibus sensus. Hoc quidem constat, nostro jure valere legum Romanarum in praescriptionum jure principia, ex quibus omnimodo distinguitur inter acquisitivam et extinctivam praescriptionem. Supra animadvertimus, jus canonicum praescribentis conditionem omnino conjungens possessioni, principaliter spectare ad lucrum inde eveniens, omnemque injustam existimare praescriptionem, qua se tueatur qui sciens lucrum faciat ex alterius damno. Hac proficiscens a generali ratione omnem praescriptionem comparavit usucapioni, jus dominii attribuenti longae possessioni, atque commiscuit acquisitivae et extinctivae praescriptionis diversam causam. Nostro autem juri cum non congruat canonica illa doctrina, in singula quaque praescriptione de bonae fidei conditionibus cognoscamus necesse est.

2) Discernere quidem Gratianum vidimus inter praescriptionem odio tantum petentis et favore etiam possidentis introductam, Innocentium autem in commentatione citata omnino rejicere „odiosam" praescriptionem. Credas igitur, cum solo jam nitantur favore possidentis ex jure canonico praescriptiones, bonam fidem quoque, utique necessariam ex pontificum decretalibus, eandem esse, quam in usucapiente desiderat jus Romanum. Qua de re ut cognoscamus, primum definiemus bonae fidei, quam ex ipso jure canonico recipit satis certam notionem.

Pontifex mortale peccatum vult prohibere injuste appetentis alienum: mortale peccatum ex sola conscientia praescribentis oriri cognovimus. Inde consequitur:

a) ut omnimodo praescribere vetetur, quocunque modo conscientiam ceperit rei alienae,

b) ut praescriptio currat, dum non certum habeat de alterius jure possessor. Qua cum definitione consentit, quod pontifex edicit: „unde oportet, ut qui praescribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae." Denique initio capituli decernens, „ut nulla valeat absque bona fide praescriptio," non tam certam bonae fidei in praescribente qualitatem desiderat, quam excludit, quidquid „non fiat ex fide" vel contra fidem. Constat, bonam fidem praescribentis ex jure canonico, ad solam conscientiam pertinentem possessoris, negativam habere eam naturam, ut sola improbitas dolusque absit ab animo praescribentis. Quae cum externis factis probari non possit conscientiae integritas, adversarii est, probare conscientiam rei alienae, si bonam fidem praescribentis ex jure canonico oppugnare velit. Postremo, ut conscientia rei alienae adfuisse intelligatur, opus est probari, de jure actoris compertum habuisse praescribentem.

Quibus cum sententiis jam primum comparabimus juris Romani de bona fide usucapientis principia, postea vero extinctivae praescriptioni adferemus juris

Digitized by Google

canonici praecepta. Qua in causa quia longum est de varia scriptorum doctrina ex legibus dijudicare, summatim tantum tractabimus de principiis, quae collegimus ex fontium qualicunque cognitione.

1) De bona fide usucapientis nuper orta controversia ipsum commovit hujus doctrinae fundamentum. Ne perlustremus singulorum scriptorum sententias, —

Möllenthiel, in diss. supra laud: über d. Natur des g. Gl. cet. 1820,
Cf. Savigny, System III. p. 370. Puchta, Pand. § 157.
Stintzing, das Wesen von bona fides und titulus cet. 1852.
v. Scheurl, Beiträge Band II, XV: zur Usucapionslehre, 1854. —

hac quidem in causa omnino consentimus cum Stintzingio, falsam esse eorum doctrinam, qui usucapionem quasi singularem tractant dominii acquisitionem, praemii instar permissam viro probo, qui per longum tempus bona fide possederit. Certe, enim, si bonae fidei longa possessio causa esset dominii usucapione acquirendi, consistere non posset juris Romani sententia, ex qua mala fides superveniens non nocet. Sed ne ex jure canonico quidem bonae fidei, per totum quidem temporis spatium necessariae, praemium esse potest jus praescriptione acquisitum, quia omnino consistit praeter potestatem possidentis, neque igitur bene promeritum quidquam videtur, si bona fides, per totum illud tempus non superveniente notitia juris alieni, servata sit. Neque enim voluntatis significat conditionem certis factis subjectam, neque probari potest bona fides juris canonici. Denique hanc ipsam ob causam, quia solam conscientiam significat, a qua mala fides juris alieni abest, per omne possessionis tempus potest durare.

Plane diversa est bonae fidei in usucapiente ex jure Romano natura. Nam primum refertur ad initium possessionis et facta, quibus possessionem apprehendit praescribens, deinde vero probari debet.

Quid autem est ipsa bona fides?

Plerique Möllenthielium secuti dixerunt, existimationem esse possessoris, dominum se esse factum. Contra Stintzing declarat, nihil esse nisi animum apprehendentis possessionem, a qua conscientia absit injusti: ideo non bonam fidem esse fundamentum usucapionis, sed potius titulum aut plenum aut minus plenum. Postremo Scheurl bonae fidei suppletoriam in usucapionum jure vim tribuit, si titulus plenus dominii acquirendi non adsit.

Non puto falsam esse eorum doctrinam, qui bonam fidem statuerunt usucapionis fundamentum, si modo propriam pernoverimus bonae fidei in usucapiente naturam. Primum consideremus opus est, usucapionem quamvis temporis demum decursu perfectam, non singularem esse sed ordinariam quandam dominii acquisitionem, eamque ob causam sicut in ceteris acquisitionibus certo facto opus esse, a quo, adjecto quidem insuper longi temporis decursu, dominium derivetur. Factum illud est sola possessionis apprehensio, qua quidem jus domini laeditur ab usucapiente: eamque ob

Digitized by Google

causam tum demum jus usucapiendi sequitur illud factum, si bona fide apprehensa sit possessio. Porro: ad eundem sane spectat bona fides finem, quem in jure canonico vidimus, ut non compertum habeat de jure alieno, quod laedat apprehensionis facto, possessor. Sed aliud est fundamentum in bona fide usucapientis quam quod praebet sola conscientiae integritas, externo facto non turbata. Non sufficit, ut sola absit rei alienae conscientia dolusque injuste apprehendentis alienum: sed opus est, ne culpa quidem omiserit quidquam, quo facile conscientiam capere potuit de jure alterius: oportet ita apprehendisse eum possessionem, ut hominis probi et diligentis est, qui nec imprudenter apprehensurus est possessionem de cujus dominio nil compertum habet, nec timidius dubitaturus sit de fide auctoris, quocum de re tradenda convenit. Haec sunt, quae pari modo in titulo vero et putativo, qui dicitur, „probabilem" faciunt errorem „justamque" praebent bonae fidei sive ignorantiae juris alieni causam, nec ad solius conscientiae integritatem spectant probatione non cognoscendam, sed ad voluntatis qualitatem certo apprehensionis facto subjectam.

Alia autem est in usucapione extraordinaria, quae dicitur, bonae fidei ex jure Romano (l. 8 § 1 cit. C. de praescr. 7, 39) notio. Nam cum is solus longissimi temporis possessione non acquirat rei dominium, qui mala fide adeptus est possessionem, necesse est existimemus quemque justum esse dominum factum, cujus non probaverit malam fidem in apprehendenda possessione adversarius. Denique quamvis ad ipsum acquirendi actum referatur mala illa fides, eadem tamen est, quam in jure canonico vidimus, bonae fidei natura, ut ad solam conscientiae spectet integritatem. Quae cum factis probari non possit, solo temporis decursu justa illa possidendi causa suppletur, quam allegare nec debet nec fortasse potest longissima possessione praescribens.

In utraque autem juris Romani usucapione, cum idem bonae fidei sit finis, ut non compertum habeat de jure alieno in re possessa, tum principalis causa dominii acquirendi non est existimatio illa quam dixerunt, dominii, sed ipse animus domini sive possidendi, quem longa possessione exercuit praescribens. Longa possessione suam fecisse rem existimatur, sive probi ac diligentis viri more, sive tantum non improbe apprehenderit possessionem.

Non alienum videtur a viri honesti animo et juris superioris ratione, quod pontifices praescripserunt, ut qui ex possessione potissimum jus sibi acquisitum diceret, certe non ex injusta, quam novisset, possessione causam sumeret juris: ideoque recte licebit priori domino, in quovis possessionis momento malam fidem arguere et probare usucapientis.

2) Longe alia est causa praescriptionis extinctivae, a qua et ipsa ut absit per omne temporis spatium mala fides decernunt pontifices. Hoc quidem constat, jus canonicum hanc ipsam maxime reprobare „odio tantum petentis introdu-

Digitized by Google

ctam" praescriptionem, spiritualem autem illam peccati rationem non minus recte referri ad quemque exceptione se defendentem mala fide, sive adversus in rem, sive adversus personalem actionem, quia injustum scienter facit lucrum ex alterius damno. Sed quaeritur sane: primum, an odio tantum petentis introducta sit haec praescriptio? deinde, an injustum leges ei condonent lucrum, quem tuentur temporis exceptione? postremo, an tantum sit spiritualis illius rationis momentum, ut „generaliter omni constitutioni atque consuetudini derogandum sit, quae absque mortali peccato non potest observari?"

Ad 1. Non praescribitur nisi actioni natae; actionem autem dicimus natam, si jus actione persequendum, laesum sit. Juris denique objectivam quam dixerunt intelligamus notionem, opus est, ita ut nihil intersit, num laesum sentiat is, cui competit, nec ne.

Certe an damnum inde eveniens actione persequi velit, libera est in ejus voluntate, qui ius suum (subjectivum) laesum dicit. Sin vero legitimum praetermisit agendi tempus, extinguitur jus actionis.

Num solo odio petentis, vel potius non petentis, introducta est haec praescriptio? Non existimamus. Ridiculum enim est dictu, legem statuisse poenam ejus, qui neminis jus laesit, aut certe proprium. Imo: lex voluit, ut finis esset litigandi. Quapropter tempus praescripsit actioni.

Ad 2,) At dicas, non esse judicis, de servato agendi illo tempore vigilare, potius ejus, qui jus laesisse dicatur, ut exceptione se tueatur, ergo privati potius quam publicam causam spectare jus praescriptionis.

Non negamus. Sed num ideo dicamus, ex lege jus acquisitum esse temporis exceptione se tuenti? Nimirum omnino in jure, quod ad bona attinet privati, est partium, de juribus suis vigilare. Quam ob rationem, si reus neglexerit, exceptionem temporis allegare et ipse amittet exceptionem nec adversarii extinguitur actio. Sed falsum est, juris canonici sequentem rationem dicere, injuste ex lege lucrari aliquid ex alterius damno, qui temporis praescriptione se defendat ab actione. Lex neque lucrum curavit excipientis neque damnum petentis, sed utriusque prospexit causae, praesumptionem statuens de tempore, ex quo jam neque partium interesset neque proficeret quidquam agere et litigare.

Ad 3. Quid, si tamen interest, ut vere lucrum faciat mala fide praescribens? — Plane non praetermittenda est spiritualis illa ratio: nam juris civilis est, in tantum observare juris superioris principia, ut quam minime offendantur. Sed non ideo juris civilis propria in praescriptionibus ratio debet omitti. Ex hac quidem ratione primum quaeritur, an tempus agendi praeteritum sit; ne dicas, eam ob causam minus valere illam rationem, quod mala fide et dolo aliquis laeserit jus alterius, quam si dolus absit a laesionis facto. Nam etiam criminum, quae dolo fiunt, persecutio aliquando extinguitur temporis praescriptione. Falsum est, si principium

Digitized by Google

statuas, ex quo mala fide nemo juste praescribat. Denique sententia illa pontificis, qua derogandum dicit omni constitutioni atque consuetudini, quae peccati praebeat causam, ad legem ferendam spectat, non ad latam. Ergo si in certis causis aut compertum habeat aut praevideat, superioris juris sanctitatem non raro offensum iri mala fide et dolo praescribentis, nec tamen magna interesse utriusque partis, ut finis fiat litigandi, legislatoris est, singularum causarum examinare conditionem, et diversa statuere pro diversa conditione praescribendi tempora. Atque haec fortasse ratio commovebit judicem, ut detentorem, qui rei alienae ascivit possessionem non facile admittat XXX annorum praescriptione se tuentem.

THESES.

1) Scientia inter fontes juris est numeranda.
2) Debiti naturalis remanentis ex temporis praescriptione non competit compensatio.
3) Beneficium inventarii a collatione non liberat.
4) Fideicommissa in familia constituta ex jure Germanico agnatorum consensu tolluntur.
5) Omnimodo puniendus est, qui societatis delinquendi auctor fuit.
6) Jus bonorum, nisi pacto constitutum inter conjuges, ex domicilio mariti mutationem patitur.
7) Pleno effectu in ipso, cui obstat documento, renuntiatur exceptioni non numeratae pecuniae.

Digitized by Google

1856. VII.
MEDIC. I.

DE

STRABISMO EIUSQUE SANATIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

DIERCK DIERCKSEN HAGN

FRIEDRICHSTADIENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVI.

Digitized by Google

Imprimatur:

Dr. *E. F. Goetz*,

h. t. Decanus.

Digitized by Google

Exordium.

Kiliae quum medicinae studiosus essem, saepius operationibus de strabismo institutis aderam eosque, qui hoc modo persanabantur, observavi. Etiam complures strabones vidi a doctore Gustavo Rossio operatos, a quo viro quanti progressus in hac chirurgiae parte his annis facti sint, audivi. Hujus viri doctrina mirifice captus ad strabismum animum industriamque adverti, ita ut in hac dissertatione inaugurali capita quaedam de strabismo, praesertim quae nova in hujus morbi curandi ratione aut audivi aut legi proponere audeam. —

Historica.

Antequam Stromeyerus anno 1831 sectionem tendinum invenit, viri medici raro ad strabones animum adverterunt, rarius vero his aegrotis curandis operam dederunt. Inventis autem Stromeyerianis excitatus Pauli primus in strabone musculos bulbi ocularis dissecare conatus erat, sed operam perdidit. Re vera prima strabismi operatio per musculi sectionem a Dieffenbachio anno 1839 perfecta est *(s. die operative Chirurgie von J. Fr. Dieffenbach*, p. 164). Inde ab hoc anno a Dieffenbachio ejusque discipulis aeque ac aliis chirurgis sat multi strabones operati sunt, quarum operationum eventus saepe bonus, haud raro infelix fuit. Hoc primo operationis tempore cosmetico potius, quam optico effectui chirurgi studebant, i. e. bonum oculorum strabiosorum positum operatione efficere volebant, effectum autem opticum negligebant. Quare indicationes ad hanc operationem ejusque regulae incertae manebant, ita ut dum plurimi strabones operatione persanabantur, complures secus caderent, in nonnullis autem oculorum positus et motus in deterius mutarentur; et hoc quidem eo magis, quum strabismi operatio negligenter ac minus accurate et saepe a medicis non satis artis peritis perficeretur. Quam ob rem strabismi operatio, et apud medicos, et apud aegrotos male audiebat. Talis erat quasi prima aetas: nihil nisi inventio et prima artis initia.

Digitized by Google

ribus frustra locos, ad quas *Virchowius* respiciat, quaesivi. Apud *Morgagni* [1]) modo reperio *Coiteri* sine locorum citatione mentionem factam esse, qui eum, scripsit, e sinibus durae membranae cerebri phreneticae mulieris, ut alias ex suspendio enecatorum cerebris, extraxisse fibras sive filamenta crassa, lumbricis non dissimilia, ex alba pituita conflata; similes sumpsisse ex cordis ventriculis. In *Severini* opere aliquo [2]) inest observatio, quae inscripta est: „concrementum gelatinae specie in cordis utroque sinu," qua in observatione haec dicuntur: „sinus cordis humore obsitus concreto instar vulgaris gelatinae flavioris, — — — ejusmodi ad unguem concrementum repertum est in venis magnis, quae cordi inseruntur, atpue etiam in hujus ventriculis." Alio loco [3]) *Severinus* historiam mirabilem anguis bifidi flagellosi, in laevo cordis sinu reperti, tradit, quae etiam *Bonetus* [4]) enarrat, quamque explicemus nostris temporibus necesse non est.

Inter antiquiores observationes obstructionis venarum, et venae cavae inferioris quidem, illa a *Thoma Bartholino* [5]) commemorata fortasse est prima. *Bontius* [6]) in eadem vena sanguinis loco substantiam adiposam et medullosam reperit. *Neretius* [7]) concretiones longissimas in peripneumonia conspexit, quippe quae e dextro cordis ventriculo carnosae, albidae, flaccidae, cavam venam subeuntes, propagatae essent usque ad caput et os sacrum. *Joannes Rhodius* [8]) in muliere hydropica obstructionem venae cav. inf. observavit. Casum alium apud *Blancardum* [9]) reperimus.

Kerckringius [10]) dubitat de sanguinis in corde et vasis viventium coagulatione, cui praecipue responderunt *Marcell. Malpighius* [11]), deinde *Mangetus* [12], *Peyerus* [13]),

[1]) De sedibus et causis morborum, epist. IV, art. 28.

[2]) De abscessibus etc. Francof. 1668. pag. 277.

[3]) Libr. cit. pag. 281.

[4]) Sepulchretum libr. II, sect. IV, obs. VI.

[5]) Histor. anatom. rar. centur. II, hist. XXXV: „In cadavere phthisici Lugduni observavit *Laz. Meyssonnerius*, med. perceiebr., venum tantum cavam prope cor obstruclam."

[6]) De med. Indor. L. B. 1642. libr. IV, obs. VIII, p. 200.

[7]) Schenk, obs. med. libr. II, ubi de cordis excresc.

[8]) Mantissa anatom. Hafn. 1661, obs. 21, pag. 15.

[9]) Op. med., theoret., pract. et chir. Lugd B. 1701, T. II, pg. 431: „Dissecto cadavere vena cava descendens (lege ascendens) materia adiposa et medullae instar repleta erat", quam steatoma esse putat.

[10]) Spicileg. anat. obs. 73, pg. 145; „Polypum cordis, aortae — inquit — et quarum non partium illi nobis proferunt, et porro vidisse asserunt, viderunt ii viri, quod vidisse se dicunt; nec in eos cadit vanitatis vel mendacii ulla suspicio; sed polypum id cordis aut aliarum partium esse, quo vivi afflicti fuerint, in eo quam erraverint non tantum dicere possum, sed etiam ostendere".

[11]) Op. posthum. edit. Venet. pg. 44.

[12]) Bibl. anat. tom. II. p. 2, pg. 124.

[13]) Method. hist. anat.-med. cap. 6.: „magnum est inter grumos et polypum discrimen; illi enim fibris pancis ac laxe confuseque unitis instruct rubent; hic candidat, instar fere adipis, densata atque ordinata fibrarum serie ac robore pollens.

Digitized by Google

Morgagni [1]). *M. Listerus* [2]) autem, *A. Pasta* [3]), *Lieutaudius* [4]) cum illo consentierunt, praecipue vero *Jos. Pasta* [5]), discipulus Andr. Pastae, qui quamque coagulationem in cadavare repertam cadaverosam [6]) esse putavit, observationibus antiquioribus nec non illis contemptis, quae a *Boneto* [7]), *Morgagni* [8]), *Hallero* [9]), *Albino* [10]) aliisque relatae erant, secundum quas coagulationes cujuscunque generis cadaveribus dissectis repertae sunt. Qui scite etiam repugnavit, quod multi viri docti e. g. jam *Harveyus* [11]), deinde *Senacus* [12]), *Sauvages* [13]), *Swietenius* [14]) putaverunt, febris aut coeli frigore, animi deliquio, timore, maerore, dolore sanguinem in vasis morari, concrescere, frigefieri et febris ardore palpitationibusque cordis dissolvi posse, *Listeri* verba defendens: „sanguis liquor aeternus est," dummodo, addixerit *Pasta*, non effundatur.

Propter conditionem medicinae saeculi praeteriti certe difficillimum erat, controversiam de tam difficilibus quaestionibus dirimere, et quamquam etiam in nostro saeculo variae doctrinae, ad illas quaestiones recte solvendas necessariae, non plane exploratae erant, velut vasorum conditiones anatomicae (praecipue histologicae) et physiologicae, inflammatio eorum, sanguinis compositio chemica, doctrina de cordis polypis quos vocant, et eam ob rem facile error subrepere poterat, tamen, quoniam saepius in annos observabatur, sanguinem variis modis in corde, arteriis, venis coagulari, et ii, qui anatomiam pathologicam tractant, microscopio maxime et analysi chemica usi, in morborum causis explanandis magis magisque progrediebantur, ea sententia

[1]) l. c. epist. XXIV. et epist. L. XIV, art 9.

[2]) Dissert. de humoribus Amstelod. 174, cap. 30, pg. 118: „humores nuspiam in totu sanguinis orbu corporantur, non in arteriis venisve: et quemadmodum sanguinei globuli semper lidem sunt, ita serum per se nuspiam coagulatur cohaeretve, ipseque adeo *sanguis aeternus liquor* est.

[3]) Epistol. duae de motu sang. post mortem et de cordis polypo in dubium revocato. Bergomi 1737.

[4]) Précis de la méd. pratique, 2. edit. Paris 1761, pg. 275

[5]) De sanguine et de sanguineis concret. per anatomen indag. et pro. caus. morb. quaest. med. Bergomi 1786.

[6]) Pag. 72; „non enim coire sanguinem in vivorum vasis inque grumum polypumique verti probabile est; ut si in corde vasisque sanguiferis offenderis polypum, velim ortum post mortem his rationibus adducaris, ut credas.

[7]) e. g. cf. sepulchret. libr. I, sect. IX. obs. III, sect. XI. obs. VIII; libr. II, sect. X additam. obsc., I, sect. II. obs. XXXII, sect. IV, obs. VI, sect. XI, obs. VI, VII, XII, XIII, XIV; lib. III sect. XII, obs. III et sexcenti alii loci, ubi de cordis polypis agitur.

[8]) Praeter innumersbilem copiam observationum, sanguinem in solo corde coagulatum esse, vide epist. VI, art. 12, ep. VII, art. 4, ep. VII, art. 4, 6, 7, 9, 11, 13; epist. VIII, art. 2, 23, 30; ep. XIV, 35; ep. XXI, 34; ep. XXIII, 6; ep. XXIV, 7, 8, 13, 18; ep. XXIX, 20; XLV, 16; LII, 6; LIII, 7; LIV, 25; LVI, 10 etc. quanquam puto, tantum coagulationes, quas in epist VII, art. 11 et 13; ep. XXIV. art. 8; ep. LVI, 10 et ep. LXIV, 9 describit, esse pathologicas. Num coagulationes in vena cava in ep. XXIV, 18 et XLV, 16 in vita jam adfuerint, decernere non audeam.

[9]) Opusc. c. pathologica Lsus. 1768, obs. XXIV.: „In femina inter venales venas et iliacas concreta vena cava fuit, ut nihil cavitatis loco superesset, nisi fibrosa quaedam, quasi carnea polyposa et dura caro."

[10]) Academicar. annotat L. B. 1761, Lib. VII, cap. IX, p. 30. Vena cava circa iliacarum ortum tota concreta, nullo in artubus inferioribus partibusque circa pelvem appareute vitio.

[11]) De motu cordis et sanguinis in animalib. anstomica exercitatio L. B. 1639, pg. 197.

[12]) Traité de la structure du coeur T. II., Liv. III., Chap. IV pg. 129.

[13]) Dissert. sur la cause de la fièvre. *Deutsche Uebersetzung, Halle* 1748, Cap. 6, pg. 396–98.

[14]) Comment. in Boerhav. Tom. I, pg. 684 et Tom. II, pg. 175.

Digitized by Google

probanda erat, verum ut plerumque in medio esse: plurimas quidem coagulationes in cadaveribus demum post mortem ortas esse, multas autem jam in corpore vivo adfuisse. Paullatim tantum medicinae periti ejusmodi coagulationes, quae sint, quas causas habeant, quomodo nascantur et crescant, quomodo valetudini noceant, cognoverunt. — Longum est, recentiorum thrombosis historiam, quae cum phlebitidis, arteritidis endocarditidisque doctrina arctissime cohaeret, usque ad studia recentissima de embolia plene perscribere, quoniam temporibus novissimis permulta his de rebus scripta sunt, plura quam quae hoc in loco critica ratione tractanda esse mihi videntur. Quare tantum casus thrombosis et inflammationis venae cavae inferioris, qui in variis scriptis dispersi sunt, quot equidem cognovi, enumerabo. Singulos casus pluribus describere eam ob rem supervacaneum esse puto, quod hos secundum causas disponam, deinde in describendo certo quodam thrombosis casu ex carcinomate renali orto, infra rem accuratius tractabo. Rupturae venae cavae inferioris casus, quorum apud *Morgagni* [1]), *Otto* [2]), *Kennedy* [3]), *Puchelt* [4]) varii narrantur, non commemoravi, nisi qui ex inflammatione orti esse videantur. Quod praeterea attinet ad morborum venarum historiam et literas antiquiores, in scriptis *Ballingii* [5]), *Baczyuskii* [6]), *Reumerti* [7]), praecipue *Puchelti* [8]) omnia accuratissime exposita invenies. Novissima hac de re scripta praecipue in *Foerșteri* [9]), *Virchowii* [10]), *Henochii* [11]) operibus enumerata sunt.

Obstructionem Venae cavae inferioris, pseudoplasmatibus effectam, observaverunt, eamque ortam

ex carcinomate renali:

Bouillaud (Arch. gen. de med. T. II, 1823, Juin. *Horns Arch. f. med. Erfahr.* 1823. T. 2, p. 295. Tertia observatio.).

Cruveilhier (Anatom. patholog. Paris 1838. Livrais. 18). Duo casus.

Rayer (Traité des maladies des reins, Paris 1837). Etiam duo casus in tab. XLVII et tab. XLIX. [12])

His etiam casus *ab eodem* observatus addendus est, in quo pyditis et ureteritis calculosa aderant cum obstructione venae renalis dextrae et exparte quoque venae cavae (l. c. tab. XX, fig. 1).

[1]) l. c. epist. XXVI, art. 27 et 28.

[2]) *Lehrb. der path. Anat.* 1830, T. I, 354.

[3]) The London med. repository Vol. XX. 123, Octbr.

[4]) *Das Venensystem in seinen krankhaften Verhältnissen*, 2. *Aufl.*, *Lpzg* 1843, Tom II. 226.

[5]) *Zur Venenentzündung. Wrzbg.* 1820.

[6]) De Vanae portarum inflammat. Turici 1843.

[7]) Dissert. de symptomat. inflammat. venae cavae. Hafn. 1840.

[8]) l. c. T. II, pg. 6—26.

[9]) *Handb. der path. Anat.* 1854, *pg.* 619.

[10]) *Handb. d. spec. Pathol. u. Therap. Erl.* 1854, *Bd. I, pag.* 156.

[11]) *Canstatt's spec. Path. u. Therap.* 3. *Aufl. v. Henoch. Erl.* 1856. 3 *Bd. pag.* 136 *u.* 162.

[12]) Casum alium a me observatum, infra enarrabo. — In Casu carcinomatis renalis a Carswell (Illustr. of elementary forms of diseases, London 1833, Art. carcinoma Fasc. II. tab. 3, fig. 3) descripto, vena renalis tantum obstructa fuisse videtur. — Cf. etiam casus a Velpeau observ. infra cit.

Digitized by Google

Ex carcinomate testiculi et uteri atque ex tumoribus retroperitonealibus aut in pelvis cavitate repertis:

Bontius (de med. Indor. p. 200), v. supra.

Blancardus, vide supra.

Cline (Scarpa *über Pul-adergeschwülste. Aus d. Ital. v. Harless. Zürich* 1808. *S.* 15.) Tumor retroperitonealis, quo vena cava in parte inferiore obstructa erat.

Bouilland (l. c. obs. I). Carcinoma in pelvis cavitate, etiam rectum uterumque complectens, simul tuberculosis pulmonum.

Bouillaud (Magendie, Journal de Physiol. T. III, pg. 89, obs. I.) Cancer ovariorum.

Crampton (the Dubl. hosp. reports and comm. in med. and surg. Vol. V, pg. 403. *Samml. auserles. Abhandl. Bd.* 39, *S.* 257) Pseudoplasma venam cavam et venae iliacae complectens.

Coates (the Philad. Journ. of the med. and phys. sciences, edit. by Chapman. Vol. IV, No. 2, Aug. 1822. — *Med.-chir. Ztg.* 1824, 3. *Bd.*, *S.* 220). Tumor retroperitonealis venam cavam ad valvulam Eustach. usque obstruens, exstirpato testiculi carcinomate.

Lawrence (Med.-chir. Transact. of London. T. XVI, V, 1, pg. 58. — Puchelt l. c. 109). Carcinoma Uteri (?).

Cruveilhier (Anat. pathol. livr. 27, pl. IV. et livr. 29, pl. II). Carcinoma Uteri.

Cooper, A. (Struct. and diseases of the testis. Lond. 1830, P. II, pg. 136, pl. IX. Vers. germ. *Weimar* 1832. 2. *Thl.*, *S.* 86). Carcinomate testis exstirpato.

Cruveilhier (l. c. livr. V, pl. I). Praecedenti similis casus.

Velpeau (Revue med. 1825, Fevr. 218). — Puchelt l. c. p. 294) Dyscrasia carcinomatosa. Glandulae axillares, pancreas, ren dexter affecti erant.

Idem (ibid.) Carcinoma testis et pulmonum.

M. Laennec (Revue med. 1828, Octbr — Laennec, de l'auscultation médiate, 3me édit., T. III, pg. 194 nota: „une observation plus probante encore (venae scilicet obstructionem), que celles de Mr. Velpeau").

Stannius (Ueber krankh. Verschl. grösserer Venenst. Berlin 1839. Cas. 68, p. 54). Cava inferior ex majore parte una cum v. cava superiore obstructa materia carcinomatosa.

In cadaveribus eorum qui *phthisi pulmonali* mortui sunt, venam cavam reperierunt obstructam:

Meyssonnerius (Bartholinus, histor. anat. rar. cent. II, hist. I, XXXV) v. s.

Baillie (Transact. of a society for the improv. of med. and chir. knowledge. London 1793. Vol. I, p. 134. — *Hodgson, v. d. Krankh. d. Artt. u. Ven., deutsch v. Koberwein. Hannov.* 1817. *S.* 539).

Digitized by Google

Raikem (Breschet, Journ. compl. du dict. des sc. med. T. III, pg. 322. — Stannius l. s. l. Cas. 25).

Laennec (tres observationes. Révue med. 1825. Janv. p. 150. De l'auscultat. méd. 3me édit. p. 193 et 194).

Louis (Reynard in Journ. univ. hebd. T. II, No. 24. — Arch. gén. de méd. T. XXV, 1831, pg. 406. — Stann. Cas. 33). Ubi etiam fractura fibulae adfuit.

Corbin (Arch. gén. Tom. XXV, p. 499. cas. VI. — Stann. cas. 13).

Stannius (l. c. casus 32).

Reumert (De symptomat. inflammat. venae cavae. Diss. inaug. Hafn. 1840. p. 37). In hoc casu etiam caries ossis pubis adfuit.

Huic generi, cui thrombosis maranticae nomen dare possumus, observatio auctore *Raikem* (Breschet, Dict. des sc. méd. 1820, Vol. 41, pg. 354) etiam adnumeranda est, in qua „après l'expulsion d'une éruption, que l'on prit pour la gale, par frictions avec un onguent" aegrotus febri adynamicae succubuit et sectione inflammatio obstructioque venae cavae inferioris inventa est.

Continuationem phlebitidis uterinae usque ad venam cavam inferiorem, plerumque cum ejus obstructione perfecta, observaverunt hice:

Meckel (Sasse, de vasorum sanguiferorum inflammat. Halae 1797.)

Reil (*Ueber die Erkenntniss und Cur der Fieber.* 2. *Bd.* (1799.) 1804. *S.* 329.)

Wilson (Transact. of a soc. f. the impr. etc. Vol. 3, pg. 65. Lond. 1812.) Tres casus.

Rives (Mém de la soc. d'émulation de Paris T. VIII.; p. 624. — Rev. méd. 1825 Juillet. — Puchelt l. c. pg. 13 et 117).

Bouilland (Magendie Journ, de physiol. T. III., pg. 90). Simul tuberculosis pulmonum.

Louis (Arch. gén. de méd. T. X, 1826 Mars, pg. 337).

Dance (De la phléb. utérine et de la phl. en général, considerées principal. sous le rapp. de leurs causes et de l. compl., Arch. gén. Dcbr. 1828, Janv. et Févr. 1829. — *Uebersetzung vom Himly* 1830). Casus II. et X.

Tonnelé (Des fièvres puerp. observ. à la maternité de Paris pendant l'année 1829 etc. Arch. de méd. 1830).

Lee (Researches on the pathology and treatment of some of the most important diseases of women. Lond. 1833- *Aus d. Engl. v. Schneemann. Hannov.* 1834 Casus plures.

Andral (Clinique méd. 3me édit. T. II, p. 619.)

Duplay (Arch. de méd. 1836. T. XI, p. 58).

Rayer (Traité des malad. des reins. Paris 1837, planche 50, fg. 3).

Reumert (l. l. pg. 38).

Paulus (*Oesterr. med. Wochenschr.* 1842, 2. *Qrt.*, *No.* 14, *S.* 317).

Digitized by Google

Laesionibus externis effecta obstructio obliteratioque venae cavae observata est a hisce auctoribus:

Breschet (Journ. compl. du dict. des sc. med. T. II., pg. 336). Post femoris amputationem et venam femoralem ligatam.

Arnott (A pathalogical inquiry into the secundary effect of infl. in the veins Med.-chir. Transact. publ. by the med. et chir. soc. of Lon d. Vol. XV, T. I, 1829 *Deutsch von Himly. Jena* 1830.) Casus XIII et XV.) Post amputationem femoris.

Reynaud (Journ. hebd. 1829, No. 51, pg. 173. — Arch. gén. de med. 1829 Novbr. — Révue méd. 1829 Dcbr. 448. — *Frorieps Notizen*, 26. *Bd.* 249. Lobstein. Anat. pathol. T. II, p. 608. — Stann. Cas. 34. — Puchelt l. c. p. 283). Post cruris racturam. „A la suite d'une hydropsie", inquit Lobstein l. c.

Duplay (Arch. gén. Fevr. 1833, pg. 161). Ex gangraena spontanea extr. inf. dextrae.

Louis, fractura fibulae (cf. supr. observat. de thrombosi ex phthisi).

Reumert (l. c. pg. 11). Post ambustionem bullosam.

Gely (Journ. de la soc. acad. du depart. de la Loire inf. T. XVI. — Gaz. méd. de Paris, T. VIII, 1840, No. 45, p. 716. — *Fricke's u. Oppenh. Zeitschr., Bd.* 16, *S.* 371. — Arch. gen. T. X, pg. 92. — *Schmidt's Jahrb. Bd.* 32, *No.* 60). Vena cava infra venas renales ad funiculum fibroso-cartilaginosum obliterata erat post phlébitidem cruralem ex gelu ortam.

Engel (Prg. Vrtljhrschft. Bd. 27. *Ergänzbl.* 23.*)* Paullum infra venas renales vena cava coarctata cicatrisatione aliqua.

Virchow (Ges. Abhandl. z. wissenschaftl. Med. S. 237.*)* Fractura colli femoris dextri extracapsularis. Thrombus continuatus e vena iliaca communi dextra.

Ad hanc categoriam etiam adjicienda est observatio quaedam *Morgagnii* (epist, LVI art. 10), in qua coxitis causa thrombosis venae cavae habenda est.

Causae thrombosis *non exploratae* aut non constitutae sunt his in observationibus;

Rhodius (Mantissa anat. Hafn. 1661, obs. 21), V. supra.

Langhanns (Diss. de vasor. corp. hum. lithiasi Goetting. 1747 I § 31 Nota a p. IX: „ante aliquot annos in vetulae cadavere nosmet ipsi vidimus, venam spermaticam suumopere dilatatam, ut venae cavae, quae miro spectaculo in illo cadavere tota a coalitu obstructa erat, crassitiem aequaret.") *)

Pfann (Samml. versch. merkw. Fälle, Nürnb. 1780 p. 3: *„wo die* Vena cava ad auriculam dextram *gehet, war der Canal d.* ven. cav. *mit kalkichter Materie angefüllet.")* Femina dato arsenico mortem obierat et post. XXV dies cadaver inspectum est.

*) Hic casus, ubicunque citatur, velut a Voigtel (Handb. d. pathol. Anat. I, 1804, pg. 489) Naumann (Klinik, Bd. II, 651, Otto (l. c. 357) Laennec (l. c. 193) Reumert (l. c. pg. 35), Stannio (cas. XLII), Puchelt (l. c. pg. 247) et al. Winckleri nomen prae se fert, quippe quo praeside dissertatio illa defensa sit, cujusque nomen, in titulo opusculi majoribus litteris exaratum, maxime elucet.

Digitized by Google

Albinus (Acad. annot. etc. vid. supra.)
Haller (Opusc. path. vid. supr.)
Bonazolius (Morgagni l. l. ep. LIV, art. 9.)
Baillie (l. s. l. p. 119.)
Knape (Hufeland u. Himly Journ. d. prakt. Heilk. Bd. **36**, 1813, I. *St. S.* 122.)
Dumville (Lond. med. Gaz., May 1847. — *Prg, Vrtljhrschft. Bd.* 19; *Anal.* 35.)
Hallett (Edinb. med. and. surg, Journ., April 1848.

Praeter has observationum nonnullorum mentionem facere propositum est, quae ab aliis auctoribus imperfecte sunt relatae, in scriptis autem ipsorum auctorum conferri non potuerunt:

Schenck (Obs. med., Leyd. 1644. Libr. III. De venis et sang. obs. 3. p. 398. — Puchelt l. c. p. 225.) Diabrosis venae cavae c. aorta ex carie lumborum vertebrarum duarum orta.

Pyl (Aufs. u. Beob. a. d. gerichtl. A. W. 4. *Samml.* 7. *Fall. S.* 32. — *Puchelt* l. c. 236.) Ruptura venae cavae prope cor massis polyposis affecta, quae venam perfecte obturabant.

Otto (Path. Anat. S. 359. *Anm.* 1.) casum citat. (*Bresl. Samml. Suppl. II. S.* 168) de tumoribus cysticis in vena cava.

Bright (Reports of med. cases vol. II. p. 68. — Puchelt l. c. 283.) Thrombus in vena cava et in utraque vena iliaca.

Fizeau (Puchelt l. c. 169). Suppuratio venae cavae in hepatis regione ex ductibus felliferis degeneratis. Observationem auctoris Fizeau apud Breschet et Villermé (Dict. des sciences med. T. 41, p. 350. — Biblioth. médicale T. XXXVIII 209) repperi, in qua autem tantummodo de suppuratione venar. hepaticar: „dans leur gros trones comme dans leurs plus petits rameaux“ ex illa causa genita dictum est.

Observationem *Neretii* supra commemoratam non nisi post mortem exstitisse, putaverim. Idem de casu a *Puchelto* (l. s. l. p. 2, p. 165) observato, sentio, qui coagulum magnitudine nucis juglandis, in atrium cordis continuatum, nusquam adhaerens, in venae cavae parte superiore, valde dilatata repperit, — et de observatione aliqua in act. med. Berol. vol. VIII. — *Samml. auserl. Abhandl. f. Aerzte, Bd. IX S.* 511 *u.* 512. — Reumert l. c. 55. In hoc casu etiam vena cava proqe cor in tumorem magnum fere coaguli uncias duas continentem mutata erat. — De duabus *Morgagnii* observationibus obstructionis venae cavae inf. jam supra verba feci.

In casibus, quos jam subjiciam, inflammationem venae cavae se observavisse putant, non vero coagula:

Aretaeus (De caus. et sign. acut. morbor. lib. II. c. VIII, edit. Kühn. p. 53.)

Blancardus (Anat. pract. rat. Amstelod. 1688, cent. II. obs. 73) simul cum hepatis abscessu in vena cava pus invenit.

Digitized by Google

Bouillaud (Revue méd. 1825, April, 3. obs. p. 80.) Inflamm. venae cavae utriusque post venae sectionem.

Rullier (Thouret in journ. hebdom. Nr. 5, Novbr. 1828.) Vena cava una cum vv. iliac. et crural. a corpore alieno, quod in fundo vesicae suppurationem effecit, inflammata.

Louis (Hourmann in Lanc. franc. III. 247. — Puchelt l. c. p. 170. — Reumert l. c. p. 56.) Aegrotus, qui convalescuit, per scalam praeceps ruit. Auctores citati inflammationem venae cavae hoc in casu subesse putant.

Bazas (Mém. de l'acad. roy. de méd. T. IX p. 612.) Post pemphigum suppressum.

Balling (l. c. 316.) In hypertroph. cordis.

Thaer (Caspers Wochenschr. Nr. 45. — *Berl. med. Centralztg.* 1836 *Nr.* 2 *u.* 3.) In periostitide rheumatica genus.

Stookes et *Graves* (Puchelt l. c. p. 171, qui locum accuratius non citavit. Apud Stookes (*üb. d. Heil. d. inn. Krankh., Leipz.* 1839, *deutsch von Behrend*) casum non repperi.) Aegrotus per duos dies noctesque ad genu usque in aqua steterat.

Reumert (l. c. p. 53.) Erosio venae cavae post cariem ossis sacri.

Idem praeterea post femoris amputationem inflammationis venae cavae vestigia ter se observasse dicit (l. c. p. 38.)

Quidam horum casuum quamvis nullum momentum thrombosis studio afferant, quamvis, quod nunc difficile est decernere, quidam ex iis falsis observationibus nitantur et quamvis hoc nostro tempore, ubi strictiorem obstructionis venarum rationem habere didicimus, permultae observationes factae sint, quae parem cum nonnullis ex his observationibus dignitatem habeant, attamen hi, quos attulimus, casus eo excellunt, quod literis discripti nobisque traditi sunt, atque igitur, si thrombosis venae cavae inferioris in aliquod systema nosologicum recepta sit, digni sunt, qui diligentius respiciantur.

Physiologia una cum anatomia pathologica, partim duce illa, partim illi nova vestigia aperiens, experimentis obscurae huicce regioni lucem afferre conata est. Etiamsi igitur ex iis, quae modo exposuimus, satis apparet, systematicam thrombosis doctrinam nulli eorum virorum, qui in his literis collaudati sunt, jure tribui posse, tamen nullo modo negari potest, *Virchowium*, physiologicis experimentis et explorationibus, pathologico — anatomicis nisum, inter omnes maxime de hac doctrina accuratuis excolenda meritum esse; praeterea terminis thrombosis et emboliae in literis primus utebatur.

Etiamsi vero ex recentioris temporis explorationibus causas thrombosis, et generales et speciales, accuratius cognovimus, etiamsi in explicandis nonnullis gravissimorum morborum, velut in multis hydropis, apoplexiae, aut rectius encephalomalaciae, morborum puerperalium, pyaemiae, gangraenae casibus ad gradum cognitionis quidem, qualem antea non suspicati sumus, pervenimus, atque si igitur, anatomia pathologica in paucis quibusdam disciplinis, magnus adjumentis, quibus artum et scientiam auxit,

Digitized by Google

ructus salubriores in lucem protulit, tamen etiam hac in re multum disquisitionibus nostris restat, ut casus quivis rarior et complicatione quadam eminens, ultimo medicorum fini, remotionem morbi dico et valitudinis restitutionem, prodesse possit. Accuratioribus vero de inflammatione venarum, de thrombosi et embolia studiis et observationibus in eo quidem permultum profecimus, quod prophylaxi efficaciore uti, et naturam, tam gravissimas affectiones tollere quaerentem, melius adjuvare didicimus, sed sanatio thrombosis latius extensae fortasse semper piis desideriis adnum eranda erit.

Itaque si illis casibus, qui adhuc in lucem prodierunt, novum quendam adjungimus, ubi quidem ex gravioribus hydropsiae symptomatibus de permagna obstructione venarum certa conjectura adesse, sed quae prima causa normali sanguinis fluxui obstaret, ex necroscopia demum cognosci potuit, sentio, me neque semiologiae, neque physiologiae (praesertim quod attinet ad nova vasa collateralia invenienda), neque therapiae quidquam, quod majoris momenti sit, praestare posse. Descriptionem etiam obstructionis enflammationisque venae cavae inf. non praemittam. Causae enim ejus et momenta pathologico — anatomica satis constant, atque postea ad illas revertar. Therapia efficax nobis ignota est. Quod autem ad symptomalogiam attinet, animaversione nostra quidem indignum non est, jam Cappadocem[1]) illum antiquum symptomata φλεγμονὴς τῆς κοιλης accuratissime descripsisse atque etiam alio loco[2]) therapiam proposuisse. *Kuhntius*[3]) quoque aliorum casuum praeter illum, de quo *Aretaeus* verba fecit, ratione non habita, dissertatione quadam omnes morbi illius partes levius pertractavit atque falso se omnibus satisfecisse arbitratus est. Et ipse *Schönleinius*[4]) antiqui illius medici observationi plus aequo fidei tribuisse videtur. Morbi discriptionem, a *Schönleinio* prolatem, *Ballingius*[5]) in dissertatione admodum diligenter scripta, quam *Himly*[6]) non maturas auctoris primitias esse judicat, quamque *Baczynsky*[7]) ipsis Ballingii verbis refutat, reiteratis verbis dedit. *Reumertus*[8]) experimentis in animalium corporibus factis lustratisque critica ratione iis casibus, quos veram venae cavae inflammationem continere pro certo constabat, certa signa, quae nunquam deessent, indagare studuit. Verum enimvero quae certiora et de hoc morbo et de pylephlebitide, cum illo cognata, constant, apertissime Henochii[9]) verba docent, qui loco, quo de pylephlebitide agit, „die Symptome sind sehr dunkel," ubi thromboseos venae cavae inferioris[10]) mentionem facit, pro virili parte affirmat: „die Symptome sind äusserst dunkel."

[1]) Aretaeus περί αἰτιῶν καὶ ῥηκείων ὀξέων καὶ χρονιων παθων, edit. lat. Kühn. lib. II, liv. VIII, p. 53.
[2]) περὶ θεραπίας etc. ed. Kühn, lib. II. c. VII. pg. 277.
[3]) Dissert. de inflammatione venae carae inf. Vratislaw. 1837.
[4]) *Allgemeine und spec. Pathol. u. Therap. 2. Aufl. Bd. I. pg.* 259.
[5]) L. s. l. pg. 326.
[6]) In versione dissertationum Dancii et Arnottii supra cit. pag. 246.
[7]) l. s. l. pg. 15.
[8]) Dissert. de sympt. infl. venae cav. inf. Hafn. 1840.
[9]) *Canstatt's spec. Path. u. Therap.* 3. *Aufl. v.* Henoch, *Erl.* 1856, 3 *Bd. S.* 174.
10) Ibid. p. 175.

Digitized by Google

Satis igitur habebo casu illo, epicriticis nonnulis annotationibus additis, enarrando, quod eo magis mihi faciendam esse videtur, quum mihi uon licuerit, decursum morbi meis ipsius oculis observare, sed tantummodo sectioni viri, dum inter vivos erat mihi carissimi, adfuerim. Quoniam postea demum decrevi, hunc casum dissertatione mea inaugurali pertractare, attamen difficillima autopsia cadaveris, aliquantum jam putrefacti maximeque hydropici, tam minutam omnium organorum, praecipue vasorum sanguiferorum perquisitionem, quam cupiebam, non permisit, intelligo, ea quae de sectione referam, omnibus numeris absoluta esse non posse. Operam tamen dedi, ut ex iis, quae et *Steindorffius*, vir experientissimus, qui aegroto illi operam suam praestiterat et *Weberus* in nostra literarum universitate prof. illustr., qui sectioni praeerat, mecum benigne communicaverunt, ea quae ipse tunc, tam de historia morbi quam de conditione cadaveris qualis in sectione apparebat, annotaveram, supplerem et corrigerem; unde persuasum mihi habeo, casum mox enarrandum et scientiae nostrae et praxi medicae satis memorabilem fore, ut literis publicis promulgetur.

I., publicum munus sustinens, quadraginta quinque annos natus, morbis gravioribus antea non laboravit, etsi color ejus subflavus, statura procera et gracilis, occultus ejus et taciturnus animi habitus ejus valetudinem firmiorem non esse, ostendere videbantur. Ex rei familiaris augustiis ad altiorem vitae ordinem ascendit. Adolescens, summa tantum animi et corporis contentione durissimam hominis cujusdam, qui ei praefectus erat, tractationem sustinere valuerat, cujus tamen rei semper per totam vitam vestigia servavit. Labefacta deinde per hoc lustrum patria duriora passus, quin etiam in ipso morbo curis atque sollicitudinibus gravissimis oppressus est. Quarto anno ante quam morti succubuit, per complures hebdomades catarrho gastrico intestinali febrili vehementissimo laboraverat atque praeterea multos per annos haemorrhoidibus affectus erat, quae tamen nunquam graviores ei obtulerant molestias. Eodem semper et satis continenti victu utebatur, sed propter officia publica maximam dici partem sedebat, una duabusve horis exceptis, quae ambulationi destinatae erant.

Postquam per nonnullas hebdomades parum valuit atque de dolore capitis, saepe repetito et de magno languore, praesertim quum collem aliquem ascenderet, questus est, et postquam octo diebus ante parvum iter fecit, quo non melius se habuit, die 11. m. Junii medicum consuluit. Primum catarrhus intestini crassi apparuit, intumescentibus simul venis haemorrhoidalibus, nec tamen magni dolores et lenis tantummodo febris aderant. Mense Julio ineunte per complures dies, quum alvum dejiceret, materiam mucosam et purulentam evacuabat, quae ulcerationes folliculares in intestino crasso adesse suspicionem facere poterant. Hoc malo remediis aptis levato, octo diebus post oedema extremitatis inferioris sinistrae subito factum est, cum dolore in regioni inguinali sinistra et in decursu venae cruralis conjunctum.

Hebdomadibus duabus circiter peractis extremitas inferior dextra quoque intum-

Digitized by Google

nit. Oedema paullatim tegumenta ventris occupavit, et medio demum mense Augusti hydrops ascites quoque observatus est.

De dolore aegrotus postea non querebatur. Doloribus illis in regione inguinali et crure, quos modo commemoravi, exceptis, nullae aegroti querelae annotandae sunt, quae ad diagnosin statuendam conferrent. Digestio rarissime perturbata erat. Concoctionis tantum tempore pressionem et oppletionem in regione epigastrica se sentire aegrotus querebatur. Excrementa felle ad normam colorata erant. Vigesima quarta hora ante obitum cibum libenter sumpsit. Quamquam plus semel solo laste vesecbatur, functio organorum digestionis nunquam eo perturbata est. In morbi postremis diebus demum lingua leviter obtecta erat.

Urina per totum morbum commutationes nullas peculiares ostendit. Albumen atque fibrini coagula nunquam in ea observata sunt. Ureae plus quam fieri solet inesse videbatur. Acido nitroso-nitrico addito Cholepyrini vestigia inveniebantur.

Color viri natura subflavus decurrente morbo interdum adauctus, interdum imminutus erat. Octo dies ante mortem zous flava, palmse latitudine, ventrem circumdedit. Sclerotica semper normaliter alba erat.

Febris et levior quidem in prioribus tantum morbi diebus, dum affectio intestinalis eum vexabat, aderat. Pulsus postea parvus, intermittens rarus erat, namque sexagies vel sexagies quinquies per sexagesimam repetitus, vespere aliquoties frequentior factus est. Somnus semper optimus fuit.

Hydrops ascites ad gradum summum sensim crevit, et die 4. m. Septbr. aegrotus mortem obiit, symptomatibus compressorum, collecto in sacco pleurae et in ipsis pulmonibus sero, pulmonum. Sensorium per vitae duodecim horas postremas demum turbatum erat.

Quod ad diagnosin attinet, mihi primum dicendum est, affectionem nec cordis nec pulmonum (vitae horis postremis exceptis) unquam observatum esse. Jecoris exploratione physica antequam cruris sinistri oedema exstitit facta in lobi sinistri regione intumescentiam medicus detegit, unde cirrhosin oriri arbitrabatur. Lien autem nunquam amplificatus erat et postquam artuum inferiorum oedoma apparuit et hydrope ascites post nonnulas demum hebdomades, cirrhosin hepatis causam morbi esse non porro probari potuit, etiamsi intumescentia postea evanuit et regione venae portarum pressa vehementior dolor oriebatur. Impedimentum sanguinis fluxus in venis, thrombosis venarum extremitatum inferiorum, sine ullo dubio aderat, ubi autem impedimentum primum, quaerendum erat. Qua de causa, quum omnia signa pathognomica abessent, medici illustr. ad consilium acciti accuratiorem explicationem offerre nequebant. Aliquem tumorem in ventre compressione vasorum sanguinis fluxum impedire, verisimilius erat: at exploratio, neque externa nec per rectum instituta, talem tumorem indagare potuit, neque ullis doloribus aegrotus vexabatur, qui tale malem indicarent.

Itaque acquiescendum erat in diagnosi venarum extremitatum inferiorum obstructarum. At, etiamsi in explicando hydrope aliquantum progressi sumus, multum tamen adhuc

Digitized by Google

inquisituris restat. Quid enim honestum et diligentum medicum magis affliget, quam si, aegrotum observans, symptomatum seriem unum ex alio deinceps persequi, nec tamen ultimum seriei membrum indagare potest? si intelligit, se ad finem non modo scientiae sed etiam artis pervenisse, se nihil habere, quo morbum tollat, solam necroscopiam ultimam illam causam illustraturam, morbum desperatum adfuisse probaturam.

Accedamus ad cadaveris autopsiam quae horis matutinis diei 5. m. Septbris., hora tricesima quarta post mortem, facta est. Cubiculum, in quo cadaver situm erat, temperaturam 13—14° R. habebat, et quoniam difficile erat cadaveris locum mutare, in ipso lecto, in quo aegrotus mortem obierat, secti instituta est.

Cadaver emaciatum et magnopere hydropicum. Truncus ad exillas usque ita expansus erat, ut dolio similis videretur. Penis cum scroto oedemate valde dilatatus serotum ex parte gangraena correptumnerat. Extremitatum inferiorum volumen saltem normalium duplex erat. Facies macera et colore flavo oedematis expers, extremitates superiores, collum et regio thoracis superior oedemate quoque carebant.

Putredo corporis jum valde progressa. Liquor subrufus per lectum in solum defluxus erat. Rigor morbis abest, crus dextrum extensum, sinistrum leviter flexum. Venae cutaneae perquam dilatatae non observantur.

Cavitas cranii non aperiebatur, quoniam cadaveri parcere jussi eramus. — Pectoris muscuri ex anaemia colorem pallidam plaebent. Situs cordis normalis. In pericardio seri flavescentis circiter unciae duae insunt. In cordis pariete anteriore macula tendinea magnitudine nucis juglandis invenitur. Cor justo minor, flaccidum. Et valvulae atrio-ventriculares et vasorum majorum valvulae omnino normales sunt, nec ulla degenerationis ateromatosae vestigia. In corde dextro fibrini coagulum majus. In arteria pulmonali minimum coaguli reperitur.

Pleurae nusquam adhaerent. Quorum in cavo liquoris decoloris unciae sedecim vel viginti. Pulmonum aliae partes infiltrationem oedematosam praebent, aliae partes emphysemate dilatatae sunt; in parenchymate tubercula cruda parce dispersa sunt. Trachea normalis.

Dentes valde corrupti et una eum gingiva affectionem scorbuticam praebent. Oesophagus et fauces normales, Intestina aëre valde extensa. In abdominis cavo libuoris sanguinei decolorati librae quadraginta vel quinquaginta adsunt. Ventriculi membrana mucosa magna ex parte (si regionem pyloricam excipis) erosiones parvas, miliares offert. Intestinum tenue et crassum affectionum pathologicarum expertia, folliculi solitares tantum catarrho praecedente parvum tumidi. Membrana mucosa integra.

Hepatis magnitudo normalis; parenchyma, cholepyrino flavum, putredo ex parte jam aëre implevit. Vena hepatica dextra coagulo denso, in pariete firmiter adhaerente omnis est repleta usque ad ramificationes minimas. Alia hepatis vena omnino a coagulis libera est. In venae portarum trunco coagula minora insunt, quae ejus lumen totum non implent, sed in multis hujus venae ramis minoribus coagula sanguinis,

Digitized by Google

quae ex parte condensata sunt, ex parte parietibus adhaererent. Vesica fellea et ductus fellei magni in statu integro sunt. Lien consistentiae et magnitudinis ordinariae. Vasa ejus, pancreas atque glandulae meseraicae in statu normali offeruntur.

Ren sinister sanus. In dextri renis substantia corticali dua pseudoplasmata [1]) magnitudine nucis avellanae, quorum alterum jam detritum est, alterum, incisum, cancrum melanoticum exhibet. Partes, quae urinae secretioni praeerant, normales videntur esse.

Vena renalis sinistra thrombo denso impleta est, funi solido simili, in parte interiore albicante et grumoso. Thrombus, qui venam emulgentem dextram occupat fere eandem praebet indolem.

Visceribus remotis vena cava uti funis solidus, densus, crassus, farcimini similis in columna vertebrali offerebatur. Ejus diameter octodecim vigintive lineas habet. Venae iliacae communes, femorales, saphenae, quae etiam obstructae, eodem modo dilatatae sunt. Materia, venam cavam replens, parietibus firme adhaeret, ita ut tunica intima una cum partibus coaguli exterioribus remotis, abscindatur. Quaque ex parte uti coagula vetera se habet, venas prorsus implet, grumosa, dura, sicca, in superficie scalpello secata, aspera, languida est, coloris albido — flavescentis, striis obscurioribus mixta. In venis iliacis communibus, femoralibus, saphenis coagula ex parte tenaciora et elasticiora (fibrinum brevi ante eliminatum) adsunt. Venarum membranae, inprimis venae cavae, simul multo crassiores sunt, quam in statu normali, facies interna autem in partibus, ubi thrombus firmiter non adhaeret, levis est.

Exploratio microscopica dubium removet, quin tumores renales vere carcinomata sint, quippe qui ex cellulis, maxima ex parte principium coloris obscuri continentibus, magnitudinis variae constant. In venae cavae et portarum coagulis cellulae carcinomatosae non repertae sunt, uti in casibus a *Velpeau*, *Cruveilhier*, *Langenbeckio*, *Virchowio*, *Bambergero* observatis, materia molecularis tantum nonnullis nucleis cellulisque vietis intermixtis.

Haec summa necroscopiae! Diagnosis pathologica-anatomica igitur, quae ex ea oritur, si a carcinomate renali proficiscimur, paucis verbis haecce est: carcinoma renis dextri, thrombosis venae renalis dextrae, thrombosis venarum extremitatis inferioris sinistrae, hujus membri oedema, thrombosis venarum extremitatis inferioris dextrae, quam oedema secutum est, thrombosis venae cavae inferioris et plurimarum ceterarum venarum in ejus truncum confluentium, praeter venam hepaticam (venae spermaticae, suprarenales, lumbares transversae, phrenicae non inquisitae sunt), pylephlebitis adhaesiva, hydrops ascites, humorrhagiae ventriculi, hydrops pericardii, hydrothorax, oedema pulmonum.

Superfluum est demonstrare, coagula, in vasis majoribus reperta jam in vita, neque post mortem demum orta esse. Cujus rei argumentum grave praeterea per-

[1]) Casus maxime similis apud Rayer (Traité des maladies de reins. Paris 1837. pl. 45, fig. 2) depictus est.

Digitized by Google

fecta obstructio venae hepaticae dextrae est, dum sinistra coagulorum omnino expers erat. Coagulum in corde post mortem demum ortum esse, facile intelligitur.

Cacnoma renale thrombosis venarum et omnium symptomatum hydropicorum et haemorrhagicorum causam fuisse, statuo. Dubium est, num venae renalis lumen directe attigerit, an compressione coagula prima effecerit.

Si breviter spectamus conditiones praecipuas, quae secundum observationes adhuc factas, thrombosis causae esse possint, ad duas turbationes principales eas reducimus: ad sanguinis stasin et ad commutatam attractionem molecularem inter sanguinem et organorum aliorum (praesertim tunicarum vasorum intimarum et parenchymatis) particulas, quas sanguis tangit. Ad stasin sanguineam thrombosis referri potest, quae lumine vasorum interrupto aut coarctato e. g. tumoribus comprimentibus, cirrhosi hepatis, carcinomate in vasis eminente, deinde illa, quae marasmo, porro illa, quae vasorum cordisve dilatatione, ergo aneurysmatibus, varicibus etc., tandem denique illa quae continuitate vasorum intercessa, velut in uteri venis post partum et post alicujus membri amputationem, efficitur. Ex mutata attractione molecculari thrombosis in marasmo quoque et dyscrasiis, in gangraena, phlebitide primaria, in arteriarum affectionibus ateromatosis, et illa, quae a corporibus alienis, e. g. a filamentis, acubus, spina piscis (casus notus, qui *Lambron*[1]) observavit), in vasorum parietibus ingestis, pendet. Ex his variis thrombosis causis in nostro casu duae inprimis in quaestionem vocare possumus: lumen venae renalis carcinomate interruptum dico et marasmum. De carcinomate renali jam dici, me non dubitare, quin causa prima coagulationum, saltem in vena cava et venis, quae in eam effluunt, fuerit. Quod ad coagula in vena portarum attinet, sane fieri potest, marasmum[2]) (cordis impulsum absolute inminutum), fortasse etiam compressionem directam aquae in cavum abdominis transsudatae, causam fuisse. Aegrotus in mensibus postremis morbi pulsum rarum, debilem habuit. Scimus quidem, praesertim *Lenzii*[3]) explorationibus, contractionum cordis numerum, frequentiam pulsus, modum roboris cordis absolutum semper non esse. In hoc casu autem cordis vis minuta addubitari nequit. Praeterea stagnationis sanguinis per venam portarum fluentis, quae erosiones quoque haemorrhagicas ventriculi effecit, originem in repressione quadam, effecta per sanguinem in circulatione per venas hepaticas impeditam, invenire possumus. Coagula venae portarum ex vena cava quoque, anastomosibus inter utrumque harum venarum systema, ut *Bernardus* in equis et ovibus nec non alii in hominibus observaverunt[4]), oriri posse, jure negari non potest. Gangraenam scroti, quae secuta est thrombosin vasorum majorum, et ipsam causam obstruc-

[1]) Arch gén. de med. Juin 1842, pg. 135.

[2]) Cf. Bouchet: Memoire de la conguiat. du sang. dans la cachexie et dans les maladies chroniques, Gaz. med. de Paris, Avril 1845.

[3]) Experimenta de rat. int. puls. frequentiam, sang. press. lateralem et sang. fluent. celeritatem obtinente. Dissert. inaug. Dors. Livon. 1853.

[4]) *Hasse path. Anat. S. 44. — Betsius, Tiedemann und Traviranus Zeitschrift f. Physiol.* 1853, *Hft.* 1.

Digitized by Google

tionis nonnullarum venularum fuisse, si statuissemus, argumentis hoc probare possemus, sed nullius est haec res momenti.

Quomodo vero factum sit, ut circulatio sanguinis, in dextra vena renali impedita, primum (quantum observari potuit) praebuerit effectum in venis extremitatis inferioris dextrae, nobis quaerendum est. Qua in re equidem non dubito, quin certae causae inveniri possint, quae aeque ac in nostro casu in similibus similia efficiant. Primum stagnatio augeri eo potest, quod aorta et art. il. comm. dextra venam iliacam communem sinistram magis comprimit, quam dextram. Deinde nec sanae menti nec legibus physicis obstat, si, sanguinem e vena il. comm. sinistra effusum propius ad latus dextrum accedere, atque hanc ob rem thrombo e vena renali dextra in venam cavam prominente magis impediri, quam ex vena il. comm. dextra effusum, statuimus. Ad quae accedit, quod, ubi vena il. comm. sinistra in venam cavam incidit, angulus est acutior, quam in latere dextro (contrarius angulo, quem faciunt aorta et arteriae iliacae communes), quo efficitur, ut sanguis ex illa magis ad latus dextrum effundatur. Qui effectus sine dubio mutari potest, si alia aegroti viscera depravata sunt, aut si aegrotus dextrorsum sinistrorsumve cubat, itaque, praecipue in marasmo affectis, in partibus corporis infimis, stasis gigni potest.

Deinde coagulum e vena renali dextra in venam cavam prominens, pari modo ut crystallus, quem in lixiviam maternam aut coagulum, quod in sanguine, recenter e vena emisso, posuimus, attractionem sanguinis molecularem mutavit et tali modo sanguinem ad fibrinum denuo emittendum proclivem reddidit. Hoc modo primum ea pars venae cavae, quae infra venas renales sita est, paullatim obstructa est. Thrombus impedivit, non solum, quin in partibus superioribus sanguis libere fluerit, sed etiam, quin parietes venae collaberentur, atque hoc modo magis magisque vasis lumen implevit. Ita gradatim universa obstructio vasis effecta est, quod, dum sanguis ad latera thrombi tarde adhuc fluebat, magis magisque extensum atque pari modo hypertrophicum factum est. Praeter venam hepaticam sinistram venas diaphragmaticas, quas non observavimus, depravatas non fuisse, opinamur. Contra obstructas fuisse sine dubio venas lumbales transversas, spermaticas internas et suprarenales (quamquam investigatae non fuerint), pari modo ut eas extremitatum inferiorum venas, quae in venam iliacam externam transeunt. Quantum venae epigastricae et circumflexae ilium, quantum venae organorum pelvis, in venam iliacam internam transeuntes obstructae fuerint, quantum efficiendae circulationi collaterali inserviverint, de hac re nostro in casu dejudicari nequit. Verisimilius est, circulationem collateralem renum effectam esse vasis capsulae renalis, quae hiant in venas lumbales ascendentes, cum vena azyga et hemiazygea se conjungentes, neque minus fluxum sanguinis redeuntis ex extremitatibus inferioribus causam habuisse in anastomosibus ramorum, qui in venam azygam et venam cavam transeunt. In venis cutaneis non extensis argumentum invenimus, venas profundiores, praecipue azygam, ad circulationem collateralem

Digitized by Google

efficiendam suffecisse, atque veras esse *Hallettii* *) observationes amplissimas, cujus verba sunt: „When the inferior vena cava is obliterated, the deapseated veins are generally enlarged and the superficial veins are only enlarged, when a number of other veins besides the vena cava inf. are obstructed."

Attamen mirum est, quod aegrotus in tanta obstructione partis venarum maximarum vitam degere, quin etiam per menses nonnullas non ita male se habere poterat. Cujus rei causas repetere possumus e morbo lente increscendo, vasis infiammationem exiguam, in ultimo morbi stadio demum universam fere venae cavae thrombosin efficiente, e circulatione collaterali ad vitam aegroti sufficiente, e defectu pyaemiae, ex embolia denique deficiente. Accedit quod in arteria pulmonali minimum coagulum omnino non inventum est, quod magni profecto est momenti.

Quare, nisi in piam matrem et ventriculos cerebri quoque serum transsudatum fuisset, paracenthesi fortasse exitus lethalis in breve tempus retardari potuisset. Contra certum est, ad thrombosin sanandam tam late serpentem therapiam nostram non modo nec valere nec valituram esse, sed etiam sanationem nunquam ope naturae, neque formatione canaliculorum in ipso thrombo, nec deterendo thrombo et in sanguinem recipiendo, nec denique circulatione collaterali perfici posse. —

Aliae quoque de hoc quam enarravi casu observationes et conjecturae fieri possunt, sed ea quae maximi sint momenti ad casum dijudicandum attulisse, mihi videor. Sic quaeri potest, num affectiones morbosae, quae per ultimum morbi temporis dimidium aderant, e catarrho intestinali, qui morbum apeciebat, originem ducerent (quod equidem peculiare malum cum iilis non conjunctum fuisse, crediderim); — porro, unde ortum sit et quomodo processerit carcinoma renale (quod pervetustum fuisse saltem per aliquot annos exstitisse puto); — deinde num hujus mali diagnosis instituenda fuerit, quae quidem hoc in casu fieri vix poterat, cum neque dolores in regione lumbali neque cellulae carcinomatosae, neque pus cet. in urina adessent; — denique operae pretium erat quaerere, quid de lata illa zona ventrem circumdante statuendum esset, quam pityriasin tabescentium fuisse, mihi verismillimum est.

*) On the collateral circulation in cases of obliteration or obstruction of the venae cavae, — Edinb. med. and surg. Journ. April 1848, pg. 291.

Digitized by Google

THESES DEFENDENDAE.

Herniotomia instituenda, quoties dubium adest de conditione tumoris, quem herniam incarceratam suspicaris.

Nulla hypochondria sine materie.

In operationibus obstetriciis, caeteris paribus, vitam matris magis quam infantis respicere debes.

Syphilis e lepra originem duxit.

Typhus exanthematicus pleonasmus; typhus petechialis tautologia.

Spadonum foecunditas in foro num semper jure negetur, dubium est.

Nihil interest medico et inter venenum et medicamen et alimentum.

Digitized by Google

1856. VII.
MEDIC. V.

DE VENARUM PULSU

EIUSQUE CAUSA VALVULA MITRALI INSUFFICIENTE

CUM

FORAMINE OVALI APERTO

CONIUNCTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

NICOL. HENRICUS VALENT. RITTER

KILIENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVI.

Digitized by Google

Imprimatur:

Dr. *E. F. Goetz,*

h. t. Decanus.

Digitized by Google

Jam diu medicis notum est, venas in regione jngulari sitas, venas jngulares externas, internas, subclavias cet. rel. tumefactas undulare, pulsare impedito sanguinis in cor refluxu. Communicarunt inter se medici cordis affectionum quarundam symptoma esse pulsum venosum et unius prae ceteris mali signum vere pathognomonicum valvulae tricuspidalis insufficientis. Mihi quidem historiae morbi duae contigerunt, quas momenti esse sane non negetur, quarum altera symptomatibus malum idem praedicat. Casus alter ex autopsia certe dijudicatus pulsum venosum praeclarum in viva, in mortua et valvulam mitralem non sufficientem et foramen ovale patens ostendit. Alterius casus symptomata cordis affectionem eandem ostendere et pulsum venosum a valvulae mitralis insufficientia cum foramine ovali aperto conjuncta derivandum esse, ut demonstrem, id, quod mihi proposui, est. Quodsi mihi contigerit, novum quiddam nondum a scriptoribus allatum momentum inter causas pulsus venosi recipietur.

Primum eas, quas in venis regione jngulari sitis videmus mutationes describemus et ea, quae de hac re scriptores attulerint, respiciemus, tum momenta causalia dijudicabimus, denique casus, de quibus diximus, enarrabimus eaque, quae de iis judicemus.

Jam Galenum in commentariis ad Hipocratis aphorismata casus mentionem fecisse, quo cum cephalalgia magna venarum jngularium pulsationes affuerint[1]) nil probat, nisi inde ab antiquissimis temporibus ante oculos venisse medicis sanguinis in cor non refluentis turgorem venosum, cujus singula momenta et causae recentioribus et fere novissimis demum temporibus explicata sint.

Momentis quibuscunque sanguinem ad cor refluentem impedientibus expletio major et dilatatio venarum sanguinem adducentium efficitur, unde dyscrasia quaedam et turgor permanens resultare potest. Quem turgorem optime observamus in venis vastis et superficialibus jugularibus externis et internis, inde venas vicinas thyreoideas, plexusque venarum thoracicarum cervicalium, temporalium, facialium, nec non extremitatum (inde a vena subclavia) invadentem. Ad quem turgorem venosum, quo, faventibus rebus, macie, provectioribus annis, venae singulae restiformes quasi prominent, semper

[1]) cf. de hoc casu *A. F. Testa.* Delle malatie del cuore et cet. Bologna 1810—11. 3 Volumin. Vol. III, cap. XVII.

Digitized by Google

momentum illud turgoris venarum exspiratorii accurrit, id est sanguis venosus dilatatione thoracis inspiratoria aspiratus et celerius evacuatus, inter exspirationem in venis retinetur, quum thorax exspirando angustior factus defluxum prohibeat. Quo fit, ut venae supra normam oppletae et intensae undulent exspirando turgescentes, decrescentes inspirando, nec non in sanis, sive in hominibus sanguinis circulantis impedimentis organicis non affectis motibus exspiratoriis complexis, tussi, imprimis, ut afferam, in infantibus pertussi affectis turgor venosus efficitur. Hunc vero exspiratorium pulsum, qui optime in venis superficialibus ante oculos venit, minime conferas cum pulsu venarum scriptorum, quem Testa arteriositatem venarum appellavit,[2]) quo statu praeter incrementum venarum et decrementum respiratorium vera diastole venae et systole exsistit cordis motu effecta, arteriae pulsus instar, fere cum arteriarum subjacentium pulsu synchronicae, momento tantum cordis pulsationem sequentes, cujus pulsus undae sursum surgunt. Vena quidem supra claviculam compressa intumescit dum pulsationes ejus premendo cessant, quo facile pulsum venosum verum pulsationibus iis discernimus, quas interdum in venis turgescentibus arteriarum subjacentium pulsu concussis videmus, non sursum surgentibus, et dilatatione et contractione carentibus, quarum pulsus vena prope claviculam compressa non cessant, sed etiam increscunt. *(Zehetmayer.)*[3])

Duo igitur pulsus venarum momenta sunt. Primum exspiratorium incrementum magnum, decrementum magnum inspiratorium, in qua, ut ita dicam, unda majore undulationes minores exsistunt ex cordis motu ortae, incrementum systolicum, decrementum diastolicum *(Weber)*[4]). Qui pulsus venosus verus jam diu notus, neque a Lancisio[5]) primo observatus est, qui quidem venarum pulsum a cordis morbo pendere primus docuit. Etiam casum illum a Galeno allato Testam[6]) pulsus venosi veri casum fuisse praedicat. Hombertus[7]) casum enarrat, quo venae brachiales et colli pulsus dederint praeclaros imprimis palpitationibus cordis, quibus mulier illa saepe affecta esset, auctos, numero arteriarum pulsibus non plane aequales sed ictui cordis permagno plane synchronicos, palpitationibus cordis cessantibus evanescentes. Ejusmodi casum Zulianius[8]) affert, quo venarum brachii pulsus arteriarum pulsus aequarint ita, ut „chirurgus venam secaturus confunderetur, metueretque.“ Neque minus Uccellius venarum in latere colli pulsus praeclaros dantium casum enarrat Bresciae in nosocomio observatum, quo autopsia atrium dextrum nil praeter normam ostenderit, ventriculus dexter „unice dilatatus aliquantulum apparebat.“ (Observat III, de quo casu apud Testam legimus[9]).

[2]) Testa l. c. Vol. III. cap. VII.

[3]) *F. Zehetmayer. Die Herzkrankheiten. Wien* 1845. p. 47 u. 48.

[4]) *G. Weber. Theorie und Methodik der physikalischen Untersuchungsmethode bei den Krankheiten der Athmungs- und Kreislaufs-Organe. Nordhausen* 1849. § 66.

[5]) J. M. Lancisi. De motu cordis et aneurismatibus. Romae 1728. Fol. L. II. proposit. 37. p. 90.

[6]) Testa l. c.

[7]) Histoire de l'Academie Royale des sciences. Année 1704. p. 161.

[8]) Fr. Zuliani. De quibusdam cordis affectionibus. Brix. 1805.

[9]) Testa l. c. Vol. III. cap. VII.

Digitized by Google

Insignem casum Bensonius [10]) affert, quo venae manus dorsales, utriusque brachii superficiales pulsus praeclaros dederint. Venae restiformes prominebant, quarum pulsus non solum videbantur sed etiam digitis impositis sentiebantur momento tantum arteriae radialis pulsibus seriores. Utrum venae jugulares vere pulsarint, Bensonio dubium erat ob carotidum pulsus fortiores. Motu exspiratorio certe venae tumefactae increverunt, inspirando collapsae sunt, ceterum semper pulsu tremente undulantes.

Quamvis non paucis casibus a scriptoribus nobis allatis pulsus venosi modus dubius sit, jam ea, quae attulimus, etiam pulsum venosum proprium, a cordis motu pendentem, diu notum esse demonstrant. Cujus pulsus venarum symptomata et causas pro parte jam satis bene explicata esse etiam priorum scriptorum, qui de cordis affectionibus egerunt, scripta probant, ut Testam [11]) afferam et imprimis Kreysigium [12]). Tum recentioribus annis Zechetmayerus [13]) de venarum pulsu optime disseruit. Hamernjkius [14]) vero primus rei, de qua agimus pernoscendae satisfecit disquisitionibus suis physiologico-pathologicis. Hamernjkius vere illustravit et explicavit rationes venarum anatomicas huc pertinentes, causasque, ex quibus venae turgescunt, undulant, pulsus dant, dum ea quae de strepitu venarum inspiratorio docuerit, et id, quod sanguinis circulationem motu thoracis respiratorio moveri dicat, jam causis scientia physices praebitis dissoluta esse notum sit [15]).

Ante Hamernjkium enim, qui rationes venarum in venas anonymas dantium anatomicas omnes clarissime explicavit, imprimis valvularum, quibus hae venae gaudent, vis omnino respecta non est. Quamobrem scriptores sanguinem atrio dextro, vena cava superiore, venis anonymis, jugularibus, subclaviis cet. reliquis contentum massam continuam esse putarunt, quae, ut in cor defluat, ex ulla causa impedita eo ipso in venarum, quas attulimus lumina relabi et regurgitari possit. Quod idem etiam Hamernjkius libello priore tempore scripto [16]) docuerat, id quod tum disquisitionibus anatomicis strenuissimis, quas cum Grubero instituit, edoctus falsum esse demonstravit. Ita res sese habet [17]) In regione articulationis costae primae sternalis in utroque corporis latere vena jugularis interna, subclavia, anonyma communicant eo loco constanter valvulis instructae inter motum exspiratorium unumquemque ita vasis lumen

[10]) A case of pulsation in the veins of the upper extremities by Charles Benson M. Dr. Dublin Journal of Medical Science. Vol. VIII. First Series 1836.

[11]) Testa l. c.

[12]) *Fr. L. Kreysig. Die Krankheiten des Herzens. Berlin* 1817. Vol. I. p. 307.

[13]) Zechetmayer l. c.

[14]) *J. Hamernjk. Physiologisch-pathologische Untersuchungen über die Erscheinungen an den Arterien und Venen* et cet. *Prag* 1847.

[15]) De strepitu venarum Hamernjkius antea a Kiwischio et a Cejka novissime a Fr. Salzero jure oppugnatus est. (cfr. *Cejka, Prager Vierteljahrsschr. 24. Bd. Lit. Anz. S.* 11, 26. *Bd. Ergänzungsblätter S.* 1 ; 27. *Bd. Ergänzungsblätter No.* 13. 14. 15.) *Kiwisch. Verhandl. der physik.-med. Gesellschaft in Würzburg* 1850. I. *Bd. Fr. Salzer. Beiträge zur Lehre v. d. Gefässgeräuschen. Giessen* 1854. p. 37. De motu sanguinis ex motu respiratorio orto. cf. *O. Funke. R. Wagner's Lehrbuch der speciellen Physiologie. Leipzig* 1854. p. 83.

[16]) *J. Hamernjk im Archiv der physiologischen Medicin von Wunderlich und Roser. V Jahrg.* II. *Heft* I.

[17]) cf. *Hamernjk. Physiologisch-pathologische Untersuchungen u. s. w.* p. 236 u. 237.

Digitized by Google

claudentibus, ut sanguinis ex vena anoyma in venam jugularem internam, seu in subclaviam sursum regurgitare nequeat, neque una harum venarum cum altera communicet. Venae illae in loco, quo luminibus communicant, id est eo, cui valvulae insertae sunt, fasciae colli strato profundo et costae primae et superficiei claviculae internae affixae sunt ita, ut moveri nequeant. Vena anonyma dextra brevis recta in venam cavam superiorem dat, vena anonyma sinistra multo longior prope sterni superficiem posteriorem decursum transversum facit angulo et cum vena cava superiore et cum vena jugulari interna sinistra communicans, quamobrem sanguis e vena jugulari interna sinistra in venam anonymam sinistram non tam celeriter decurrit, quam ex vena eadem in eandem venam lateris dextri, quum sanguinis defluentis impetus angulo frangatur. In valvulis, de quibus disserimus, inter motum exspiratorium sanguis nititur, quum motu thoracis exspiratorio sanguis, qui venis cavis et anonymis continentur, pro copia sanguinis et pro thoracis contractione compressus valvulas in thoracis finibus sitas elevatas claudat ita, ut venarum supra et infra valvulas sitarum lumina plane separentur. Sanguis ex corporis partibus peripheriicis continuo refluens, valvulis insistens, per totam exspirationem increscens sensim sensimque venas jugulares internas, subclavias, jugulares externas cet. rel. implet, atque extendit sursum turgescentes, qui turgor inde a valvulis surgens ad venas minores propagatur.

Ex iis, quae de rationibus regionis nostrae anatomicis attulimus, sanguinem inter motus exspiratorios fortes, complexos valvulis lateris dextri, quum et vena anoyma dextra brevior et latior sit, et via rectiore cum vena cava communicet, majore vi valvulis inniti, apparet, quamobrem semper venas colli lateris dextri, venam jugularem internam, subclaviam, jugularem externam magis extensas, quam sinistri lateris venas videmus. Quare etiam apparet vena cava, auricula, atrio, ventriculo dextris dilatatis venas lateris dextri potius extendi. Sanguis enim, qui hisce venis continetur, etiam per valvulas sufficientes per sanguinem, qui vena cava continetur, magis premitur, quam is, qui sinistri lateris venis movetur. Qua sanguinis vi premente imprimis vena jugularis interna dextra afficitur, quare haec vena supra valvulam sacci instar inflata est, quippe quae sanguine motu quoque exspiratorio extendatur. In loco eo, quo vena jugularis interna cum subclavia communicat, cui valvulae insertae sunt, venae tela conjunctiva firma, brevi costae primae alligatae sunt, quo angustiores quam supra et infra fiunt. Quam hujus loci angustiam in neonatis non videmus, et vena jugularis interna dextra ob id tantum sacci instar inflata est, quod sanguine premente magis afficitur, et quod tota fere in fovea illa triangulari sita inter musculi sternocleidomastoidei capita, et levi tantum tela cellulosa circumdata, facile extenditur. Lateris sinistri vena maximam partem e musculo sternocleidomastoideo obtecta, firmiore circumjectu gaudens, non tam recta premente sanguinis vi afficitur. Sufficientibus valvulis hominem si, ut tussiat, flet, canet, premat institues, initio inferiores venarum colli, in specie venae jugularis internae dextrae partes observanti patentes vacuas vi-

Digitized by Google

debis, sanguinem thoracis non recipientes, quippe quae demum momentis qnibusdam post sanguine peripherico affluente impleantur.

Longe alia res valvulis non sufficientibus. Sanguis, qui venis, quarum valvulae non sufficiunt, continetur, cum eo, quem venae anonyme et cava superior ducunt, et cum eo, qui atrium dextrum implet, continuus communicat. Quare sanguis, ut ex atrio in ventriculum dextrum defluat, ex ulla causa impeditus unaquaque cordis contractione in venas insufficientes relabitur, quo pulsus venae verus, cum contractione systolica isochronicus, minimo tantum postponens efficitur. Quo casu quum incrementum venae majus exspiratorium, tum pulsus minores, cordis contractiones sequentes, videmus.

Haec valvulae insufficientia imprimis in vena jugulari et praecipue in dextra quidem observata est, rarius in vena subclavia, cujus vitii Hamernjkius [18]) casum affert in vena subclavia dextra observatum. Praeterea casus illius jam allati mentionem facimus, quem apud Zulianium [19]) legimus, quo venae brachiales pulsus dederunt, tum illius, quem Bensonius [20]) enarrant, quo venae manus dorsales et brachiorum superficiales pulsarunt et denique illius ab Homberto [21]) allati, quo insultus asthmatici venarum colli utriusque brachii pulsationes ostenderunt. Hisce casibus omnibus venarum pulsus contractiones cordis secutos esse jam supra commemoravimus.

Valvula venae jugularis internae dextrae non sufficiente haec vena perpetuo extensa trigonum inter musculi sternocleidomastoidei capita situm promovet, qui tumor venosus, dum minores motus respiratorii sunt, in tuberculum caroticum, inter motus exspiratorios complexos in maxillae inferioris angulum surgit. In tuberculo carotico enim (Chassaignac) id est in eo loco, quo vena jugularis interna in processus transversi vertebrae colli sextae radice anteriore decurrit, vena processu prominente modice inflectitur. Quatuor circiter lineis subtus vena a musculo omohyoideo tecta ex capitis habitu interdum in tuberculo illo musculo comprimitur. Ex quo apparet, sanguinem in venam jugularem valvula non sufficiente laborantem, ceterum valvulis carentem, relapsum seu regurgitatum primum tuberculo illo et musculo omohyoideo, tum hac angustia superata, foramini lacero inniti. Talibus quidem casibus venae jugularis internae tumor adeo increscere potest, ut inter exspirationes complexas in fovea triangulari ovum gallinaceum magnitudine aequet in maxillae angulum surgens. [22]) Quo tumore, si unilateralis est, saepius in latere dextro, quam in sinistro observato, collum formam habet obliquam, mire inflatam. Digiti tumori impositi exspiratione unaquaque forti venae parietes vibrantes sentiunt, quas vibrationes rarioribus quidem casibus etiam aures percipiunt tanquam strepitum mollem. Quem strepitum vibrationibus pa-

[18]) l. c. p. 244.
[19]) l. c.
[20]) l. c.
[21]) l. c.
[22]) Hasce rationes optime descriptas jam apud Kreysigium legimus l. c. Vol. I, p 307.

Digitized by Google

rietis venae sanguine venoso relapso intensi inaequalibus (Weber [23]), neque sanguinis regurgitati in parietibus frictione (Hamernjk [24]) oriri, ex iis, quae nostris temporibus de strepituum, qui in corde et in vasis percipiuntur, doctrina judicantur, apparet. Easdem vibrationes Hamernjkius casu quodam in vena subclavia supra modum extensa digitis sensit, [25]) Hamernjkius etiam Skodam de hac re disserere putat, quum se uno casu in vena subclavia strepitum obtusum auribus percepisse dicat. Quo casu Skoda venam valde extensam pulsus dedisse cum ventriculorum dilatatione synchronicos, tam fortes, ut digitis arteriae pulsibus similes sentirentur, praedicat.[26])

Pulsationes illas exspiratorias et minime diastolicas fuisse nosmet Hamernjkium sequentes sane putemus. Recentiore libri editione [27]) de hac re Skoda omnino nihil affert hunc strepitum in vena perceptum plane omittens. Neque de hac re Salzerus quidquam dicit [28]). Hujus strepitus causam solam nil, nisi parietem venae extensam vibrantem esse jam supra diximus, quare hic strepitus venae exspiratorius eadem causa, qua inspiratorius ille gaudet, non diversa et opposita quasi (Hamernjk), quum uterque vibrationibus parietis venae inaequalibus excitctur.

Valvulis illis non sufficientibus sanguis regurgitatus etiam in venae jugularis internae et subclaviae ramos, seu potius radices premit communicationibus variantes, quum, ut unam afferam, vena thyreoidea inferior modo in venam subclaviam, modo in venam jugularem internam, nec non in venam anonymam ipsam sanguinem effundat cet. rel. ita, ut casus quisque rationes suas praebeat. Insufficientia valvulae venae cujusdam singulae, verbi gratia venae jugularis internae, adhuc nunquam morbus sui generis, sed secundarius tantum ex malis sanguinem, qui in cor defluat, valde impedientibus ortus a medicis observatus est. Casibus iis, qui autopsia illustrati sunt (Hamernjk l. c.), valvula videbatur ceterum sana dilatatae et hypertrophicae venae lumini non sufficiens, dilatationi venae non accommodata, quae quidem accommodatio cordis dilatati valvulis sanis optime contingit, destructionibus organicis, endocarditicis tantum insufficientibus. Insufficientia venarum plane mechanica. Sanguinis copia ex ulla causa in iis increscente venae cavae et venae anonymae primae, tum venae jugulares, subclaviae cet. rel. et, ut in venas anonmas sanguinem effundant, impeditae, et per valvulas adhuc sufficientes pressionem majorem perpessae extenduntur. Tum in venis jam dudum dilatatis seu motibus exspiratoriis complexis valvula quaedam jam diu maximae insensa et pressa, subito victa repellitur, seu sensim dilatatio adeo increscit, ut lumini majori valvula sufficere nequeat. Talibus casibus non solum venam

[23]) l. c., quo pag. 122 de „strepitu venarum exspiratorio“ haec dicit: *„Immer findet es sich erst am Ende einer Exspiration, nachdem die ausgedehnte Vene durch das rückstauende Blut eine gewisse Spannung erhalten hat und in Schallschwingungen gerathen kann.“*

[24]) l. c. p. 243.

[25]) l. c. p. 244.

[26]) cf. Hamernjk l. c. pag. 244.

[27]) *J. Skoda. Abhandlung über Perkussion und Auskultation. 5. Aufl. Wien 1854.*

[28]) Salzer, l. c.

Digitized by Google

cavam superiorem, sed non minus inferiorem sanguine extendi, undulare, hepar increscere afferam, vix necesse est, quum ita rem se habere jam per se appareat.

Quod ad modum attinet, quo pulsus venosus cordis pulsum sequatur, scriptores plurimos venarum pulsus contractionibus systolicis isochronicos fere, sed minimo postponentes esse, inter se communicare jam ex iis, quae supra attulimus, apparet. De qua re Hamernjkius agit, quum venae extensae pulsus pulsibus arteriae subsequentes esse dicat.[29]) Gendrinus quidem interdum duplicem pulsibus cordis pulsuum venosorum numerum esse contendit, quum et minorem undulationem praecedentem, atrii contractioni parem, et pulsum fortiorem cum systole cordis exactissime isochronicum digitis venae pulsanti impositis sentire praedicet casibus quibusdam valvulae tricuspidalis non sufficientis cum permagna atrii dextri hypertrophia junctae[30]). In corde sano ventriculorum contractionem eum contractione atrii fere isochronicam esse, quum contractionem atriorum inde a venis magnis incipientem[31]) et vix momento ventriculorum contractioni praecedentem illico in totum cor propagari ex ipsa vivisectione notum sit, jam dudum scimus, quam atrii systolen tam parvi momenti atque tam debilem Hamernjkius esse dicit, qua venae pulsum oriri posse neget[32]). Utrum haece res aliter se habere possit atrio dextro valde hypertrophico, an Gendrinum opinio fefellerit, de eo non certe jndicemus.

Quaenam vero causae remotiores sunt, quibus efficitur, ut venae extendantur ita, ut valvulae lumini non sufficiant?

Lancisius[33]) primus pulsum venarum a cordis affectione derivavit, quum ad cor dextrum dilatatum referret. Dilatationem ventriculi dextri, atrio a norma non discrepante, Zulianius adfuisse casu illo a nobis allato narrat, quem apud Testam[34]) legimus. Nec non Hombertus[35]) dilatatum cor venarum pulsantium causam fuisse praedicat. Morgagnius[36]) casus affert, quibus atrium dilatatum se contrahere non posset. Testa talibus casibus venarum pulsus ventriculorum contractionibus synchronicos esse praedicat, quum sanguis per venam cavam ob id tantum regurgitetur, quod ventriculus dexter sanguinis copiam majorem, quam in arteriam pulmonalem effundere posset,

[29]) l. c. pag. 250.

[30]) M. A. N. Gendrin. Leçons sur les maladies du coeur et cet. Paris 1841—1842, pag. 136, 137.

[31]) Non inde ab auricula (id, quod Hallerus contendit) qua de re conferas: *G. Kuerschner Art, Herzthätigkeit, R. Wagner's Handwörterbuch der Physiologie. Braunschweig* 1846, *Bd.* II. *Abth. a*, pag. 35.

[32]) l. c. pag. 253.

[33]) l. c.

[34]) l. c.

[35]) l. c.

[36]) Morgagni. Epistol. anatomic. XVII. Art. XII, quo loco haecce verba facit: „atrium prohibente crusta interna sive cartilaginea, sive ossea, ipsaque hujus aut parietum reliquorum duritie contrahere se non poterat, sed rigida et inflexilis in perpetua dilatatione permanebat."

Digitized by Google

recipiat[37]) „Quo fit, ut valvula atrioventricularis damno affecta ventriculus eadem contractione, quo sanguinem in pulmones mittit, partem sanguinis in atrium, ex quo momento ante effluxit, regurgitet. Quare sanguis iterum in atrium rediens sanguini cordi affluenti obviam venit et ita subito venas extendit."

Kreysigius[38]) atrium dextrum et praecipue ostium venosum dextrum dilatatum, quod ab ostii arteriae pulmonalis seu arteriae ipsius impedimentis seu laesionibus pendere possit, pulsantium in collo venarum causam esse praedicat, quum sanguis seu atrii, seu ventriculi ipsius contractione per atrium in venas regurgitetur. Praeterea Kreysigius venarum pulsationes atrii hypertrophici contractionibus ortas arteriae radialibus pulsibus non esse pares, isochronicas vero eas esse putat, quae dilatato ostio venoso ventriculi contractionibus moveantur.

Zehetmayerus[39]) primum quidem inter pulsus venarum causas valvulam tricuspidalem non sufficientem locum tenere, et solam, et cum ostii venosi stenosi junctam, dicit, cujus insufficientiae valvulae tricuspidalis duo momenta affert et valvulae destructionem pathologicam, et valvulam sanam ostii lumini in permagnum gradum dilatato non sufficientem. Plurimis vero casibus ostio dilatato valvulam sensim magis magisque adaptari affert. Quam ipsam valvulae sufficientis extensionem et attenuationem Gendrinus[40]) pulsus venosi causam esse praedicat, quum valvula magna sed attenuata sanguine premente inter ventriculi contractiones in ostium satis promineat et ita sanguinem atrio contentum in venas repellat.

Quod idem momentum, valvula tricuspidalis non sufficiens, omnino primum inter pulsus venosi causas apud scriptores locum tenet, quod optime jam eo probatur, quod Skoda pulsum, de quo agimus, omnino non affert, nisi, quum venas pulsantes insufficientiae tricuspidalis symptoma esse dicat[41]). Similia apud scriptores Germanos legimus, qui de pathologia et therapia universa agunt, verbi gratia Canstattium[42]), Wunderlichium[43]) cet. Weberus opere supra citato praeter insufficientiam et stenosin ostii venosi dextri etiam alia momenta (de quibus porro non loquitur) pulsus venosi causas esse dicit. Forgetus[44]) Franco-Gallus duplicem illum Moncreti pulsus venosi modum systolicum et diastolicum affert, quodsi verum esset, tamen non facile ante

[37]) Testa l. c. Vol. III. p. 379.

[38]) l. c.

[39]) l. c. pag. 48. 49. 50.

[40]) Gendrin. Leçons sur les maladies du coeur et des grosses arteres. Paris 1841. 42. Tome I, pag. 140.

[41]) Operis citati editione novissima.

[42]) *Canstatt. Handbuch der medicinischen Klinik. Erlangen* 1846. pag. 79, quo loco pulsus venosi modum duplicem affert Monneretum sequens, qui inter pulsum venosum systolicum, in sufficiente valvula tricuspidali ortum, et diastolicum stenosi ejusdem ostii venosi effectum discernit, quod quidem cordis vitium ostii venosi dextri stenosis tam raro evenit, ut Skodae nunquam adhuc ante oculos venerit.

[43]) *Wunderlich. Handbuch der Pathologie und Therapie. Stuttgart* 1846. 3. *Bd.* pag. 111.

[44]) *C. Forget. Grundriss der Krankheiten des Herzens, der Gefässe und des Blutes. Deutsch von Wolf. Giessen* 1852. pag. 61.

Digitized by Google

oculos veniret, et quia stenosis ostii dextri rarissime evenit, et quia stenosis cum insufficientia juncta esse solet. Praeterea Forgetus circulationis impedimenta quaecunque in arteriis, ostiis utriusque cordis venosis, in atriis et ventriculis ipsis, in pulmonibus sita pulsus venosi causam remotiorem fieri posse dicit, quod ita esse, ut dicam necesse non est, quum jam per se appareat. Stokes [45]) causam pulsus venosi praecipuam impeditam circulationem pulmonalem et ventriculi dextri oppletionem esse praedicans momenta causalia haec affert: 1) arteriae pulmonalis stenosin; 2) cordis dextri dilatationem, 3) ostii atrioventricularis sinistri stenosin. Praeterea casum affert, quo pericarditidem pulsus venos causam viderit.

Hamernjkius, qui praeclarissime de hisce rebus disseruit, pulsum venosum symptomata valvulae tricuspidalis non sufficientis certum esse neget, quum etiam sufficiens dilatati et hypertrophici ventriculi octio venoso valvula extensa et attenuata inter systolen in atrium prominere et in sanguinem premere possit, quo quidem, dum valvulae venis sufficiunt, venarum pulsus effici non posset. De stenosis ostii venosi in hac re vi Hamernjkius haec dicit: „atrium sinistrum dilatatum, hypertrophicum, endocardium opacum, venae pulmonales extensiores tunicis crassioribus praeditae sunt; vasa pulmonum capillaria quidem examen fugiunt, arteria pulmonalis vero semper supra modum extensa saepenumero toto pollice latior, quam aorta, atrium dextrum et ventriculus dexter dilatati, hyperthrophici, venae cavae et anonymae hypertrophicae cet., quo statu sensim sensimque et valvulae tricuspidalis et venarum colli insufficientia effici potest. Jam supra, ea quae Forgetus dicit, referentes pulsum venosum variis ex causis oriri posse diximus, affectionibus, quae circulationem sanguinis pulmonalem impediant, seu cordis partem sanguine oppleant.

Quare vitia illa cordis organica, insufficientiam valvulae tricuspidalis, ostii venosi dextri stenosin, nec non ostii venosi sinistri coarctationem, arteriae pulmonalis stenosin et insufficientiam primum inter pulsus venosi causas locum tenent, sed etiam affectiones alias, et chronicas, et acutas, causam ejus fieri posse apparet, quum in pericarditide [46]) eveniat, massis exsudatis venam cavam comprimi ita, ut sanguis in cor defluere nequeat, quo venarum turgor maximus effici possit et contractionibus cordis nondum debilibus factis pulsus venosus verus excitetur. Non minus dilatatio ventriculi dextri ingens ex pulmonum et pleurae affectionibus resultare potest, emphysemate, exsudationibus in pulmonum parenchyma, seu in pleurae saccum factis, quibus quidem casibus secundaria ostii venosi dextri insufficientia insufficientiam venarum secum ducit. Valvulae bicuspidalis insufficientis in hac re vim foramine ovali aperto quam maxime augeri ante oculos est, quum sanguis in atrio sinistro retentus, per foramen

[45]) *W. Stockes. Die Krankheiten des Herzens und d. Aorta. Deutsch von Lindwurm. Würzburg* 1855. *pag.* 165—172.

[46]) Hos non solum casu illo jam allato, quem apud Stockesium legimus, sed saepius observatum est.

Digitized by Google

ovale regurgitatus atrium dextrum quam maxime extendat necesse sit, quod momentum inter pulsus venosi causas gravissimum esse apparet. Hujus vitii duos casus enarrabo.

Morbi historia prima.

M. G., ancilla rustica, viginti quinque annos nata, statura satis procera, corpore bene robusto, jam per anni MDCCCLI unum mensem in nosocomio nostro academico curata, tricesimo anni MDCCCLII Novembris die denuo recepta est.

Aegrota per primos aetatis annos infirma atque aegra valetudine usa bronchialibus saepe catarrhis laboraverat, testataque est, se olim typho et ante hos quinque annos pneumonia defunctam esse. Ante hos quatuor annos partum enixa, neque gravida, neque puerpera insoliti laboris quidquam perpessa est. Usque ad anni MDCCCLI autumnum rusticis ancillarum operibus functa, inde ab ejusdem anni mense Junio parum recte se continuo valere senserat, femorum ventrisque intumescentiam et auctas adeo, quibus vexari solita, respirandi molestias conquesta erat. In hunc modum se habuit, dum in nosocomium academicum recepta est, cujus in commentariis anni MDCCDLI sic de ea traditur:

„Corpus digito percussum obtusum sonum reddit pertinentem inde a sinistri lateris costa tertia usque ad marginis sternalis viciniam, ita, ut duorum tantum digitorum spatium intersit, deorsum usque ad inferiorem thoracis marginem, sinistrorsum vera justos fines longe excedentem. Dextrum quoque sterni marginem illa repercussi soni attenuatio infra quartam costam latitudine digitali supergreditur. Strepitus systolicus rancus, inflatus, sonus diastolicus clarus, canorus.“ — Diagnosis proposita haec: „Insufficientia valvulae bicuspidalis juncta cum ventriculi dextri hypertrophia secundaria.“

Breve tempus in nosocomio morata, per unum fere mensem affuit, firmiore tamen aliquanto valetudine reversa ad pristinum vitae genus aegrota id per annum deinceps continuavit. Attamen continuis spiritus angustiis crebraque cordis saltatione vexata est. Brevi, antequam in nosocomium rediit, hydropica femorum ventrisque intumescentia denuo incessit.

Jam inventa sunt: cyanosis manifesta; genae, labra extremus nasus colore umbraceo cyaneo; par manuum pedumque color; extremitates oedematosae, tumidae; abdomen ultra justum modum extensum multum continuit liberi liquoris. Musculorum telae subcutaneae, mammarum atrophia.

Thorax planus apparebat, nisi quod in inferiore dextri lateris parte curvatus mirum in modum prominebat; id quod factum hepate insigniter aucto, quod quinta costa tenus praecordia propulerat et supra liberum costarum marginem sex digitorum latitudine prominebat ita, ut anterior ejus pars infra umbilicum contrectanti appareret manifesta. Cordis contractiones anteriorem thoracis parietem utraque sterni parte quas-

Digitized by Google

sabant, et etiam in posterioris ejus parietis latere sinistro et in abdomine a manu imposita clare animadvertebantur. Repercussi soni circa cor attenuatio incipiens inde a tertiae costae cartilagine jam in summa hac altitudine dextrorsum ultra dextrum sterni marginem tribus digitis porrigebatur, et apud quartam costam ad dextram papillam fere pertinebat, sinistrorsum axillam prope attingens. Sub papilla sinistra facile audiebatur intensus strepitus, asper, systolicus, sonus diastolicus strepitu illico subsequente. Supra inferiorem sterni partem sonus systolicus cum strepitu, sonus diastolicus purus, clangens, hicque supra medium sternum systolicus sonus clare auditur, et in altero tertioque lateris sinistri spatio intercostali sonus diastolicus eximia claritate percipitur, isque clangens. Cordis contractiones admodum sibi non constantes inter exspirationem increscebant quam fortissimae et creberrimae, inter inspirationem eae aperte nonnunquam intermissae.

Jam ex iis, quae enarravimus, apparet cordis mutationes inde ex eo tempore, quo primum in nosocomio retinebatur aegrota, insigniter fuisse auctas. Cor in latiorem longe ambitum increverat. Praeter bicuspidalis valvulae insufficientiam accesserat nunc jam ostii venosi sinistri coarctatio.

Praeterea animos in se convertebat symptoma, in commeutariis anni MDCCCLI certe non commemoratum, manifesta scilicet venarum jugularium pulsatio. Pulsabant enim pari fere cum cordis pulsu — ita quidem, ut minimo quodam tomporis momento seriores subsequerentur — non solum interiores colli venae exque earum numero prae ceteris vena jugularis interna dextra, verum etiam universi, qui in cutis superficiem enituntur rami, idque sinistro quoque in latere, uti venae jugulares externae, thyreoideae cet. Venae latissime extensae, inter exspirationem intumescebant, pulsabant cum systole et, si complexae incedebant exspirationes eoque crebrescebant contractiones systolicae, tremula motione agitatae sunt. Pulsus arteriae radialis exigui, debiles, centeni viceni per singulas minutas. — Exploratis respirandi organis cognita sunt signa catarrhi atria respiratoria occupantis. Aegrotae respiratio supra modum impedita; ipsa nullum fere corporis situm sustinebat, nisi erecta assideret, et ita sedendo totas noctes transegerat, multum tussiebat uberrimamque serosorum sputorum copiam ejiciebat. Praeter saliens cor et interclusum spiritum conquesta est aegrota dolores alvum quam maxime extentum excruciantes, qui somnum ipsae vix permitterent. Ciborum appetitus exiguus, alvus parum soluta. Urinae secretio maxime exigua. Urina albuminis nihil, neque ullam bilis partem continens, eo plus vero in ea inerat salium, sedimentum magnum praebentium. Drasticis medicamentis catharticis et diureticis aegrotae conditionem aliquando corrigere contigit. Dolorum in extentis alvi tegumentis acerbitas crebriorem opii usum necessario flagitabat. Tribus hebdomadibus praeterlapsis rursus vehementissima dyspnoea ingruebat. Qui procul audirentur crepantes strepitus bronchia prodebant liquore redundantia; emetici adhibiti nulla jam vis, conscientia evanuit, mors insecuta.

Digitized by Google

In mortua praeter piae matris vasa capillaria sanguine injecta et cerebrum sanguinis copia abundans in cavo cranii nil pathologici ante oculos venit. Venae colli magnae crassos funiculos fibrinosos continuerunt. Remoto sterno pericardium inde a dextra mammilla usque ad sinistram et vel trium digitorum latitudine amplius, et sursum usque ad tertium costaliam cartilaginum par a pulmonibus non obtectum patebat. In pericardio magna flavescentis seri vis. Cor prae justo ambitu jam altero toto majus. Dextrum atrium coagulato sanguine prorsus expletum et supra modum extentum ambitu et forma splenis modicae magnitudinis speciem prae se ferebat. Epicardium norma crassius innumeris, maculis opacis guttatum maculas tendineas processibus pericarditicis ortas ostendit. Nec non ventriculus dexter maculis tendineis caret. Aperto dextro corde enormis quaedam massa fibrinosa coagulata, sufflavo sero infiltrata removebatur. Simul foramen ovale oculis propositum, quod inter atria mirum in modum dilatata communicationis viam aperuerat duobus digitis latiorem et quasi, ut significaretur paries intergerinus, circumsutum erat limbo quodam paucarum linearum latitudine. Liber acutusque hujus intergerini rudimenti margo tortuoso flexu foramen cingebat. Valvulae tricuspidalis vela supra modum creverant, justoque latiora apparebant, superficies eorum laevis, plana, splendida. Ventriculos dexter aliquanto dilatatus, ejus parietes justo crassiores; muscularis substantia, qualis esse debet; endocardium haud turbatum. Sinister ventriculus eodem modo dilatatus parietes praebebat crassiores adeo, quam dextri; papillares ejus musculi hypertrophia occupati et usque ad summos apices inter sese concreti. Tendinum fila ad valvulam mitralem pertinentia in complures crassos, deformes funes erant confusa. Quo factum est, ut conspissati illi firmisque nodulis circumsuti valvulae margines in deformem massam essent convoluti, et posterius brevius eorum velum ventriculi parieti immotum adhaereret, dum anterius longius ex parte tantum motu suo erat orbatum. Arteriae pulmonalis immane dilatata, ejusque membranae, etsi crassiores, nullam tamen, quae demonstrari quidem posset, structurae mutationem passae. Semilunares arteriae pulmonalis valvulae justa sua natura, nec non, quae ostium aortae attingit. In dextro pleurae sacculo multum inerat seri flavescentis. Uterque pulmo grandis, ponderosus, ex rubro subniger. Bronchia et trachea lento spumanteque secreto plane expleta. Atriorum respirationis membrana mucosa usque in tenuissimos ramulos ex rubro subnigra et convoluta. In superiore dextri pulmonis lobo retrorsum infarctus quidam recens, haemorrhagicus, nucis juglandis fere magnitudinem exaequans. Ceteroquin utriusque pulmonis tela ubique aërem continens, sed supra modum sanguine redundans, qui ictu cultri solutus pleno flumine effundebatur. In alvo ad amphorae mensuram liquor flavescens pellucidus. Sub peritonaei folio parietali crebra et subserosa sanguinis effluvia magnitudine lentum inter et cicer diversa. Hepar sex digitorum latitudine infra liberum costarum marginem prominebat, plus duplo suetum ambitum superabat in superficie

Digitized by Google

asperum et tuberosum; firmissimum ejus parenchyma cultro insecanti fortiter obstitit; dissecatum marmoris in modum maculosum; albescentes funiculi in fusco fundo dilabebantur; tela conjunctiva recenti constituti. Splen duplo auctus, curvatus, firmus, durus. Ventriculus et glandulae mesenteriales nullas mutationes pathologicas preabebant. Renes aliquanto justo majores, utriusque tunica propria nonnihil condensata et turbata; facile tamen detrahebatur, et superficiem relinquebat prorsus laevem. Renum substantia pallida, firma, justae ceteroquin conditionis. Organa genitalia normalia.

Ex iis, quae de hujus casus anamnesi monuimus, colligi posse videtur pathologicas valvulae mutationes „pneumonia“ illa, de qua locuta est, ortas esse, quam ante hos quinque annos se sustinuisse aegrota professa est. Quod foramen illud ovale apertum remanserit, id per se singulares molestias creasse non videtur; certe justo progressu ancilla erat adulta, corporeque adeo grandi robustoque gaudebat. Increscentibus vero per proximos annos mitralis valvulae mutationibus necessario evenit, ut una cum turbis in circuitu sanguinis semper procedentibus deficiens quoque amborum atriorum sejunctio impedimenta crearet sensim sensimque validiora et denique vim nanciscerctur perniciosam. Aucta enim compressio, quam atrii sinistri imprimis parietes experti sunt, ubi valvula mitralis inter systolen sanguinem ex sinistro cordis ventriculo discedentem ab reditu in atrium arcere desiit, per apertum foramen ovale illico in dextri atrii parietes penetrabat, utrumque atrium pariter afficiebat, inque ambitum, quem descripsimus, insuetum extendebat. Eodem incremento, quo utrumque atrium in omnes partes sensim est dilatatum, necesse erat foraminis ovalis diametrum augeri; unde illa mirae latitudinis communicationis via parata. Impedimenta quam gravia adversus sanguinis ex corporis venis in dextrum atrium dimissionem eo oportuerit nasci quum ex sinistro ventriculo per sinistrum atrium recta via in dextrum regurgitaretur sanguis, quivis videt. Dici non potest, quanto graviora ea incedere necesse fuerit, quam si juste fuissent sejuncta atria, quam si causarum, quae sanguinis circuitum in sinistro ostio venoso impediebant, antequam in sanguinis per corporis venas decursum vim suam retorquere potuissent, aliqua certe ex parte fracta esset vis perniciosa, functione scilicet valvularum et semilunarium et dextrae atrioventricularis non turbata. Sed, ut nunc jam se habebat res, compressio hydrostatica, quae in dextri atrii parietes vim suam exercuerat, et, quominus sanguis ex venis dimitteretur; impediebat, immanem de qua memoravimus, dilatationem effecerat; quae quidem mutatio hanc cordis partem, quum non sufficiat valvula bicuspidalis, aut stenosis adsit ostii venosi sinistri, minus afficit. Neque haec tanta dextri atrii dilatatio, neque quod apertum esset foramen illud ovale in viva per diaguosin est agnitum, etsi soni repercussi attenuatio dextrorsum a sterno in tertia costa observata de dextri atrii dilatatione suspicionem movere potuisset, quum eo ipso in loco sub sterno justa siti atrii sedes. Potuit fortasse fieri, ut omnis conditio (id est foramen quoque ovale apertum relictum) conjectura esset praecepta, modo satis perpensa essent quaeque indicia, prae-

Digitized by Google

sertim, quam modo diximus, repercussi soni attennatio et systolica venarum colli pulsatio. Quavis enim systole ex sinistro ventriculo in sinistrum atrium sanguinis unda retorsa est, quae per amplum illud foramen ovale usque ad dextrum atrium penetravit.

Pro mira vero hujus atrii dilatatione, quae necessario etiam ad venam cavam superiorem pertinebat, mirandum quidem non erat, quod tennes venarum valvulae sursum non jam valuerint claustra exigere; quo factum est, ut regurgitationi in venas, id est pulsibus per systolen reducibus nihil jam obstaret. Confundere enim rem cum insufficientia valvulae tricuspidalis vetitum erat immani cordis hypertrophia et aucto sono diastolico in valvulis semilunaribus arteriae pulmonalis.

Historia morbi altera.

Eadem, quae in casu supra enarrato cadaveris demum exploratione cognita est, complicatio diagnosi proposita est, et quantum ego quidem censeo, summo jure proposita est altera vice in vivo homine. Cujus casus enarrationem egregio amico, Doctori *Bartels* debeo. Dolendum est in hoc altero casu sectionem permissam non esse; attamen, quae apparuerunt in vivo signa, mihi quidem omnem exemere dubitationem idem affuisse malum.

D. B. plaustrarius artifex, Ottendorfensis quadraginta quinque annos natus medici opem ob catarrhum bronchialem aestate anni MDCCCLIII imploravit. Laborabat homo kyphosi satis gravi, quae primis aetatis annis increverat; ceteroquin bene robustus artem suam adhuc assidue exercuerat.

Inde a prima infantia creberrimis catarrhis bronchialibus obnoxius, colore cyanoticus, continua dyspnoea vexatus fuerat. Ante aliquod tempus vires suas valde deficere sentiebat vixque sustinebat sueta opera. Primo statim oblatu cyanoticus in facie aegroti color animadvertebatur, qui in labris praecipue crassis et turgidis ad altius fastigium erat evectus. In genis, in naso, in oculorum membrana conjunctiva vasa venosa satis late extenta apparuere. Incedebat aegrotus corpore valde inclinato, respiratione utebatur crebra et anhelante tussique saepius intercedente interrupta. Extremi digiti nodosi, ungues adunci erant. Ubi deposuit vestem aegrotus, statim fortis venarum in collo pulsatio ante oculos proposita; haec paribus cum cordis pulsu intervallis incedebat, qui in quinto sinistro intercostali spatio nonnihil a linea mamillari in sinistrum vergens percipiebatur. Quae pulsatio non jam in sola vena jugulari interna, sed manifestissima etiam in vena jugulari externa valde extensa et in dextri lateris vena thyreoidea inferiore, in anserinae pennae crassitudinem aucta, minus manifesta, attamen, ut oculos non falleret, in cognominibus sinistri lateris venis occurrebat.

Digito inter ambo musculi sternocleidomastoidei capita impresso venarum pulsationes cessabant, sed intumescebant tunc quam maxime haec vasa. Percussione inde a tertio cartilaginum costalium pari deorsum sonus cognitus est attenuatus. Haec

Digitized by Google

attenuatio jam in tertii costarum cartilaginis altitudine dextrorsum latissime pertinebat, ut dextrum adeo sterni marginem superaret. Sinistrorsum attenuatio jam in quartae costae altitudine lineam mammillarem excedebat. In dijudicando tamen hoc rerum statu dorsi incurvationem modo memoratam, thoracis deformitatem inde ortam, mutatas ideo situs rationes accedere, minime omittamus. Cordis pulsus, uti jam memoravimus, in quinto intercostali spatio animadvertebatur, et manifestissime quidem a linea mamillari sinistrorsum. Sentiebatur tamen in spatio intercostali nominato per latitudinem duobus digitis ampliorem, nec non in quarto spatio intercostali sat luculenter observerbatur. Si quando in cubiculo breve tempus deambulaverat aegrotus, mox insecutae sunt cordis contractiones tam vehementes, ut quavis systole quinta costa haud obscure propelleretur auscultantis caput fortiter levans. In tertio spatio intercostali prope ad sinistrum sterni marginem arteriae pulmonalis pulsus clare percipiebatur[47]) et inter diastolen descriptus ille ab Hamernjkio primo ictus brevis valvulis semilunaribus lumen claudentibus ortus [48]). Auscultatione in regione, qua cor thoracem pulsabat clarissimus, systolicus strepitus observabatur, quem clarus insequebatur diastolicus sonus. Paulo magis dextrorsum deminutus audiebatur strepitus, et in dextro sterni margine diastolicus sonus clarus, juxta quem, qui in cordis pulsus loco auribus accipiebatur strepitus systolicus continuus vix animadvertebatur. Contra supra inferius sterni dimidium insigniter erat acutus diastolicus sonus. Ad tertiam dextri lateris cartilaginem systolicus strepitus multo tamen, quam in loco pulsantis cordis submissior, et diastolicus sonus non acutus audiebatur. Super arteriam pulmonalem sonus percipitur et strepitus mollis systolici, sonus acutus clangens diastolicus, ita, ut dubium esse non posset, sonum illum brevem, supra memoratum, qui inter diastolen in tertio spatio intercostali sinistro percipiatur et hunc sonum diastolicum clangentem eadem causa effici.

Pulmonum exploratio tum praeter catarrhi bronchialis extensi signa nil praeter normam ostendit. — Aegroti anno MDCCCLIII Octobris mensis die vicesimo tertio status.

Pridie dolore pleuritico acri, haemoptysi affectus, respiratione maxime opressa, erectus in lecto sedebat. Tussi copiam sanguinis congelati discoloris magnam ejecerat In latere sinistro sub scapulae spinam regio magnitudine volae manus sonum repercussum obtusiorem dedit, in quo eodem loco aure strepitus respiratorius perceptus non est, dum in vicinis crepitatio clarissima sonora audiebatur. Minime igitur dubium esse potuit pulmonem aegroti haemorrhagia esse infarctum.

Inde ab eo tempore aegrotus firmiore valetudine nunquam gaudebat. Jam Novembris mensis die decimo octava altero infarctu haemorrhagico pulmonis dextri

[47]) Arteria pulmonali ventriculo dextro hypertrophico a costa tertia in spatium intercostale tertium delapsa. Hamernjk op. cit. pag. 70. 71.

[48]) ibidem.

Digitized by Google

lobus superior invasus est. Sub finem anni hydrops ascites accessit et albuminuria intercurrens, quae ambae affectiones pilulis illis ab Heimio commendatis in tempus breve victae sunt.

Martio mense inter rapidam virium consumptionem ulcerationis pulmonum signa ante oculos venerunt, tussis, qua sputorum purulentorum foetidissimorum copia magna ejiciebatur. Sonus parte pulmonis sinistri superiore repercussus tympanicus et auscultando crepitus consonantes audiebantur. Mensis Aprilis initio denuo hydrops ascites et anasarca et modo post diarrhoeae aegrotum invaserunt. Inter tenesmum vehementem massae cruento-mucosae per anum evacuabantur. Dyspnoea jam continuo increscens aegrotum miserrimum coegit, ut saepe relicto lectu in sella sedens respirationis oppressione aliquantulo minore gauderet. Adhuc ea, quae cordis exploratio saepissime repetita docuit, semper eadem fuerunt. Nunc vero vi cordis magis magisque debiliore facta, primum sonus systolicus, qui antea super ventriculum dextrum et super arteriam pulmonalem semper audiebatur, evanuit, tum etiam sonus diastolicus non percipiebatur, qui vero etiam longe in spatio intercostali tertio prope sternum adhuc aderat. Denique in tota cordis regione murmur tantum et flatus debiles percipiebantur cum cordis motu debili incedentes. Postremo aegrotus cruciatus et morosus, ut strenue exploraretur omnino non permisit. Nec non venarum colli pulsantium indoles mutata est, quum pulsus singuli antea tam distincti undulationibus continuis irregularibus cederent.

Usque ad diem Maji mensis duodecimum aegrotus miserrimus vitam degit.

Diagnosin, ut autopsia confirmaretur non contigisse quam maxime deplorem.

Diagnosis haec proposita erat:

Valvula mitralis non sufficiens et foramen ovale apertum et sensim dilatatum, nec non atrium dextrum valde extensum.

Ea, quae sonus repercussus docuit, et locus, quo ictus cordis sentiebatur in spatio intercostali sinistro et a linea mammillari sinistrorsum ventriculum dextrum hypertrophicum esse demonstrarunt. Strepitus systolicus in regione ictus cordis clarissimus, sonus arteriae pulmonalis diastolicus acutus valvulam bicuspidalem ostio non sufficere ostenderunt. Pulsus venarum colli ut probaretur, quum valvula tricuspidalis ostio suffieeret (audiebatur enim super ventriculum dextrum sonus clarus, et vim sanguinis in arteriam pulmonalem auctam esse sonus hujus arteriae diastolicus acutus docuit, quare systole unaquaque cordis magna sanguinis copia in arteriam pulmonalem effunderetur necesse erat) nil restitit, nisi, quod quavis ventriculi sinistri contractione per valvulam non sufficientem sanguinis unda e ventriculo in atrium sinistrum et inde per foramen ovale patens in atrium dextrum et inde in venam cavam venasque illam componentes rejiceretur. Atrium supra modum extensum fuisse soni repercussi attenuatio in costae tertiae altitudine dextrorsum a margine sternali dextro extensa probavit. De pulsatione hepatica nihil commemoratum est.

Digitized by Google

Quod ad pulmonum affectiones attinet, pulmones haemorrhagia sanguine infarctos, exulceratos esse putandum est. De ulceratione tuberculosa suspicandum non est, et ob decursum mali tam rapidum, et ob rationes corporis et sanguinis, quas aegrotus ostendit, praeter id, quod infarctos haemorrhagicos affuisse signis certissimis a medico explorante constatum est.

Diagnosis proposita, quoad ad rem, de qua nos agimus, pertinet justa atque certa esse videtur et ex anamnesi, cyanosi, dyspnoea, catarrhis bronchialibus creberrimis, inde a prima aetate intercurrentibus, et ex iis, quae sonus repercussus et exploratio sthetoscopio instituta docuerunt, valvulae mitralis insufficientiam adesse, tricuspidalem lumini sufficere, atrium dextrum valde dilatatum esse, una cum venarum pulsu.

Catarrhi bronchialis et hyperaemiae pulmonum chronicae, sicut infarctus illi haemorrhagici aetiologia facile probatur. Quod infarctus, si in pulmones jam per annos catarrhis vexatos ventriculus dexter hypertrophicus, ceterum sanus, per arteriam pulmonalem sanam (valvulis semilunaribus sufficientibus) strenue sanguinem impellit, dum sanguis ut, in sinistrum atrium refluat, impeditur, haemorrhagiam oriri non est mirandum. —

Digitized by Google

THESES.

1. Arteriotomia omnino rejicienda.
2. Medulla spinalis permagnam fibrillarum nervearum partem e cerebro ipso ortarum continet.
3. Ea, quae veteres medici de criseos vi docuerunt plane rejicienda sane non sunt.
4. Ostio arterioso stenotico non solum strepitus systolicus oritur, sonusque evanescere potest, sed rebus faventibus etiam sonus systolicus acutus, clangens efficitur.

Digitized by Google

1856. VII.
MEDIC. VI.

DE

HYDROPE SACCATO OVARII

ET

TUMORE HUIUS GENERIS KILIAE

OBSERVATO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

JULIUS SEEGER

SLESVICENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVI.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *E. F. Goetz*,

h. t. Decanus.

Digitized by Google

Kiliae singulis medicinae studiosis agroti traduntur in nosocomiis, ut accuratius morbum observent, quem paucis describant. Ita factum est anno 1854 ut daretur mihi mulier quaedam, magno hydrope saccato ovarii affecta, quae recepta erat in nosocomium chirurgicum, ut exstirpatione tumore liberaretur, paracentesi jam antea frustra instituta. Jam studiis peractis, quum cogitarem quomodo explerem munus grave dissertationis ad gradum doctoris impetrandum scribendae, tumor hic, multis rebus insignis, materiam non ineptam mihi praebere videbatur, et litteris cum promulgare constitui, praemissis gravioribus momentis quae ad pathologiam et therapiam hydropum saccatorum ovariorum spectent.

Nomen hydropum saccatorum medici antiqui, quibus incognita erat histologia et anatomia pathologica, omnibus iis ovariorum tumoribus dederunt, qui maxima ex parte sensum fluctuationis praebebant. Nostro autem tempore quum apparuerit tumores hos structura et qualitate diversa esse, nomen illud sufficere non potuit, sed discernendae erant formae complures, quas nomine illo vetere communi complectimur. Discernendi sunt tumores cystici simplices, tumores cystoidei, tumores alveolares, cystosarcomata, et cystocarcinomata.

1) Tumores cystici simplices ii sunt, qui cysta una formantur, cui originem dedit seu folliculus degeneratus, seu formatio nova. Obducti sunt sacco, qui initio simplex et tenuis est, paullatim autem mutationes varias subire solet. Nam crescit hypertrophia, apponuntur epithelia superficiei ejus internae, exsudata peritonitidea faciei externae, oriuntur in sacco substantiae variae, vasa, ossa, cartilagines, dentes, crines, cholestearinum, denique cystae secundariae et tertiariae, quibus mutatur natura simplex tumoris. Non minus varia est conditio fluidi in his tumoribus contenti, quod in tumoribus parvis plerumque est serosum, in majoribus albuminosum, colloideum, mixtum cum adipe, sanguine, coagulis fibrinis, crinibus, denique cystis illis secundariis modo monitis.

Digitized by Google

Tumores hi adhaerent aut superficici soli ovarii, aut profundius stromati inserti sunt. Itaque ovarium maxima ex parte sanum esse potest, plerumque autem hypertrophiam subit.

2) Tumores cystoidei compositi sunt cystis compluribus. Exsistunt ita, ut aut folliculi complures degenerentur, aut cystae novae complures oriantur, aut denique tumores cystici simplices, praecipue majores, formatis in iis cystis secundariis, hanc formam tumorum ineant. Conditiones saccorum et contentorum, diversae saepe in cystis singulis, omnino eaedem sunt, quae in tumoribus cysticis simplicibus observantur. Saepe oriuntur in his tumoribus cystae secundariae, quae, aut singulae exstantes, aut acinorum instar aggregatae, magis minusve late insertae sunt parieti, initio eminentias parvas verrucosas aemulantur, tum crescunt, et nonnunquam totum cavum cystae primariae explent.

3) Tumores alveolares. Formantur in ovario spatia cellulosa sexcenta, forma et magnitudine diversa. Pauca plerumque magnitudine longe superant cetera. Continent fluidum albuminosum aut colloideum, raro serosum. Nunquam circumdata sunt membrana propria. Saepe uniuntur spatia compluria perforatis parietibus intermediis, et cavum formant irregulare. Tumores hi cito crescere et ambitum magnum assequi solent. Complicati sunt tam saepe carcinomate, ut multi in carcinomatum numero eos habeant.

4) Cystosarcomata. Stroma ovarii formatis telis cellulosis et fibrosis variarum formarum, totum transit in telam sarcomatosam, cui insunt aut cava irregularia aut cystae regulares, quae continent fluidum aut serosum, aut albuminosum, aut colloideum, mixtum cum adipe sanguine, cholestearino, ossibus, aliisque ejusmodi rebus.

5) Cystocarcinomata. Carcinomatum diversae formae in ovario observantur, ubi saepius primariae quam secundariae exsistunt. Oriri possunt et cystae in carcinomate, et carcinomata in cystis. Non habentur cystocarcinomata in numero hydropum saccatorum, nisi cystis ditiora sunt quam massis firmis.

Aetiologia. Tumores cysticos simplices et tumores cystoideos e folliculis degeneratis atque extensis et e cystis novis originem ducere omnes consentiunt. Favent certe extensioni folliculorum et formationi cystarum novarum functiones variae ovariorum, et praesertim congestiones frequentes atque inflammationes iis adductae.

Ea de re tumores cystici simplices et cystoidei nunquam nisi post pubertatis introitum observantur, pseudoplasmata quavis aetate. Num femina nupta fuerit, neve, num peperit, an fertilitatis laude careat, num sit e gente nobili, an plebeja haud interest. Etiam mala constitutionalia nullius momenti esse videntur. Scrophulosis imprimis causa esse tumorum minore jure existimatur, nam nunquam scrophuloseos producta aut tubercula in ovariis observantur. Etiam carcinomata ovariorum non solum saepius primaria sunt quam secundaria, sed etiam annos multos persistere possunt sine ullo in reliquo corpore carcinomate et sine cachexia carcinomatosa.

Digitized by Google

Decursus hydropum saccatorum. Crescunt raro continue sed intermissis intervallis aut majoribus aut minoribus. Magnitudinem diversam assequuntur. Nonnulli ambitum mediocrem nacti stationarii fiunt, multi ita augentur, ut compressione pulmonum et turbatione cordis vitae periculum afferant.

Plerumque decursum chronicum habent, et corpus sensim paullatimque conficere solent turbatione functionum organorum compressorum, et substantiarum plasticarum, quae neoplasmatis formationi soli inserviunt, defectu. Intercedunt autem nonnunquam huic decursui laesiones graves aut tumorum ipsorum, aut organorum finitimorum, quae subito finem lethalem efficere possunt. Nam inflammantur et rumpuntur nonnunquam tumores, atque dirumpuntur vasa majora eorum. Quae res adversae eo magis imminent, quo citius illi crescunt, et quo majorem ambitum assequuntur. Si inflammantur profusum emittunt secretum, saepe purulentum et putridum, atque peritonitidem gravem excitant. Rumpuntur raro antequam agglutinati sunt organis finitimis, praecipue intestino crasso et integumentis abdominis, per quae emittunt fluida quae continent. Si autem profluit fluidum in cavum peritonei, aegrota plerumque peritonitide conficitur. Vasa hydropum saepe rumpi jam eo intelligitur, quod plerumque fluida cystarum colorem magis minusve nigricantem praebent, tamen nonnunquam tanta sanguinis copia ex iis profluit, ut aegrota anaemia subito mortem obeat. Si vero servant tumores magnitudinem mediocrem, et si functionibus organorum non sunt impedimento, noxa exigua, et corpus aliis morbis conficitur. Quin etiam deminui possunt tales tumores resorptione fluidi aliqua ex parte peracta. Quod si fit manet quidem periculum, ne expandatur denuo tumor restituto fluido. Haec res adversa minus imminet si contrahitur saccus tumoris substantiis firmis in eum depositis. Tumorum cysticorum simplicium etiam alius eventus faustus nonnunquam observatur. Perforationem dico acutam per integumenta abdominis et per intestinum rectum. Collabitur saccus emisso fluido, et, si non conficitur aegrota inflammatione, parietes cystae concrescere possunt. Minus fausta est perforatio chronica, ubi canalis formatur non satis latus, et secretio continua valde debilitat aegrotam.

Symptomata magna ex parte excitantur pressu et irritatione quas exercent tumores in organa finitima, praesertim in peritoneum, in uterum, in vesicam urinariam, in vasa iliaca, in plexum nervorum ischiadicorum, in ventriculum, et, si magnum ambitum assecuti sunt, etiam in pulmones et cor. Pauca symptomata ex ovario affecto ipso exoriuntur, alia exitui tumorum tribuenda sunt. Magni momenti sunt quoque signa physica tumorum ipsorum, denique ea, quae punctione facta nobis occurrunt. Initio tumores siti sunt in pelvi minore, tum, si crescunt, elevantur in pelvim majorem, retrorsum pressis intestinis tenuibus.

Ovario quae afferuntur symptomata praecipue in functionibus turbatis apparent. Primum orientis tumoris signum menstrua turbata esse solent, quae, si ovarium unum solum affectum est, brevi tempore denuo normali modo exstant. Amenorrhoea et

Digitized by Google

sterilitas tum solum tumoribus efficiuntur, si utrumque ovarium destruitur. Ovarium quum nervis non ita abundet, dolorem praebet aut nullum aut occultum. Itaque elucet, si cum gravibus doloribus aliisque symptomatibus urgentibus oriuntur tumores, causam eorum esse aut perioophoritidem aut peritonitidem magis extensam. Tamen tumores dum parvi sunt raro excitant peritonitidem, quam prae ceteris provocare solent, si magnum ambitum assecuti sunt. Tum autem symptomata peritonitidis plerumque lenia sunt. Uterum tumores vario modo laedunt. Dum recens orti siti sunt in spatio Douglasii, fundum ejus in regionem anteriorem et magis minusve ad latus premunt. Si crescunt et adscendunt in pelvim majorem, situs normalis uteri restitui potest. Plerumque autem uterus etiam tum pressu tumoris magis minusve e situ normali removetur, et ipse prolabi potest. Si autem agglutinatus est tumori, levatur cum eo, et distrahi potest tantopere, ut evanescat portio vaginalis, et vagina infundibuli in formam extendatur. Distractionem tantam gravia sequi solent symptomata, dysmenorrhoea, blennorrhoea, atque dolores vehementes. Colorantur saepe simul integumenta abdominis et intumescunt mammae gravidarum in modum. Si premitur vertex, aut si distrahitur collum vesicae urinariae, incontinentia urinae efficitur, retentio si comprimitur collum, excitata simul irritatione catarrhali aut inflammatione graviore vesicae. Saepe observantur oedema et varices atque alienationes variae motus atque sensibilitatis extremitatum inferiorum, ortae compressione vasorum et irritatione plexus ischiadici. Cetera organa abdominis et thoracis vario modo laeduntur atque turbantur tumoribus magnis, et varia praebent symptomata. Organismus quantopere afficiatur magis pendet e celeritate, qua augetur tumor atque e turbationibus secundariis organorum abdominis, quam e forma tumoris, ut supra monitum est. Signa physica tumoris inspectione, palpatione, percussione et exploratione per vaginam cognoscuntur. Tumores magni prope appositi sunt integumentis abdominis, pressis retrorsum intestinis tenuibus, quem situm retinent etiam si corpus situm mutat. Extendunt saepe mirifice integumenta abdominis, in quibus apparent venae magnae et oedema regionis hypogastricae. Tumores parvi inter uterum et os sacrum siti, si firma sunt integumenta abdominis, saepe per vaginam solam adtingi possunt. Si laxa sunt integumenta abdominis, fluctuationem in iis ita excitamus, ut, dum manu una per vaginam tumorem exploramus, altera integumenta abdominis comprimamus. Si exsudatis rauci sunt parietes tumoris, aut si cystae complures eum componunt, auscultando nonnunquam strepitus pleuritico similis auditur. Etiam sonitum arterialem, similem placentae sonitui nonnunquam audimus.

Diagnosis. Difficillima saepe est diagnosis originis tumoris. Permulti enim tumores abdominis symptomata praebent similia. Nititur diagnosis, ut paucis dicam, tota anamnesi, signis physicis tumoris, et relationibus tumoris ad organa finitima pelvis minoris atque reliqui cavi abdominis. Dignoscenda est quoque natura tumoris. Interest praesertim cognoscere, num agatur de hydrope saccato simplice an composito.

Digitized by Google

Quam rem ad cognoscendam certis quidem signis caremus, si non punctione certiores facti sumus. Tamen verisimile est simplicem esse tumorem, si forma est rotundo-ovali, superficie laevi, si fluctuatio in eo ubique quacunque ex parte facile excitatur, si situs est in regione media abdominis, si non ita diu perstitit, magnitudinemque permagnam nondum assecutus est, si lente crevit et organa finitima non graviter turbavit, si denique aegrota est aetate pubere. Ut discernemus formas singulas tumorum compositorum, haec praecipue observanda nobis sunt. Tumor cystoideus et tumor alveolaris post pubertatis introitum exsistunt, ceterae formae quavis aetate observantur. Tumor cystoideus superficie est laevi, fluctuationem praebet perspicuam, irritat non multum organa finitima, ambitum magnum lente assequitur, denique omnium frequentissimus est. Tumor alveolaris irritat graviter organa finitima, augetur cito, debilitat valde corpus, et complicatus esse solet carcinomate. Cystosarcomati cystae multae et minores inesse solent. Afficit minus corpus, et crescit minus cito quam tumor alveolaris. Praeterea nonnunquam massae firmiores cystis intermixtae in eo discernuntur. Conditiones cystocarcinomatis similes his sunt. Praesertim si agitur de tumore hujus generis saepe exploratione per vaginam peracta, tactui massae duriores offeruntur. Adjuvatur diagnosis, si afficitur corpus cachexia, et si etiam in aliis organis carcinomata apparent.

Prognosis hydropum saccatorum in universum infausta est, singulorum autem eo minus infausta, quo lentius crescunt, quo minores sunt, quo minus afficiunt organa finitima atque valetudinem universam, et quo magis simplices sunt. Num therapia hanc prognosin meliorem reddat, inseqnentibus exponetur.

Therapia. Hydropes saccati ovariorum quum neoplasmatibus adnumerandi sint, remediis internis sanari non posse apparet. Nihilominus autem usus medicamentorum non prorsus negligendus est, quum non solum sit solamini aegrotis, sed etiam evolutionem tumoris retinere nonnunquam valeat. Praeterea ex indicatione symptomatica adhibentur. Itaque reducti sumus, si sanationem efficere volumus, ad usum remediorum chirurgicorum, praecipue paracenteseos et exstirpationis ovarii. Paracentesin tum solum profuturam esse apparet, si tumor cysticus simplex adest, aut si cysta una praevalet. Magnam levationem affert aegrotae collapsu tumoris. Tamen brevi tempore denuo impletur tumor, atque eo citius, quo saepius punctus est. Qua re valde debilitatur corpus, et plerumque magis minusve cito conficitur. Sequi potest porro hanc operationem tanta inflammatio peritonei et tumoris ipsius, aut tanta vasorum tumoris laesio, ut aegrota mortem obeat. Tamen non omittendum est aegrotas nonnullas sustulisse paracenteses permultas. Accidit quoque nonnunquam ut concrescant parietes tumoris evacuati, quam rem provocare conati sunt multi injectione remedii liquidi in tumorem punctum. Hanc operationem autem plerumque inflammatio secuta est tanta, ut conficeretur aegrota. Multo minore periculo eundem eventum assequeris, si ita instituis operationem, ut per canalem satis dilatatum libere profluant humores,

Digitized by Google

dum conglutinati sunt parietes. Quae si consequimur, per vaginam potius, quam per integumenta abdominis operatio instituenda est. Itaque paracentesis neque in omnibus hydropis saccati formis usui esse, neque sanationem perfectam efficere potest. Exstirpatio ovarii autem, quae tumores hos qualescunque sint radiciter aufert, tantam laesionem affert corpori, ut verendum sit, ne conficerentur aegrotae seu peritonitide, seu collapsu et anaemia. Tamen si Kiwischium sequimur, numerus exstirpationum ovarii bono eventu peractarum tantus est, ut jure institui possit haec operatio. Promulgavit enim hic auctor *) exstirpationes ovarii ex litteris notas, bono eventu peractas quinquaginta quatuor, infaustas triginta duas, denique viginti duas, quae peragi non potuerunt propter adhaesiones nimis firmas. Quarum numero adjicienda est operatio die tricesimo m. Nov. anni 1854 in nosocomio chirurgico Kilonicnsi a Dr. Esmarch instituta, quae insequentibus describitur.

B...., Rendsburgensis, semper bona valetudine gravisa est. Menstrua justo tempore apparuerunt. Nupta est anno 1852, et mense Septembri anni 1853 filiam vivam peperit. Inter graviditatem mense Majo sponte dolores vehementes sensit, ex quo tempore abdomen mirifice intumuit. Mense Septembri quum recte peperisset, regio dextra abdominis valde expansa manebat, menstrua non revertebantur, ceteroquin valetudinis conditio sufficiens erat. Medicus arcessitus frustra adhibitis medicamentis, mense Majo anni 1854 humorem ponderum sexaginta quatuor punctione removit. Qua facta valetudo aegrotae quidem bona fuit, tamen abdomen cito denuo intumuit.

Mense Novembri anni 1854, quo in nosocomium chirurgicum Kiloniense recepta est, annos triginta nata erat, valetudo bona, appetitus et digestio normalis, urina parca, non albuminosa, pulsus parvus, repetitus octogies sexagesima horae parte. Abdomen mirifice expansum est, diaphragma repressum usque ad costam quintam. Regio hypogastrica dextra tanto magis quam sinistra expansa est, ut distet ab umbilico spina anterior superior dextra Ctm. 54, sinistra Ctm. 43. Circuitus abdominis in regione umbilici Ctm. 145 habet. Venae magnae apparent praesertim in latere dextro abdominis, et evanescunt inter costas quartas et quintas. Sonitus percussionis usque ad costam quintam vacuus est, et in sola regione papillae mammae sinistrae, et in latere utroque dorsi tympaniticus offertur. Superficies tumoris ubique laevis et elastica, fluctuatio ubique quacunque ex parte facile excitatur. Per vaginam tumor attingi non potest. Uterus, in regionem anteriorem et sinistram pressus, mobilis est, et non cohaeret cum tumore. Pelvis propter lordosin inclinationem justo majorem exhibet. Pedes et crura oedematosa et varicosa sunt. Thorax valde dilatatus. Pulmones sani esse videntur. Strepitus systolicus levis ventriculi sinistri auditur.

Non fuit dubium, quin ageretur de hydrope saccato ovarii dextri, et exstirpationis indicatio adesse videbatur. In tumorem, incisione abdominis denudatum, incussa

*) Cf. *Kiwisch, Krankheiten des weiblichen Geschlechtes, II. Abtheilung, 2. Auflage, p.* 152 et seq.

Digitized by Google

est acus triquetra, qua emissus est humor nigricans ponderum 70—80. Adhaesiones tot et tam firmae apparuerunt, ut sola inferior pars tumoris separari possit, quae remota est cum pedunculo tumoris et ovario dextro. Aegrota post horas triginta sex peritonitide occubuit.

Necroscopia instituta horas novem post mortem, haec obtulit. Cavum abdominis impletum est fluido nigro, in quo natat portio intestini tenuis. Residua magna tumoris adhaerent parieti anteriori abdominis usque ad cristam ossis ilei. Cystae majores et minores conglomeratae, impletae massa colloidea, surgent e regione vertebrarum, adhaerent diaphragmati, omento majori, et regioni superiori parietis anterioris abdominis. Hepar repressum, ligamentum suspensorium valde extensum est. Aequo modo lien a loco remotus est. Ren dexter supra costam duodecimam situs est, et pars superior ejus justo magis extrorsum spectat. In ovario sinistro massa verrucosa magnitudine nucis juglandis apparet.

Expositum est supra, hydropes saccatos simplices, magnum ambitum nactos, saepe formatione cystarum secundariarum formam simplicem mutare. Etiam hic tumor ex horum numero esse videtur, nam conglomerationes illae cystarum omnes appositae erant parieti interno sacci unius, qui pedunculo non lato insertus erat ovario dextro. Adhaesiones tumoris tantas adesse, quantae aderant, ante operationem dignosci non potuit, quum neque unquam peritonitidis symptomata animadverterentur, neque functiones organorum peritonitide agglutinatorum turbatae essent. Dolores vehementes illos, quos mulier mense Majo anni 1853, quo tumor formari incepit, sensit, non peritonitide, sed pressu et irritatione, quam in organa abdominis exercuerant tumores duo simul exstantes, uterus gravidus et hydrops ovarii, provocatos esse arbitrati sumus. Quae sententia probata est etiam necroscopia, quum ovarium nulli organo agglutinatum inveniretur. Tumor, dum crescens magis magisque explebat cavum abdominis, organa cetera, intestina, hepar, lienem, renem dextrum etc. tantopere a loco removerat, ut periculum adesse videretur, ne, etiam si adhaesiones tumoris minus firmae fuissent, et exstirpatio bono eventu peragi potuisset, turbationes tantae functionum organorum exstitissent, ut aegrotam brevi tempore confecissent. Itaque apparere mihi videtur exstirpationem ovarii, si indicata est, instituendam esse antequam tumor nimis accrevit. Nam exstirpatio mature facta non solum facilius removet tumorem minorem atque minus agglutinatum, sed etiam ea de re meliorem prognosin affert, quia organa cetera minus laesa sunt.

Digitized by Google

THESES.

Diabetes mellitus morbus desperatus.

Stenoses oesophagi gastrotomiam indicare possunt.

Bilis non materia excretoria est.

Praecautior digitalis usus optimum antiphlogoseos adjuvans, abusus eventum infaustum et paralysin adjuvat.

Digitized by Google

1856. VII.
MEDIC. VII.

ARTICULI METACARPO-PHALANGEI POLLICIS ANATOMIA ET PHYSIOLOGIA LUXATIONUM MAXIME HABITA RATIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

FRIDERICUS BOIE

DITMARSO-MELDORPIENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVI.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *E. F. Goetz,*

h. t. Decanus.

Digitized by Google

Viri vel optimi et doctissimi et antiquiorum et recentiorum temporum, qui de anatomia scripserunt eamve tabulis atque imaginibus illustrarunt, de parte quadam corporis, cujus quam accuratissima cognitio in exercenda arte maximi est momenti, pauca tantum tradiderunt, multa, in quae accuratius inquireremus, reliquerunt. Haec est articulatio metacarpo-phalangea pollicis, nota et famosa propter satis frequentes ejus luxationes, quas, qui olim facile reduci posse putarunt, maxime miramus, Hippocratem velut et Celsum, Galenum plurimosque alios usque ad saeculum XVIII., quum nostrum quidem aevum in reducendis iis summas difficultates reppererit. Curandi difficultates satis clare cognoscimus inde, quod vel optimi medici opibus usi fortissimis felici tamen eventu fructi non sunt. Fortissimorum instrumentorum ope, rechamorum trochlearumque, non solum cutis attrita, sed etiam, quod A. Bell narrat, aliquando phalanx secunda in ipso extendendo sede sua promota, quin etiam Bromfield teste avulsa est, luxatione phalangis primae non reposita. Reliqua omni spe abjecta ne ab audacissimis quidem rationibus abstinuerunt chirurgi. *Desault* et *Dupuytren* incisionem discipulis commendarunt, aperiendum cavum articuli et descindenda omnia quae impedimento essent tendines ligamentaque; fecisse se idem *Franck* narrat (*v. Untersuch. über die Lux. des Oberarms. Tübingen* 1842, *p.* 67.). *Evans* bis capitulum ossis metacarpi prominens resecuit, quod et ipse *Vidal* proponit. *Chelius* (*v. Handb. d. Chir.* 6. *Aufl.* 1844. *t. I. p.* 679.) haec resectionem felicissime a se perfectam esse tradit. Saepius inflammatione gangraenave articulus periit; quin ipsa vita periclitata est. Causas harum difficultatum in diversissimis rebus quaesiverunt; ac tamen anatomicae earum partium, quae articulum formant, rationi, cujus solius interest, non satis studuerunt. Pleraque compendia vel anatomica vel chirurgica quaerentem sive deserunt, sive prorsus falsa tradunt. Huic articulationi singulare quoddam inesse, nusquam satis notatum est; pauca illa, quae de ea dicuntur, similium articulationum proprietates, velut digitorum manus pedisque pallicisque ipsius, nusquam collecta, sed per plurima

Digitized by Google

compendia singularesque dissertationes anatomica, physiologica, chirurgico-anatomica, chirurgica, dispersa sunt. Perturbationes autem, quae anatomia non satis cognita factae erant, ipsi chirurgi pro sua parte auxerunt. A parum. certis iisque brevibus neque completis eorum, que in corporibus mortuorum reperta sunt, descriptionibus (nulla ejus rei ratione habita, quod articulus non in statu erat naturae convenienti, sed conatibus multis et frustra et cum vi factis, deinde inflammatione insequenti mutatus erat), ab iis deinde, quae fortuna secunda in vivis apparuit, atque ab experimentis in cadaveribus institutis, quae plenam non praebent probationem, audacius justo conclusio facta est in exortam et in reponendam luxationem in vivis, ejusque removendae viae atque rationes propositae sunt et institutae, — neque cuiquam in mentem venit, accuratam omnium hujus articuli partium cognitionem sibi parare, quod in aliis corporis partibus tam egregie factum est.

Omissis antiquissimis *Hippocratis, Celsi, Galeni,* aliorum descriptionibus, quippe quae nimis breves sint neque satis singula tangant, omissis porro anatomiae per medium aevum doctorum scriptis et figuris delineatis, quippe quibus aeque ac prioribus occasio defuerit corpora mortuorum secandi; etiam *Cooperi, Albini, Loderi, Monroi* aliorum ossa, ligamenta musculique magna ex parte egregie descripta et delineata exiguae huic parti corporis accurate pernoscendae non sufficiunt. Neque plura praebent *Langenbeckii, Bockii, Oesterreicherii, Froriepi* tabulae. De ligamentis harum partium optime disserit *J. Weitbrecht* (Syndesmologia s. hist. ligam. corp. hum. Petropoli. 1742, 4.), in cujus libri versione germanica *(a Loschge,* 2. *Aufl. Erlangen* 1804, *Fol.)* figurae accuratius sunt delineatae. De ligamentis et musculis *Dursy (Beiträge zur Anat. d. Musk. u. Bänder der Hand; in Henle* et *Pfeufer, Zeitschrift für rat. Med. III.* 1. *Heft* 1852. *p.* 65. tab. II. et III.) nova et a se reperta protulit. *Barkow (Syndesmologie od. d. Lehre v. d. Bändern etc. Breslau* 1841.*)* nova prorsus non habet. Compendia anatomica auctoribus *Krause, Rosenmüller, Hyrtl, Hollstein* bevissime omnes has res describunt, et ipse *Weber (Hildebrandt, Handb. d. Anat. d. Mensch.* 4. *Ausg. herausgeg. v. E. H. Weber. Braunschweig* 1832.*)* a solita diligentia paullum discessit nonnullaque eum fugerunt. *Henle (Handb. der systemat. Anat. d. Mensch. I.* 1.*)*, cujus ligamentorum atque reliquarum partium descriptionem aegre desideramus, accuratissime quidem ossa descripsit et delineavit, non tamen in omnibus rebus nostro proposito sufficit.

Generales harum partium descriptiones apud *G. Ross (Handb. der chirurg. An. Leipzig* 1848.*)*, *Roser (chirurg.-anat. Vademecum.* 2. *Aufl. Stuttgart* 1852*)*, *H. Meyer (Lehrbuch d. physiol. An. d. M.* 1856.*)* perbreves atque minus diligentes apud *Hyrtl. (Handb. der topoyraph. Anat. etc.* 2. *Aufl. Wien* 1853. *II.)*; nonnulla etiam ad hanc rem pertinentia invenies apud *Kölliker (mikroskop. Anat. od. Gewebelehre d. M. Leipzig* 1850. *II.* 1.) *Ludwig, (Lehrb. der Physiologie des M. Heidelb.* 1852 *I.)*, qui in hac re *H. Meyer* sequitur. Apud *Nuhn (chirurg. anat. Tafeln,* 3. *Abth. Manheim.)* deside-

Digitized by Google

rantur delineationes hujus articuli a diversis partibus factae; quid quod apud *Arnold* (tabulae anatom. fasc. IV, p. II. Stuttgart 1843) membrana synovialis aperte false depicta est, utpote quae ex vetere sententia cartilaginem glenoidalem obtegat, praeterea ligamenta indiligenter, non perspicue neque plene exhibet. *Bourgerie et Jacob* paene nihil praebent. *Froriep* (Atlas anatomicus part. corp. hum. per strata disposit. imagines. Wimariae 1851) non satis copiose articuli nostri partes ostendit. Qualicunque modo chirurgica compendia de hac re agunt, paene nullum harum partium anatomicas proprietates satis respicit, neque *Roseri, (Handb. d. anatom. Chir. 2. Aufl. Tübingen* 1854.) neque aliorum. Satis bene de rationibus pathologico-anatomicis et de therapia dictum est a *Vidal (Lehrb. d. Chir.u. Operationsl. 3. Aufl., deutsch von Bardeleben, II. p. 738 sq.), Nélaton* (élémens de Pathologie chirurgicale, Paris 1847—48, XII, p. 416,) *Chelius (Handb. der Chir. 6. Aufl. I, 2. Wien* 1844.), *Rust (theor.-prakt. Handb. d. Chir. in alphab. Ordn. Berlin* 1834, *XI.)*, dilucidissime a *Wernher (Handb. der allg. und spec. Chir. Giessen* 1855, *III*, 1.). Quid, quod libri chirurgici velut *Stromeyerii* et *Ravothii-Fockiique* rem non parum perturbant; Stromeyer enim, in cujus libri ceterum optime scripti (*Handb. der Chirurgie. Freib.* 1844. *I, p.* 641 *sq.)*, quem finitum non esse maxime dolemus, editione unica errores quidam inter scribendum invito illi elapsi remanserunt, in tractanda luxatione ossis metacarpi pollicis ab osse multangulo majore plane luxationem in articulo metacarpo-phalangeo ortam describit, basin ossis metacarpi capitulum nominans, deinde de tendine flexoris longi inter utramque superficiem glenoidem interposito verba faciens et de hoc capitulo quod dicit inter ambos flexores breves (!) immisso, quos ossi multangulo majori inseri putare videtur, de ligamento denique intersesamoideo nescio quo disserens; in describenda porro luxatione metacarpo-phalangea eam plerumque lapsu in pollicem aliquantum flexum facto existere et in dorsum ossis metacarpi elabi phalangem contendit, repositionem facillimam esse affirmans. Juvat videre, qua cum religione *Ravoth* et *Focke (chirurg. Klinik. Berlin* 1852, *p.* 402.) illius vestigia premant, in eandem plane confusionem incidant, in eodem peccent, quod, pollicem flexum causam esse luxationes in dorsum, asseverant flexorisque brevis capita contracta impedimentum parare reponendo ossi metacarpo in dorsum ossis multanguli (utriusnam?) emoto. — Eos, qui singulos luxationis hujus membri casus descripserunt, enumeravit *Wernher (Chir. III.* 1, *p.* 139.) —

Partes igitur, ex quibus haec articulatio constat, quam accuratissime et singulas et conjuctas et quomodo suo quaeque munere fungantur, describere conabimur, secuturi et ea, quae alii descripserunt et quae ipsi reperimus; deinde quaeremus, quibusnam mutationibus hae partes e sede sua motae afficiantur et quatenus quae invenerimus cum observationibus aliorum et cum experimentis in mortuorum cadaveribus factis congruant.

Situm partium diversarum more solito designabimus; latus superior idem est atque carpale, inferius idem atque digitale, posterius dorsale, anterius volare sive pal-

Digitized by Google

mare, radiale externum, ulnare internum; nulla ratione habita situs pollicis reliquis digitis oppositi, sed quasi pollex extrorsum rotatus juxta digitos positus esset.

Ossa metacarpi omnium digitorum cylindri habent formam, extremitatibus superioribus et inferioribus crassioribus, praesertim in superficie volari super corpora prominentibus. Corpora (sive diaphyses) a latere ulnari ad radiale latiora quam a dorso ad volam ipsa leniter sunt curvata et ita quidem, ut ossis metacarpi superficies dorsalis sit convexa, volaris concava. Tres habet superficies diaphysis ossis metacarpi pollicis, quarum una est dorsalis, duae in latere volari ita conjunguntur, ut angulum reddant vel minorem vel majorem, in parte vero inferiori superficies volares in unam superficiem convexam confluunt, dum in reliquorum digitorum ossibus metacarpi partes inferiores tria etiam habeant latera; in fine inferiori anguli radialis asperitas quaedam invenitur, cui m. opponentis pollicis pars infima inseritur. Superficies glenoides superior hujus ossis in ephippii modum concava arthrodia liberrima conjuncta est ossi maltangulo majori; inferioris vero cum phalange juncturam ineuntis extremitatis ultima pars, quam capitulum sive condylum sive caput nominant, sphaericam habet superficiem, quae e superficie volari corporis magis eminet quam ejus pars prominens in dorso, ita ut collo quasi a diaphysi sit separata majoremque superficiei corporis volaris partem occupat; diameter maxima a parte inferiore et anteriore ad partem posteriorem et exteriorem extenditur. Haec superficies talis est, qualis et ginglymi et arthrodiae motionibus respondeat (cf. *Meyer* et *Ludwig* l. cit.); pars enim ginglymo inserviens ad volam manus spectans majoris sphaerae ostendit formam, cujus radius 4½ fere lineas explet, quum pars deorsum spectans quam liberius licet moveri, quae 2½ linearum tantum sphaerae radium habet. Non solum a dorso ad volam, sed etiam ad latera aequali modo rotunda est haec pars globi minoris, non vero majoris. Margo posterior s. dorsalis superficiei articularis, transverse angustior quam volaris, sulco vel recto vel obliquo aut fossula a corpore sejunctus est, marginis anterioris vero multo profundior est sulcus et uterque angulus marginis tuberculum quoddam rotundum habet, fovea igitur profundiore alterum ab altero sejunctum. Condylis ossis femoris simillima sunt haec tubercula, continuantia reliquam superficiem glenoidem, et ex utriusque regione, si pollex est extensus, os sesamoideum insidet capsulae articulari; tuberculum radiale magis prominet et in partem volarem et in radialem et paullo majore circulo est rotundum quam ulnare, quod contra magis in partem inferiorem pertinet. Circulus, quem partes media et posterior superficiei formant, paullum longius continuatur, quam in lateribus, ita ut tubercula in medium versus impressionem quandam vel planitiem ostendant (in metatarso aperte sulcum), ossium sesamoideorum sedem, jamque ita inflexa sint, ut ginglymo inservire possint, dum media pars arthrodiae locum praebens inflexionem talem usque ad marginem anteriorem retinet; partium lateralium arcus longitudinem habet 10‴—11‴ vel majorem, partis mediae 9‴. Capitulum ossis metacarpi pollicis maxima ex parte capitibus ossium metac. digitorum simillimum ab eo

Digitized by Google

diversam est eo, quod latius est et minus convexum, a phalangis vero cujusque capitulo eo, quod haec non eadem sint magnitudine nec aeque atque in pollice colli circuitum superant et quod fovea illa inter utrumque tuberculum multo profundior in osse metac. primo non cartilagine tecta est, sed superficies cartilaginea in utroque tuberculo sursum convexa margine acuto finitur, quae linea in phalangibus transversa ab altero condylo ad alterum recta est, nonnumquam etiam aliquantum deorsum inflexa, phalangis denique capitulum in media habet parte sulcum a latere dorsali ad volare pertinens, ita ut alia motio fieri nequeat atque flexio et extensio. Fovea illa sive sulcus intercondyloideus non in ipsa media parte marginis apparet, sed paullulum magis in latus uluare versa, aspera, pinguedine et ligamentorum originibus impleta, plerumque foramine nutritio, vel uno vel pluribus, insignis. Margines laterales superficiei artic. deorsum valde convexi sunt, superficies laterales capituli ipsius cartilagine non obtectae foveam ostendunt, quam impressionem lateralem seu sinum tuberculi nominant, prope tuberculum aliud dorsale, quod omni modo minus quam volare et nihil fere a corpore prominens in margine dorsali illi respondet; in sinulis hisce exsculptis e quibus pronascuntur utrinque ligamenta illa lateralia crassa et turgida, plerumque lenis protuberantia residet (*Weitbrecht*, l. c. p. 77.); inter utriusque autem originem ligamenti lateralis centrum situm est, circa quod phalanx in capitulo movetur.

Phalangis primae pollicis superficies dorsalis aequali modo ab altero latere ad alterum convexa cum superficie volari in eandem directionem plana vel leniter concava utrinque limbo aspero et tenui conjungitur, qui paullulum in superficiem volarem prominet, ita ut phalanx si transversam dissecueris, lunae dimidae speciem praebeat; in longitudinem haec phalanx paullulum curvata est, extremitates vero in dorso vix, magis in latere volari prominent. Basis hujus ossis cum osse metacarpi juncturam iniens in utramque regionem corpore est crassior; (brevior est in pollice phalanx prima quam in digitis reliquis, aeque vero est crassa, quam in digito medio). Superficies articularis basis formam habet ovi transverse positi, cujus pars radialis aliquantum est latior et rotundior quam ulnaris, respondens diversae tuberculorum capituli magnitudini; aliquantum minor est quam superficies glenoides capituli ossis metac., nam haec a dorso ad volam extensam circuli partem ostendit 6‴ longam, illa 9‴ (cf. supra). Sphaerae cavae segmentum ostendit haec superficies et majoris quidem quam superficies convexa capituli ossis metac., non in omnes vero regiones aequali modo curvatae, nam superficies a dorso ad volam dissecta circuli figuram ostendit, cujus radius longitudinem habet $8\frac{1}{2}$‴, transverse vero dissectae arcus $6\frac{1}{2}$‴ tantum efficit. Cartilago superficiem glenoidalem obtegens circumdatur limbo tuberoso, qui in latere volari utrobique paullulum est excavatus, in parte media paullulum eminet itaque spatium inter utrumque os sesamoideum explet; finitur limbus tuberculo obtuso in utroque latere marginis volaris, cui ligamenta lateralia inseruntur, et marginis dorsalis

Digitized by Google

pars media tuberculum ostendit, quo tendo musculi flexoris affixus est. Tuberoritas quaedam circa basin finem indicat epiphysis cum diaphysi connatae.

Foramen nutritium ossis metac. in latere ulnari in partem inferiorem ossis tendit, reliquorum vero digitorum in latere radiali sursum spectat. Phalangis primae pollicis foramina non semper aequali modo in superficie volari corporis inveniuntur, in inferiorem partem descendentium canaliculorum initia.

Nascitur os metac. pollicis (cartilagine jam praeparata) e duobus tantum nucleis osseis pro diaphysi et epiphysi superiore, in capitulo autem rarissime singularis ossis nucleus nascitur, (quod quidem *Albinus* negat); in infante enim nato diaphysis omnium ossium metac. ossea est, extremitates cartilagineae; singularis ossis nucleus anno aetatis secundo vel tertio oritur in basi metac. pollicis et in capitulo ossium metac. digitorum quod *Henle*, (l. l. p. 238.) teste rarissime non solum in capitulo pollicis, sed etiam in basibus digitorum evenit, ubi mox cum diaphysi conjungitur, epiphysis autem vera non ante annum aetatis XVIII—XX. cum osse coalescit. Duos habet etiam nucleus osseos phalanx I.; nascitur extremitas superior e propria quadam epiphysi orta anno aetatis tertio usque ad septimum (v. *Henle*); extremitas inferior sicut metacarpi pollicis singularem ossis nucleum non nanciscitur; *Kölliker* (l. l. p. 352) certum temporis spatium non designari posse docet ossifactionis, diaphyseos autem nucleum primum nasci, tum demum epiphyseos. (Foraminis igitur nutritii situ et ossium genesi phalangibus simile est os metac. pollicis, in omnibus vero aliis rebus metac. ossibus par est; *Aristoteles*, *Celsus* plurimique anatomiae nostri temporis auctores ut *Krause*, *Hildebrandt*, *Meyer*, *Henle*, *Hyrtl* metacarpo hoc os tribunut, *Galenus* contra, *Vesalius* et *Winslowius* phalangem primam esse ponunt eosque secuti sunt *Duverney*, *Bertin*, *Cheselden*, *J. Bell* aliique recentiorum temporum.) Ossa metacarpi et phalanges omnium digitorum ad perpendiculum dissecta substantia spongiosa maximam ad partem impleta saepe singularem tubum medullarem non ostendunt, quae substantia in apophysibus cellulas habet oblongas densiores ad eas ossis partes versus positas, ubi gravissimae vi externae objectae sunt; tenui pariete e massa compacta circumdata sunt (*Köllicker* l. l. I. 276).

Periosteum aretissime ossibus adhaeret praesertim in apophysi, quo sensim in perichondrium superficierum glenoideum transit. Nonnullis locis periosteum omnino deest, ubi ligamenta ossi inseruntur, ut in ossibus sesamoideis, quorum substantiae osseae affiguntur nulla alia materie interveniente (*Kölliker* I, p. 221). Cartilago articularis non ubique perichondrio obtegitur, sed in marginibus tantum et paulatim in eam transiens evanescit perichondrium; (ne in superficiebus cartilagineis cellulae densiores et minores stratorum superficiei proximorum cum epitelio confundantur, admonet *Kölliker* l. l. p. 321., cui simillima sint, nam epitelio omnino superficies glenoides carere affirmat l. l. p. 325).

Digitized by Google

Corpora ossium metacarpi et phalangum (exceptis phalangibus unguicularibus) curvata sunt, ut *Meyer* docet (l. l. I. p. 107.), quo plura possint arripere et amplecti et, id quod multo majoris est momenti, quo fortiorem musculorum tractum efficiant, quoniam, quo magis extremae partes e recta regione amotae fuerint eo magis ex recto angulo musculorum attrahentium vis exercetur, itaque major est, quam si magis ex obliquo adhiberetur; idem in pollicem valet.

Ossa sesamoidea corpuscula sunt cellulis tenuissimis osseis constructa, trochleae tendinum flexorum cartilagineae intexta atque tuberculis volaribus ossis metac. insidentia magnitudine et forma pisi dimidiati vel lentis, quorum diameter in adultis fere 5^{mm} explet, quorum superficies tuberculum attingens tenui sustantiae cartilagineae strato obducta leniter concava circuli aut ovi habet formam; os lateri externo sive radiali trochleae insidens superne prominet et saepe paullum minore est magnitudine quam ulnare, quo fit, ut prominentia nimia tubereuli radialis exaequetur. Superficies ossiculi cum tubereulo radiali articulationem ineuntis ovalis est et transverse posita, ossiculum ulnare aliquantum rotundiorem habet superficiem glenoidem a superiore parte ad inferiorem spectantem. Superficies volaris horum ossiculorum massa tendinosa et ligamentosa inclusa est tam stricte, ut pars ejus esse videatur. Numquam antem vel rarissime alterum os desideratur, non eodem vero certo ordine in articulis phalangis secundae cum prima, quo loco in pollice plerumque unum existit et in reliquis digitis manus pedisque, in indicis praesertim et minimi primis vel secundis articulis. Interstitium inter utrumque os sesamoideum magnitudinem fere habet ossiculi cujusque diametro parem. —

Ossificari omnia ossicula tendinibus hoc modo intexta semper sero, omnium ossium novissime et tum demum, quum epiphyses cum diaphysi connascuntur, *Hildebrandt* (ed. *Weber* II. p. 289.) contendit, nonnumquam vero prius hoc fieri equidem possum probare in pollice dissecto, cujus epiphyses nondum sunt connata, ossa vero sesamoidea jam ficta.

Intexta sunt haec ossicula membranae synovialis parieti anteriori, ita tamen, ut undique membrana iis inseratur, non vero ea obtegat, quod in articulo superne secando aperto cerni potest. *Arnold* (tabb. an. fasc. IV. p. II.) perverse hanc rem delineavit, quum in figura pollicem medium ad perpendiculum dissectum demonstrante os sesamoideum phalangem primam inter et secundam tali modo, quali totam articuli cavum membrena synoviali vestitam appareat, quod in pedis figuris repetitur; *Nuhn* (chirurg.-an. Tafeln 3 Abth.) omnino non ossa sesamoidea eorumque ad articulum rationes delineavit. Aliorum figurae harum partium prorsus desunt; multi anatomiae scriptores, et ipse *Weitbrecht*, de hac re tacent; priores *Arnoldio* scriptores, ut *Rosenmüller* (l. l. p. 197), *Krause* l. l. p. 265) *Hildebrandt* (l. l. p. 289), alios hanc rem fefellisse, mirum non est; recte autem describit hoc *Barkow* (Syndesmologie p. 66), nec non *Meyer* l. l. I. p. 151) et *Kölliker* (l. l. I. p. 325). — Rectius phalangi propria

Digitized by Google

ossa sesamoidea haberi posse videntur, quam ossi metacarpi, cui plerumque tribuuntur, quum in omnibus pollicis motibus phalangem comitentur, semper uno et eodem intervallo ab eo distent, in metacarpi vero superficie glenoide sedem obtineant numquam eundem, sed mutata positione articuli mutatum; pars contra cavitatis glenoideae basis phalangis haberi debent quae eam continuat, ut mihi quidem videtur, tenui ligamentorum taenia ab ea sejuncta, (quod simili modo in aliis etiam articulis reperitur, e. g. in cubito, ubi radius et ulna soli humero oppositi sunt, et tria carpi ossa primi ordinis antibrachio et carpi ordini secundo). Qua re prospere nanciscitur superficies formam diverso cuique quod infra describemus generi motionis accomodatissimam. Unum illud os sesamoideum articulationi secundae pollicis impositum aeque accurate et anguste cavum articuli occludit motionesque ejus sequitur, atque in articulo primo utrobique fit, angulum enim habet acutum in superficie glenoid., qui utriusque phalangis superficiei superficiem monstrat simili modo quam ipsae curvatam.*)

Conjuncta sunt haec ossa inter se membrana synoviali levissima et laxissima, quae undique ab ipso limite superficierum cartilagine obtectarum enascens articulum includit; non quidem sacci duplicis habet formam undique clausi superficiesque cartilagineas obducentis, id quod olim opinatum est, et adhuc a paucis defenditur (quod in *Arnoldi* etiam tabulis perperam delineatum est et in *Froriepi* tab. XXIV. str. IV. non satis elucet); sed, utris laxioris instar, primo paullulum retrorsum extensa partem aliquam apophysis tegens, tum inversa ad cartilaginis ossis oppositi marginem eodem modo implicata transit et una cum perichondrio cum cartilagine articulari confluit (cf. *Kölliker* l. c. p. 323). Epitelio facies interna hujus membranae vestita est, non omnibus vero partibus, nonnullis enim locis firmioribus circumscriptis *Kölliker* auctore (l. c. p. 325) colore subflavo insignibus et corpusculis cartilagineis abundantibus epitelium deest. Synoviae non immodica copia adest. Plicae vasculosae sive ligamenta mucosa inter utrumque tuberculum volare ossis metac. imminent articuli cavo. Membranae synoviali intexta sunt ossa sesamoidea, quorum marginibus illa undique inseritur, ita ut facies eorum cartilaginea veram inire possit articulationem cum capitulo, quod supra commemoravimus.

Capsula fibrosa undique membranam synovialem obducit eamque auget atque corroborat, a cartilaginis marginibus pari modo quam illa nascens et ossa sesamoidea includens, quae partium ejus crassiorum, ossium naturam nactorum, speciem praebent. Fossa intercondyloidea, quae igitur extra capsulam sita est, impleta est pinguedine, per quam arteriae principis pollicis ramus os penetrat. Tegitur fossa extenso pollice ligamento intersesamoideo (quod in digitorum juncturis ligamentum transversum volare

*) Aliam conjungendi extremitates articulares rationem motus faciliores reddentem in articulo inter phalangem I. et II. indicis repperi, quae adhuc ab aliis descripta non est, discos dico duos rotundos, tenues, marginibus acutis, nulli parti affixos, utrobique cavitati glenoidali impositos itaque minus profundas facientes excavationes illas phalangis secundae, et non magis quam ossa sesamoidea et patella membrana synoviali tectos.

Digitized by Google

nominatur), ab altero ad alterum os sesamoideum extenso, fibris transversis coruscantibus ditato (*Weitbrecht* l. l.) et longitudine respondente flexoris longi tendinis latitudini, et concreto cum ligamento capsulari, ita ut pars volaris capsulae haberi debeat; in facie dorsali articuli cavum spectante membrana igitur synoviali obtectum est (*Barkow* l. l. p. 119); media in parte, quae inter ossa sesamoidea est, crassior est capsula atque fibrocartilaginem includit, supra autem et infra eam multo minus firma est, loco inferiore quidem corraborata tendinum flexoris brevis finibus ultra ossa sesamoidea basi phalangis affixis (cf. *Weitbrecht* l. c. p. 189); in superiore vero loco metacarpo proximo inserta facilius rumpitur quam loco opposito, si supra modum pollex extenditur, itaque luxata phalange capsulae pars anterior plerumque phalangis motum sequitur. Quae pars anterior capsulae quam ligamentum anticum sive volare vocant, singulari ratione neque plane cum aliorum descriptione congruente cum reliquis ligamentis concrevit, quod nuper *Dursy* repperit (*Beiträge zur Anatomie der Muskeln und Bänder der Hand, Henle's u. Pfeufer's Zeitschrift für rat. Med. neue III.* 1. *p.* 65) figurisque illustravit. (quod enim ille de digitis describit maxima ex parte in pollicem valebit). Duo habet illo auctore crura ligamentum volare et partem mediam crassiorem (lig. intersesam.), in quibus tamquam in funda pars anterior capituli jacet; crura autem utrinque in lateribus capituli ex tuberculis dorsalibus oriuntur, oblique super partem anteriorem et inferiorem et super sinus tuberculorum eunt usque ad margines laterales partis mediae sive trochleae, ubi in duas laminas dividuntur, quarum altera interior cum trochlea connascitur, altera externa in arcus speciem supra flexoris longi tendinem (in digitis supra utriusque flexoris tendinem) cum alterius partis externa lamina conjungitur, ita ut ligamentum annulare fiat, quod corroboratur insuper tenui fibrarum taenia a basi phalangis orta, quae margini inferiori hujus ligamenti annuli forma apposita est. — Hic annulus ligamentosus etiam circa dorsum articuli circumducitur; ligamentum enim dorsale (initium efficiens aponeurosis dorsalis tendinum extensorum) magis minusve capitulum metacarpi circumdat; distingui possunt sicut in ligamento volari pars ejus media duoque crura. Media pars in vola marginem superiorem trochleae ossi metac. vicinum attingens latioremque eam reddens tenuem fibrarum taeniam ab ea sejunctam, simili modo quo in ligamento volari, super flexoris tendinem mittit, quae arcus forma cum margine superiore annuli supra descripti concrescit. Cujus ligamenti crura a lateribus partis mediae utrinque articulum circumeuntia tendines extensorum attingunt, cum quibus connascuntur et simul cum iis in aponeuroses dorsales transeunt. Superficies volaris trochleae (sive ligamenti intersesamoidei sive partis volaris capsulae) speciem praebet semicanalis brevis neque ita profundi atque ut *Weitbrecht* dicit (l. l. p. 189) „trajicienti tendini flexoris longi commodum sedem praebet, ut tamquam in profunda trochleae crena inter ossicula sesam. prominentia traheretur.“ Adjuvant hanc rem sulcus ossis cum tuberositate radiali, et secundum

Digitized by Google

longitudinem ossis directa capita flexoris brevis, quae contracta simul cum tensione flexoris longi tendinem ejus retineant necesse est. —

Ligamenta lateralia originem ducunt utrinque una cum cruribus ligamenti volaris e tuberculis ossis metac. dorsalibus et obliqua directione fibris quodammodo divergentibus super sinus tuberculorum in partem anteriorem basis phalangis eunt, quae secundum capituli formam supra descriptam relaxata esse pollice extenso, intenta quum phalanx est flexa perspicuum est, quoniam exoriuntur in centro circuli majoris ad volam spectantis longioraque esse debent radio circuli minoris in parte inferiore superficiei (cf. *Meyer* l. l. I. p. 42 fig. 6; *Ludwig*, Phys. I. p. 383). Corroborantur haec ligamenta in digitis insertionibus musculorum interosseorum lumbricaliumque, in pollice autem solius interossei pollicis indicisque, quem infra describemus, et partis tendinis adductoris brevis. *Dursy* auctore (l. l. p. 83) ita se res habent in digitis: interossei pars parva basis phalangis lateri nonnunquam juxta ligamenti lateralis insertionem affigitur, pars altera trochleae cruri laterali, utraque tecta ligamento dorsali; pars tertia in aponeurosis formam extensa super ligamentum dorsale extensorum conjungitur, pars denique quarta nonnunquam lateralibus ligamentis affigitur; quarum omnium rerum vix vestigia in tabulis *Froriepi*, *Arnoldi*, *Nuhnii*, *Langenbeckii* aliorum invenimus.

Per totam fere viam tendo flexoris longi involutus est vagina serosa membrana synoviali lubrica vestita, quae teste *Al. Monro* (a descr. of all the bursae mucosae in the human body. Edinb. 1788. tab. I.) incipiens supra carpum saepe conjuncta cum vagina flexorum communi (quod *Hyrtl*, topogr. An. p. 268., semper fieri dicit), saepe pollici propria, tendinem undique amplexa usque incipientem phalangem secundam prosequitur. Cui rei quidem *Kölliker* repugnat (l. c. I. p. 228), qui undique clausas bursas rarissime omnino inveniri dicit, in omnibus vero spatia interjecta esse membrana synoviali carentia; quum enim partim bursarum mucosarum, partim vinculorum tendinum officio fungi debeant, in partibus tenuioribus eas bursarum, in crassioribus telae cellulosae vel fibrosae ostendere structuram.

Super haec ligamenta musculi et fortissimi partim inseruntur capsulae tendinibus quc suis eam augent, partim illam praetereuntes eam obtegunt. Musculi autem pollicem moventes his rebus a digitorum musculis differunt: Duplicem adductorem habet pollex, adduetorem proprie sic dictum et interosseum pollicis indicisque *(Dursy)*; deinde flexor existit phalangis primae in manu ipsa oriens, lumbricalis vero ie respondens in digitis deest; tum tres habet pollex extensores in antibrachio orientes, unum pro osse metacarpi, alterum pro phalange prima, tertium pro phalange secunda; flexor deim proprius pollici non existit, flexor vero longus qui vocatur pollicis pars est flexoris digitorum communis profundi; proprius denique est pollici et digito minimo musculus opponens. Qui omnes difficillime vel non nisi dissecti separari possunt, sed undique os metacarpi excepto dorso circumdantes in coni formam juncti thenarem efficiunt.

Digitized by Google

In osse sesamoideo ulnari inserit se a reliquis musculis tectus tenuis quidam fasciculus, a *Theile* et *Albino* (hist. musc.) fortasse jam animadversus sed pro parte habitus flexoris brevis, quem vero *Dursy* (l. l.) interosseum pollicis indicisque appellat; oritur ex taenia tendinea a tuberculo ossis multanguli majoris incipiente et crura ad dorsum ossis metac. pollicis et indicis mittente, in duo divisus capita, quorum alterum basi phalangis primae indicis, alterum ossi sesamoideo ulnari inseritur; solus igitur contractus adducit pollicem ad digitos reliquos. — Adductor pollicis, re vera interosseus volaris singulari modo auctus *(H. Meyer* l. l.) oritur non a superficie volari ossis metac. tertii solum, ut *Hollstein*, nec a metac. tertio et quarto, ut *Hyrtl* dicit, sed *Dursy* auctore e secundi, tertii, interdum etiam quarti ossis metac. basi et ex toto angulo volari tertii oritur, praeterea pars ejus minuta, intervallo a reliqua parte disjuncta, e capitulo ossis metac. tertii, simili modo quo transversalis pedis nascitur. Tendo firmissimus omnes musculi ventres colligit, et pars ejus superior lateri ulnari basis phalangis primae se inserit et ita ut dissolvi nequeat conjuncta cum tendine capitis interni flexoris brevis. Fibrae partis inferioris superiores subeunt, et tendinem mittunt in dorsum pollicis margini ulnari tendinis extensoris affixum. (Vitiose et parum naturae convenienter in *Fvoriepi* tab. XXIII. et *Albini* tab. IV. hic musculus delineatus est, insertionem parum accurate describunt *Theile, Hyrtl, Hollstein, Langenbeck).* — Adducunt hi ambo musculi pollicem non in omni positione, sed in extensione solum, quia in hoc solum situ arthrodia in articulo metacarpo-phalangeo fieri potest, flexo autem pollice nihil agere possunt (sicut etiam abductores) nisi ut flectant phalangem primam, cui rei favet conjunctio partis eorum maximae cum tendine extensoris in dorso phalangis.

Flexor digitorum communis profundus s. perforans *Meyer* auctore omnes quinque digitos flectit (et flexor pollicis longus pars est ejus, quamquam separatus ab illo oritur), incipiens a phalangibus extremis deinde flectit phalangem secundam, tum primam, exin metacarpum, denique manum et antibrachium. Inseritur pars musculi pollici propria ut in digitis phalangi extremae, partim vero phalangi primae affixus est per ligamentum annulare, vaginale, praeterea obliquum, per tenaculum insuper sicut in reliquis digitis flexoris profundi tendo parti inferiori phalangis primae. *Hildebrandt-Weber* (l. c. II. p. 455.); sub articulo autem met.-phal. per flexoris brevis capita sicut in digitis tendo inter fissum tendinis flexoris sublimis transit. Phalangi os metac. pollicis hanc propter rem simile videtur esse, quod in digitis super articulationem inter phalangem I. et II. fissum illud tendinis existit (si flexorem brevem flexori digitorum sublimi comparare licet), *Meyer* vero (l. l.) rectius ita rem interpretatur: flexor digitorum communis sublimis, qui phalangem II. flectit, quoniam pollex non habet phalangem II., jure desideratur; portio tamen parva quaedam semper fere flexoris pollicis longi tendini inseritur, secundam quasi caput flexoris. — Flexor brevis, musculus phalangi primae flectendae inserviens *Hyrtl* aliisque auctoribus flexori

Digitized by Google

sublimi respondet, quod *Meyer* ut vidimus negat. Originem ejus liceat magnopere diversum ab omnium aliorum descriptione a *Dursy* (l. l.) repertum brevi commemorare; negat enim *Dursy*, quod adhuc opinatum est, originem duplicem a superficie superiore et inferiore ligamenti carpi volaris transversi eum habere divisum tendine flexoris longi, latissimum contra describit stratum tendineum, e quo oriatur in S Romani formam inflexum, ex quo musculus deinde in duos ventres divisus nascatur; in canali superiore, qui hoc modo efficitur in tendine originis (oriente ex osse pisiformi, hamulo ossis hamati, et margine anteriore totius ligamenti carpi, et latus radiale versus aperto) margo inferior musculi opponentis pollicis positus est, in canali autem inferiore in latus ulnare spectante (origine musculi ex osse capitato et saepe osse hamato, quibus *Albinus* [l. c.] os triquetrum addit) flexoris pollicis longi tendo includitur, non vero dividit originem musculi in duas partes. Haec pars originis tam arcte cum adductoris origine conjuncta est, ut alter ab altero separari nequeat; *Albinus* partem aliquam adductoris huic musculo tribuit; utrum hae partes conjunctae utriusque musculi flectent adducentne anceps est et secundum aliam articuli positionem aliter se habet. Flexor brevis carneus factus mox in duo capita divisus, quorum alteram ossi sesamoideo radiali, alterum ulnari tendine firmissimo inseritur, non solum tamen hisce ossiculis ut *Dursy* l. c., neque ut *Hildebrandt* l. c. dicit, ossibus sesamoideis et parti capsulae anteriori inter utrumque ossiculorum, sed, quod jam *Albinus* recte describit (l. c.) phalangi partim ipse insertus est partim intervenientibus sesamoideis, et *Langenbeck*, *Hollstein*, *Hyrtl*, *Krause* tendinem utriusque musculi capitis ultra os sesamoideum prolongatum basi phalangis inseri affirmant; qua re non parum ligamenti volaris pars inferior corroboratur phalangique conjungitur. Uterque tendo cum tendinibus abductoris brevis et adductoris commiscetur. Saepissime *Dursy* se observasse dicit, quod ante eum nondum descriptum est, fasciculum carneum capitis radialis separatum inseri prope opponentis fibras in extrema parte superficicie volaris; fieri etiam posse dicit, ut flexoris pars quaedam abductori similis tendini extensoris affigatur. Rejicienda est *Cruveilher*, *Bourgerie* aliorum opinio, caput internum adductori tribuendam esse, caput externum autem solum flexoris munere fungi; opinioni huic contrariae a *Theile* et *Albino* defensae *Dursy* repugnat, qui partem inferiorem adductoris ab ossibus metac. orientem flexori attribuunt, finem contra certum inter utrumque musculum omnino existere negat, effectum vero amborum diversum esse consentaneum est pro pollicis situ vel flexo vel extenso et pro musculis simul cum iis contractis. Flexorem alterum os sesamoideum alteri appropinquare, quod *Günther (die Verrenk. des ersten Daumengliedes nach d. Rückenfl. Leipzig* 1844), ut luxationis reponendae non parvum impedimentum, primus protulit, negari non potest. Ex insertione in ossibus sesamoid. hoc commodi musculo oritur, ut fibrae suae angulo propensiore et magis perpendiculari ad axin os aggredientes non solum omnem vim suam in osse collocare possint, sed etiam caveatur hac ratione, ne trahendo in directione

Digitized by Google

axi superficierum articularium pari altera alteri arctius imprimatur earumque frictione pars vis conficiatur ideoque motio impediatur; itaque pollice extenso quin etiam in dorsum flexo musculus pro trochlea ossiculis illis uti potest, cujus ope angulus fit ad flectendam phalangem idoneus.

Abductor pollicis brevis omnium maxime superficialis per totum carpum oritur e tuberositate ossis navicularis et parte ligamenti carpi volaris ei vicina, prope articulationem metac.-phal. in duos tendines exit; tendo superficialis in aponeurosin dilatatur latam, triangularem, quae ut supra commemoravimus articulum circumdans cum ligamentis annularibus et tendine flexoris conjungitur, tendo autem profundior lateri radiali phalangis l. inseritur, saepe arcte cum flexoris brevis tendine radiali coalescit vel etiam omnino deest. Interosseo dorsali digitorum hic musculus respondet. — Abductorem longum *Meyer* extensoribus adnumerat et jure quidem, nonnumquam vero hic quoque pollicem abducere potest a digitis reliquis; inseritur basi ossis metac., ossi multangulo maj., musculo abductori brevi, et opponenti; metacarpum extendit simulque manum totam abducit. — Duobus his abductoribus, quos extensores etiam interdum adjuvare possunt, abductor simplex antagonista sufficit, quippe qui angulo recto phalangi insertus eo majorem habeat vim, dum abductores angulo peracuto os aggredi debent; adjuvat insuper adductores interosseus ille quem *Dursy* pollici proprium repperit; praetera hic idem animadvertimus quod in omnibus corporis partibus, musculos membrum flectentes et adducentes multo fortiores esse quam eorum antagonistas.

Extensorum pollicis, originem habentium in latere dorsali antibrachii e sulco inter radium, ligamentum interosseum et ulnam, situm maxime in ulnam spectantem habet extensor longus, qui phalangi extremae extendendae praeest, per vaginam propriam ligamenti carpi dorsalis oblique in dorsum venit pollicis, ubi in articulo quod describimus metac.-phal., ligamentum annulare subit phalangisque extremae basi inseritur; phalange extrema extensa etiam primam extendit, dein os metacarpi, manum denique partim in dorsum flectit, partim pro via sua super medium carpum in latus ulnare adducit (lateris radialis, in quod flectet, *Meyer* [l. l. I. p. 212] non auctor videtur esse, sed scriba). — Extensor brevis oriens ex parte radiali spatii interossei et dorso phalangis l. affixus partim conjunctus cum tendine extensoris longi sicut ille ligamentorum articuli apparatui inseritur; extendit phalangem I. et illa plane extensa etiam os metacarpi et simul abducit manum sive in radialem partem flectit. — Extensoris tertii sive abductoris longi supra mentionem jam fecimus. Supinationem numquam hi tres musculi efficiunt, id quod *Winslowium* secuti nonnulli contenderunt. Arteriarum, venarum nervorumque situs et numerus nihil in se habet, quod gravioris sit momenti ad luxationes et quod magnopere a digitorum rationibus decedat. Nervos digitales volares duos trahit pollex e nervo mediano, et totidem volares e radiali; venae ut semper duae arteriam prosequuntur, arteria princeps pollicis enascens ex

Digitized by Google

arteria digitali volari communi latus volare sanguine instruit, arteriae radialis rami latus dorsale.

Supra articulum metac.-phal. interdum bursa mucosa tendinibus extensorum conjuncta adest, lacuna quodammodo telae cellulosae subcutaneae (non vero saccus undique clausus), *Schreger* tamen (de bursis mucosis subcutaneis, tabulae IX. Erlangae 1825.) solum in articulo phalangis I. cum extrema bursam se observasse dicit.

Omnes quas descripsimus partes fasciae palmaris tenuis continuatio vestit; fibrae perexiguae articulum etiam ipsum attingunt.

Cutis externa articulum obtegens ruga transversa in latere palmari insignis est, quae aliquantum supra articulum aliaque quae aliquantum infra eum apparet; plica quaedam abducto pollice ab hoc ad indicem supra superiorem adductoris marginem transit; utrumque in mutatae articulationis positione suum habet pondus.

Mensurae ossium quae articulum componunt, apud alios aliae sunt; quae in omnes valeant vix definiri possunt. Ut pollicem et situ motum ab eo, qui suam sedem retinet, distinguamus, optimum est, mensuras pollicis alterius manus sanae comparare. Mensuras instituturi facile per cutem viventis inveniemus, ubi fines ossium se tangant; basis ossis metac. eminens et videtur et sentitur in dorso manus, quae *Günther* auctore *(Handgelenk)* accuratissime sentitur, si ab inferiore ad superius digitum promoves; ubi in tuberositatem illam primum incideris, finem ossis invenisti; basis phalangis I. facillime invenitur fortiter inflexo pollice, ubi parvula plica cutis articulo se interponit; ungue juxta ipsam basin in articulum quasi penetrare poteris, simili modo et magis in volam versus basis phalangis II. indagatur. —

Motus articuli metac.-phal. non solum e constructione superficierum articularium sequuntur, neque ex hac atque insertionibus solis, sed ut quanti sint recte cognoscamus in vivis, iisque quam plurimis, observationes atque experimenta facienda sunt. E constructione superficierum articularium, ut supra commemoratum est, duas motiones diversas secundum diversas phalangis positiones trahit articulus, arthrodiam et ginglymum. Pollice extenso phalanx non plane eadem axi atque os metacarpi sita est, sed paullulum in latus ulnare versus pro tuberculo radiali majori, flexo vero pollice, pro tuberculo ulnari magis prominente in volam, paullulum in latus radiale. Neque hic, quod *Günther (Handgelenk p.* 24*)* in plerisque articulis probatum invenit, pars fixior cordis magis vicina cava, pars magis mobilis convexa est, sed id huc quoque pertinet, excavationem multo esse planiorem quam convexitatem sive majoris globi segmentum (v. supra). Praeterea ut semper hic quoque superficies concava minor est quam convexa, qua re motio quum firmior et constantior, tum multo majoris ambitus fit, quam si superficies convexa minor esset (c. f. *Meyer* l. c. I. q. 47.; *Günther, Handgel. p.* 24.*)*. Phalangis autem superficies in pollice minor est, etiamsi ossa sesamoidea quod proposui eis attribuamus, quae semper ginglymum efficiunt.

Digitized by Google

Mirum est, articulationem quae ad liberrimam mobilitatem apta et instituta esse videtur, apparatu ligamentorum ita esse impeditam, ut motionis ambitus 45° paene non excedat, nec nisi apud singulos (apud eosque plerumque tantummodo in una manu) 90° non prorsus assequatur, idque nisi in unam regionem non fieri, nam flexio radialis ulnarisque, rotatio et motio circa capituli ambitum, quamquam non prorsus desunt, perexiguae sunt et eo tantum institutae videntur esse, ut forti cuidam vi externae paullum cedant. Compensantur haec omnia mobilitate ossis metacarpi in osse multangulo majore in omnes regiones paene indefinita, qua illis quoque motionibus quamvis exiguis aliquod accedit momentum. Negari non potest, apud singulos atque adhibita exercitatione articuli mobilitatem augeri posse. Quod quantopere fiat, quotidie in digitis eorum, qui clavichordio canunt, animadvertere licet, qua re non solum musculi flexores et extensores exercentur ut fortius et rapidius et minus ad arbitrium aliorum musculorum eorumque partium quam in inexercitatis contrahantur, sed etiam ligamenta haud dubie majori extensioni assuefiunt. Motiones laterales omnino fieri posse quum in cadaveribus, tum, ut magis semper ab errore caveamus, experimentis in vivis factis probari potest, osse metacarpi bene tenaculo aliquo adhibito.

Motus autem cohiberi non potest nisi ligamentis lateralibus, quae extra centrum rotationis capitulo insidentia flexo pollice sunt intenta, ita ut phalanx circa capitulum linea recta labi possit, omnino non vero in latus; extenso autem pollice longiora sunt, quam radius sphaerae minoris, quae arthrodiam illam minutam concedit, quae quod non major est, quam re vera eam vidimus, pollice extenso satis astricto fortissimoque ligamento capsulari antico tribuendum est. Hoc quoque sive solum sive cum tendinum flexorum ligamentis, (qui in unaquaque extensione ita ut antagonistae fiant contrahuntur,) conjunctum phalangem impedit, quominus supra modum extendatur.

Fere semper fit, ut phalanx non magis retrorsum flecti possit, quam ut rectam cum metacarpo lineam efficiat. Ultimus extensionis gradus, quam physiologica articulationis ratio permittit, id est nulla parte rupta neque superficiebus articularibus altera ab altera separatis, talis est, qualis angulo 45° super lineam rectam vix excedenti respondeat; quod ut omnino fieri possit, superficies hiare phalangisque superficierum artic. majorem partem jam dorso metacarpi insistere oportet; quod capsula, quam satis laxam esse supra vidimus, ad certum quendam modum usque concedit. Nec tamen hanc luxationem imperfectam nominabimus, quia sponte moventis orta contractis musculis, his quoque facillime reponi potest. Fortasse recte *Boyer* conjicit, singularem superficierum conformationem hujus rei esse causam, quod equidem expertus confirmare non possum.

Flexionis deinde volaris in hoc articulo summus gradus physiologice 45° est; si per vim augetur flexio, quod in cadavere semper magis fieri posse quam in vivis, fratres *Weber (Gehwerkzeuge*, p. 147 et 171) comprobarunt; sulcus profundus in latere dorsali pollicis aperte indicat, hoc loco superficies inter se disjunctas hiare, ut aëre

Digitized by Google

premente cutis in articuli cavum aëre carens (quod de omnibus articulis statuendum esse notum est) imprimatur *(Meyer* l. l. I. p. 46). Hoc fieri non potest nisi ossibus sesamoideis, quae magis etiam in anterius protrudi possunt, hypomochlii vice fungentibus, circum quod tota motio fiat, quantum quidem musculi et ligamenta permittunt. Ut igitur mobilitatis in pollice aliquantum desideratur, ita firmitas juncturae visque musculorum contractorum quod deest compensat.

Ligamenta capsulae accessoria articulum paene undique circumdant et firmissimis quidem vinculis in parte anteriore et in utroque latere; ubi debiliora sunt, quod in dorso fieri vidimus, tendines extensorum firmissimi quam strictissime ligamentis inhaerentes in omni positione articulo se affigunt eamque tuentur. Musculi flexores ita dispositi sunt, ut antagonistis elasticis adjuti in nulla positione superficies articulares distrahant, sed semper tam arcte comprimant, ut tantummodo formis alteri altera accommodatis lubricaque superficie eo firmius atque constantius labantur. Ipsa ligamenta ea quoque re articulum ab eluxione tuentur, quod, quae exercitatione extendi posse supra vidimus, ea vi quoque externae aliquantulum cedunt eamque aliqua ex parte absorbentes debilitant; non nisi vehementissimi atque repentini impetus haec subsidia divellunt.*)

Ab hisce motionibus ultra modum extensis ad luxationes imperfectas sensim tantummodo et paulatim fit transgressus, quae, quantum quidem notum est, non ad omnes partes eodem modo fieri possunt. Frequentissime phalanx e situ movetur in dorsum metacarpi. Dispositi ad hoc eluxionis genus ei praecipue homines sunt, qui laxitate ligamentorum vel singulari partium forma adjuti pollicem in dorsum flectere possunt; saepissime luxatio paritur violenta extensione in movendis vario modo manibus, praesertim in iis opificibus, qui fortiter aliquid pollice premere vel mulcere coguntur. Augetur luxandi periculum eo, quod flexores, qui contra nituntur, in extensione propter incommodum inserendi locum munere suo non satis fungi possunt, quum angulo peracuto inserantur, qui in pollice fortissime extenso, ita ut eorum directio cum axi ossis flectendi congruat, itaque vim exercere possint perexiguam, aliquantum etiam minorem nisi apophysis extremitates ossium diaphysibus crassiores essent ossaque sesamoidea auxilientur.

Considerantibus nobis primum luxationem phalangis, quae frequentissima est in dorsum metacarpi, et rationes anatomicae et ea quae in mortuis indagata sunt nobis facultatem praebent, de paucis quae traduntur observationibus luxationum casu evenientium aut in vivis aut in mortuorum autopsia repertarum, deinde de opinionibus

*) Rebus aliquantum valentibus in rei, quam tractamus, maxime physiologicas rationes, repertis et expertis a Duchenne-Erdmann. (*die örtl. Anwend. der Electricität in Bezug auf Physiologie, Pathologie u. Therapie. Leipzig* 1856.) uti non potuisse dolemus, in aspectum enim nobis venit liber non antea, quam imprimi jam coepta esset dissertatio.

Digitized by Google

diversissimis de iis, quae repositionem impediant, prolatis, rectum judicium ferendi. Ponamus, luxationem (id quod fere ubique traditur et quod in cadavere facillime probari potest) pollice ultra modum extenso sive in dorsum flexo evenire, (non ut *Stromeyer* vult ejusque pedissequi nimia flexione, vel lapsu in flexum pollicem), haec fere externa signa erunt. Cutis fortiter intensa supra capitulum erit, quod facile sentiri poterit, plicae evanuerint; quae omnia etiam observaverunt chirurgi; praeterea *Dupuytren* (leçons orales II.) duas plicas transversas pro una existere docet pollicem inter et indicem quae angulo acuto in indice conjungantur; rugae in superficie externa thenaris longitudinem pollicis sequuntur. Minor quaedam protuberantia in dorso apparet basi phalangis respondens; quae omnia in mortuis imitari possumus. Capituli ossis metac. superficies convexa a basi cava phalangis in volam luxatae facillime posse discerni, ut nonnulli tradunt, mihi summopere dubium videtur esse, quoniam flexorum tendines ligamentorumque apparatus basin penitus obtegere oportet, et diagnosin in corpore vivo summis cum difficultatibus fieri unumquodque novum exemplar satis probat, quum utriusque partis similitudine deceptos se esse, quod repositio feliciter succedens se docuirit, chirurgi vel doctissimi profitentur, ut *Delpech* (prec. elem. III. p. 106), *Marjolin* (dict. de med.; art. luxations), *Chelius* (*Handbuch* p. 58), *Roser* (*Archiv* l. l.) et ut videtur etiam *Velpeau* (an. chirurg. II. 495).

Deinde phalanx e sede moveri nequit nisi vicinis partibus magis minusve scissis. Saepissime ligamentum capsulare anticum hoc modo afficitur, et debilissima quidem pars, non igitur media, quae cartigalinea vel adeo ex parte ossea est, nec pars infima phalangi proxima, sed metacarpo vicina. Ligamenta lateralia sive alterum eorum rumpi, non solum non necessarium, sed ne veri quidem simile videtur esse, si originem atque insertionem eorum reputaveris, quae adeo inter se appropinquentur necesse erit, nisi forte vis externa major erat, quam quae potissimum ossi emovendo sufficiat; quum basis in ipso fine superficiei convexae a globo altiori in collum capituli profundius delabatur, ligamenta lateralia relaxari oportet; fieri autem potest, ut marginis ligamentorum anterioris fibrae aliquantum scindantur, veri autem simile est, ligamentum externum s. radiale saepius et magis rumpi, propter majorem ambitum et eminentiam externam tuberculi radialis, praesertim quum aut vis externa ab hac parte exercebatur, aut, quod haud dubie plerumque fit, musculi adductores opponensque pollicis per se fortes et ipsa extensione magis etiam astricti simul cum flexoribus os ad partem interiorem attrahant; reliquorum ligamentorum quidquam rumpi necessarium non est. — Caput flexoris brevis utrumque, maxime externum, magnopere intendetur, quum in quolibet luxationis gradu, tum si superficies articulares prorsus a se separatae fuerint. — Ligamentum porro dorsale semper intactum remanebit, quum satis laxum esse debeat, quod in cavo glenoideo ad normam flexo basin per longum iter circum capitulum prosequatur, contra ligamentum annulare omni modo rumpetur, quum strictissime articulo et tendinibus affixum sit. — Ligamentum deinde anticum simul cum

Digitized by Google

ossibus sesamoideis inter utrumque os interponi posse, negari non potest, nec tamen nisi vehementissimo impetu, vel ut *Roser* memorat (Vademecum. p. 174.) flexione volari sponte vel contra voluntatem flexionem dorsalem statim sequente, et quod ipse semper efficere se posse in mortuis contendit, ligamento antico inciso vel scisso ad directionem transversam et paullum rectam (nimis extendendo pollice et deinde statim flectendo), quomodo etiam non raro flexorum tendines cum ligamento antico subverti dicit et inter ossa ita jacere, ut repositio nullo modo fieri possit (Arch. l. l. p. 216). Quod ubi fit, ligamentum anticum ita super capitulum trahi consentaneum est, ut superficies synoviolis ad inferiorem atque posteriorem metacarpi partem spectet. *Roser* (*anat. Chirurgie* p. 578) perperam hanc interpositionem unicam esse luxationis causam putat, deinde in addita figura et omnes ossium partes et ligamenti lateralis insertio prorsus falsae sunt delineatae neque cuiquam rei illustrandae figura inservit; ossium sesamoideorum facies articulares deorsum et ad latus dorsale spectare contendit, quod intelligi nequit. Interpositio tendinis flexoris longi sine magna ligamentorum lateralium, annularis et vaginalis scissione fingi non potest; facilius pars insertionum flexoris brevis cum ligamento antico interponitur.

Utrumque os secundum luxationis diversos gradus diverse inter se positum est. Nam os dum extenditur, in facie rotunda capituli semper eam tangens sursum labitur et retrorsum, ita ut angulus cum osse metac. factus gradatim minor fiat, quin os paene recta ejus regione collocari possit; rectum angulum effectum vidit *Dupuytren* (leçons II. p. 28); plerumque paullo minor erit. Facta autem luxatione *Roser* animadvertit (*anat. Chirurgie*) augulum rursus minui osque vel ultro vel data opera flecti atque adeo, quamquam phalange breviore, rursus rectam metacarpi regionem recuperare posse. Limbus basis tuberosus opponitur margini posteriori capituli acuto prominenti, ligamenta quotquot non discissa sunt utrumque os comprimunt, flexores partibus repugnantibus atque inflammatione contracti capitulum tamquam in funda includunt et coartant. Hic famosus ille annulus est, quem Francogalli „boutonnière," Germani „*Knopfloch*" appellant, quemque alii velut *Dupugtren* et *Hey*, per ligamenta lateralia sola, alii, velut *Vidal*, *Malgaigne* alii per utrumque caput flexoris brevis, *Günther* vero primus per haec et ligamentum intersesamoideum existere putant. Hic (Lux. d. l. Daumengl.) annuli effectum, qui in retinendis ossium extremitatibus versatur, multum augeri docuit per musculos flexores breves, qui, postquam in vola manus superiores fibrae inferioribus subterpositae sint, ossibus sesamoideis se inserunt eaque fortiter alterum alteri appropinquent; quae quum ita sint, hunc annulum plane sphincteris facultates nancisci, tendinem flexoris longi ligamento intersesamoideo impositum constrictionem augere; si dirupto sive dissecto altero ligamentorum lateralium sive ligamento intersesamoideo jam annulus imperfectus sit, repositioni nihil obstare. Huic tamen opinioni *Roser* (Vadem. p. 171) opponit, ut supra vidimus vel omnibus

Digitized by Google

tendinibus dissectis reponi non potuisse luxationem. *Günther* autem dissectionem ligamenti intersesamoidei, qua facta phalanx reduci possit, proponit.

Si in mortuis artis ope hanc luxationem imitamur, supra modum extendendo pollice, signaque, quae apparent, comparamus cum his quae protulimus, consentanea invenimus (cf. *Wernher* l. c. p. 141). Semper in dorsum phalanx elabitur; ligamentum capsulare rumpitur in latere volari plerumque transverse prope insertionem suam in osse metacarpo; multo rarius pars phalangi proprior scinditur; ligamentorum lateralium margines scinduntur, major pars ligamenti externi, saepe totum ligamentum externum dirumpitur. Ligamentum anticum, si capsula ab osse metacarpi sejuncta est, phalangem exarticulatam sequitur et nonnumquam utrique ossi interpositum est collumqua ossis metacarpi, si non musculi et ligamenta lateralia plane dirupta sunt, annulo fibrarum astricto circumdat. Pars posterior capsulae semper integra. Vagina flexoris longi a posteriore latere aperta tendoque ipse semper aliquantulum a sede sua in partem interiorem remotus, tantopere interdum, ut juxta marginem posteriorem capituli ossis metac. jaceat. In latere ejus interiore nervus situs est. Extensorum tendines semper in dorso membri reperiuntur vel parum vel omnino non intenti. In vola inter flexoris brevis capita metacarpi facies glenoidalis nudata conspicitur, phalangis non. Abductor et adductor paullatim cum phalange retrorsum decesserunt. Flexoris brevis caput externum super capitulum metacarpi valde intentum et inde a margine interiore magis minusve scissus; caput internum vel valet vel paucae ejus fibrae diruptae sunt, pars integra in posteriorem capituli decessit, capitulum igitur inter utrumque penetravit.

Quod teste *Nelaton* l. l. flexio et extensio pollicis plerumque fieri non potest, per se explicari non potest, nisi spasmo musculorum. Casus, quem *Pailloux* describit (thèse inaugur. 1829 Nr. 413), experimentaque in cadaveribus facta articulum in omnes partes motionem licere ostendunt. Phalanx secunda tendine flexoris ei propri magis intento quam extensoris tendo, quoniam propter mutatam sedem majus iter ei faciendum est circa capitulum quam in situ normali, plerumque flectetur.

Quod ad observationes et in vivis et in mortuis de luxationibus fortuitis institutas, eas satis congruere docemur cum his, quae e structura anatomica partiumque in cadavere mutatarum ratione didicimus; contenti tamen esse debemus antiquis atque inveteratis eluxionis casibus, quum casus recenter exorti in cadaveribus observati desint. *Franckii* casus *(Unters. üb. die Lux. d. Oberarms. Tüb.* 1842, *p.* 67.) et conatibus reducendi frequentissimis, intentissimis multoque cum dolore conjunctis, qui antecesserant, suspicionem movet, neque cum ea qua par est diligentia refertur; narrat enim, se in vivo repositionis causa incisionem amplius 1″ longam in latere volari fecisse, qua re facta phalangem in latus ulnare elapsam, utramque superficiem articularem tendinesque flexoris iis interpositos conspecerit, quae omnia fieri non poterant nisi multis partibus diruptis (quod quidem e reponendi conatibus satis probabile vide-

Digitized by Google

tur), de quibus singula atque accuratiora non adduntur. Hoc interpositionis genus quin sit rarissimum, dubitari nequit. — Neque majorem fructum carpimus e casu *Harvengi (Heidelb. med. Ann.* 1838), qui per vulnus casu fortuito factum tendinem extensoris (utriusnam?) ad latus anterius pollicis emotum aspiciebat, cui per spatulam suam positionem se reddidisse affirmat, quod quomodo intelligi et credi possit, equidem parum perspicio. Qui in mortuis observati literisque mandati fidem mereantur duo tantum sunt casus *Lisfrancii*, qui anno 1827 has partes anatomice praeparatas academiae med. Parisiensi exhibuit, et *Adair Lawrie* (Lond. med. gaz. 1837. Gaz. med. Par. 1838, No. 1.), qui inter se satis consentiunt; in utroque tamen casu teste *Nelaton* (l. l. XII, p. 416.) ligamentorum quasi ponticuli novusque articulus artefacta existerunt itaque ab hisce rationibus jam permutatis in pristinum atque normalem statum conclusionem facere non licet. Phalangis basis in utroque casu in dorsum metac. luxata erat et simul in latus ulnare, apud *Lisfranc* inter phalangem et os metac. tendo flexoris longi situs erat, quem hoc modo repositioni impedimento fuisse opinatus est; flexoris brevis caput externum magna ex parte diruptum describit, fibras ejus capite ossis metacarpi transfixas, caput internum integrum in margine ulnari simul cum tendine flexoris longi jacens, qui adductorem retrorsum presserat, inter utrumque os in latere externo nervum digitalem positum; in utroque casu diruptum erat ligamentum anticum prope os metac., item extensores retrorsum moti et aliquantum intenti; utrum ossa sesamoidea quae interposita videbantur ossibus, maximam obstaculum praebuerint reponendae phalangi, decerni nequit, quum dissectio satis ampla instituta non sit, — ne partes praeparandae corrumpantur.

Dolor et quasi aliquid in pollice torqueatur sensus, de quo aegroti queruntur, suam habet explicationem in nervis vel interpositis vel distortis.

Signa luxationis imperfectae non multum differunt ab hyperextensione, quae etiam in corpore sano fieri posse vidimus; evenire potest musculis solum contractis; *Malgaigne* teste (Journ. de chir. 1845.) pollex est paene extensus, immotus, capitula articularia neque in vola neque in dorso apparent; nisi peraccuratam inquisitionem instituimus, non animadvertimus basin supra capitulum paucis millimetris prominere. Partes molliores numquam magnopere dirumpi videntur, quod facile intelligitur quodque eo probatur, quod *Malgaigne* simul cum repositione minime difficili pristinam mobilitatem pollicem recuperare affirmat.

Phalangem in utrumque latus luxari posse, e constructione articuli supra demonstrata et e motionibus in latus quamvis exiguis elucere videtur. *Franckii* casu haec res comprobaretur, nisi de eo indiligentius esset relatum. Ligamentum laterale alterum, illud certe, quod in ea parte articuli, unde vis exercebatur, situm est, diruptum sit necesse est. Transgressus ab alio luxationis genere ad aliud fieri posse, consentaneum est, id quod eo confirmatur, quod pleraeque exarthroses literis consignatae non plane in dorsum, sed aliqua ex parte ad latus ulnare versus evenisse vidimus.

Digitized by Google

Rosero assentiendum videtur, qui (Arch. l. l.) contendit, eluxionem, quoniam superficies basis sit concava, directam et in eandem partem necessario fieri, in quamvis externa inlata sit, itaque extenso pollice tantummodo in dorsum, flexo in volam fieri eam posse. In volam quoque eam factam fingi posse negari nequit, quod ubi fit, ligamentum posterius rumpatur necessum est, nec non utrumque ligamentum laterale quamvis fortissimum, hic tamen propter insertionis locos ultra modum intentum, Vis, quae hanc luxationem efficiat, multo major esse debet, quam quae in posteriorem partem minus resistentem phalangem emoveat, ac deinde phalanx physiologice tantopere in volam flecti potest, ut ultra hunc terminum flexio vix transgredi possit. Etiamsi casibus a *Lenoir* (Gaz. des hop. 1852. No, 26.), *Lombard* (revue med.-chir. Mai 1852.), *Dupuytren* (lec. orales II, p. 31.), *Velpeau* (an. chir. II, p. 495.), *Nelaton* (él. de path. chir. XII.) enumeratis fidem negare nolumus, in memoriam tamen revocandum est, diagnosin admodum esse difficilem.

Repositionis impedimenta, ut omittamus pollicis brevitatem, qua praesertim, quum intumuerit articulus, non satis firme amplecti et movere et tractare ei licet, (quae res facile superatur instrumentis adhibitis velut forfice a *Luër* invento) ut omittamus deinde, quod capitula articuli diaphysi ossium crassiora inter se fortiter retinent, aliorumque alias opiniones, duas potissimum causas subesse viri docti rati sunt, aut annulum illum contractilem, aut tendinum sive capsulae partem reliquam interpositam, quae omnia pulcherrime *Wernher* l. l. protulit. E quibus sententiis quaenam sit eligenda, certo disjudicari nondum potest, veri tamen est simile, non semper easdem causas subesse, fortasse saepe complures una repositionem prohibent. Laquei theoria a plurimas viris doctis hodie probari videtur, quos sequi et ipsi non dubitamus. Hoc certe comprobatur, quod plerique qui experimenta instituerunt, in cadavere repositioni impedimentum non exstare uno omnium consensu tradunt, propter relaxatas in mortuis musculorum fibras, (quod quidem *Roseri* experimentis reprobari videtur v. supra). Id quoque sententiam nostram confirmare videtur, quod reponendae luxationi ejusdem articuli in reliquis digitis, (in quibus neque ligamentum anticum, neque tendines flexorum, neque superficierum margines prominentes desideramus, sed hoc solum, quod partes quae laqueum formant, contrahi possint sicut capita flexoris cum ligamento intersesamoideo), non nisi pauca obstant.

Digitized by Google

THESES.

1. Hydrocelis casus plerique injectione sanari possunt.
2. In scapula distinguendum est collum anatomicum inter et chirurgicum.
3. Apoplexia lingualis originem ducit non ex apoplexia cerebri.

Digitized by Google

1856. VII.
MEDIC. VIII.

DE

POLYDIPSIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

CAROLUS ERNESTUS JOANNES HANSEN

HADERSLEBIENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVI.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *E. F. Goetz*,
h. t. Decanus.

Digitized by Google

Jam diu medicis notum erat, symptomata sitis insatiabilis et polyuriae, quamquam plerumque diabetis melliti symptomata, interdum talibus in casibus se praebere, quibus urina saccharum non contineret, et alia diabetis melliti symptomata deessent. Attamen multi certe medici hanc affectionem diabeti mellito similem esse putabant, quamobrem eandem, ut in diabeti, therapiam instituebant. Quum urinae in polydipsia analysis, partes normales urinae plerumque ratione et copia justa urinâ contineri, in polydipsia igitur urinam urinae normalis, simpliciter dilutae constitutionem praebere, et non modo quod spectet ad pondus specificum, sed etiam ad omnem urinae constitutionem, ab urina diabetica distare, docuerit, polydipsia morbus diabeti mellito similis omnino non appellari potest, eo minus, quo utriusque morbi vis ad universam corporis constitutionem valde inter se discrepat.

Physiologia distincte non docuit unde sitis oriatur, quamobrem medici ultimi etiam temporis de polydipsiae ratione vera certam opinionem constituere non potuerunt, praesertim, quum non permulti certe polydipsiae casus accuratius observati sint. Observatio illa ultimi temporis, punctum in fossa rhomboidea cerebri inveniri, quo irritato polyuria et polydipsia oriatur, quamquam ad actiologiam polydipsiae constituendam gravissima esse visa est, non multum valuit ad rationem polydipsiae cognoscendam, quum affectionis origo e puncto illo demonstrari non posset. Atque illud etiam, quod, oesophago et vago vulnerato, sitis augetur, ad morbi actiologiam constituendam, non magni est momenti. Polydipsia enim aut primaria est, ita ut, ea excepta, nulla morbi alius symptomata se praebeant, aut chlorosis symptomata adsunt, et therapia in illam apte instituta, cum aliis symptomatibus polydipsia evanescit, aut hysteriae symptomata adsunt, quae quamvis ad rationem morbi nervosam spectent, attamen opinionem, affectionem e certa cerebri parte originem trahere, non admittunt.

In nosocomio academico Kiliensi nuper puella curata est, quae gradu perfecto polydipsiae et polyuriae symptomata praebens, alia etiam symptomata ostendit, quae, quamquam et ad sanguinis et ad cerebri affectionem spectaverunt, attamen conjecturam certe admiserunt, illam cerebri partem morbo affectam esse, qua irritata symptomata

Digitized by Google

illa in animalibus observantur. — Quum benignitate viri doctissimi illius, qui hoc tempore decanus facultati medicinae praecst, occasio mihi casus illius accuratius observandi facta sit, cum enarrabo, et in epicrisi casus hujus rationem, quoad possum, adumbrabo.

Charlotta Jaspersen, viginti annos nata, Gettorffiensis, filia parentum, qui bona semper valetudine usi sunt, prima quidem juventute integra semper et firma fuit sanitate, et exceptis morbillis, qui leniter apparuerunt et post breve temporis spatium cesserunt, nulla omnino affectione laboravit. Decem annos nata, febre intermittente implicata est, quae remediis domesticis cessit. Deinde, annis tribus peractis, tertio decimo aetatis anno in morbum incidit, qui typhi, ejusque gravioris, symptomata praebens, per longum temporis spatium perduravit. Valetudine fere restituta, epilepsia tentata est, vel vertiginis paroxysmis, qui persaepe apparuerunt, et ita in aspectum venerunt, ut aegrota semper subito de mentis suae statu fere dejiceretur. Ipsis paroxysmis semper aura praeibat, quae a digitis manus dextrae usque ad brachium, collum et caput ita movebatur, ut cum sensu animalis serpentis vel cum habitu comparari posset. Sensus ille, in caput perveniens, evanuit, quo facto ipse paroxysmus incepit. Primo quidem diplopia se praebuit et imbecillitas loquendi, quam stupor sensus vel lipothymia secuta est, per breve temporis spatium permanens. Paroxysmo finito capitis dolores verticem occupantes et corporis gravitas totum per diem permanserunt. — Paroxysmi illi, incipiente morbo hora matutina apparentes, septimo semper die reverterunt. Constantia illa non autem per longum temporis spatium se praebuit, quum, hebdomadibus quibusdam peractis, typus ille evanesceret, ita ut in altera persaepe hebdomade paroxysmi duo, in altera nullus appareret. Magis magisque rariores facti sunt, et, anno uno peracto, menses nonnulli semper inter paroxysmos interfuerunt. Illa autem paroxysmorum frequentitate epilepsia per annos perduravit, et anno MDCCCLV ter epilepsiae paroxysmis implicata est aegrota. — Praeter paroxysmos illos epilepsiae, semper hora matutina apparentes, noctu persaepe somniis atrocibus vexata, aegrota interpellatum saepissime cepit somnum. — Dolores capitis spontanei, interdum animadversi, neque graviores, neque per longum temporis spatium permanentes se praebuerunt. Deminuta etiam videndi facultas in oculo dextro post typhum illum magis magisque orta est. — Iis, quae enarravimus, symptomatibus exceptis, bene se habuit aegrota usque ad mensem Augusti anni MDCCCLV. Menstrua, anno sexto decimo aetatis primo animadversa, annum fere a norma non abierunt, quo finito per breve temporis spatium cesserunt. Deinde, iterum ad normam revocata, usque ad mensem Octobris anni MDCCCLV normalia se praebuerunt. — Quod spectat ad animi ingeniique conformationem, aegrota aequalibus inferiorem nullo tempore se fuisse affirmat.

Mense Augusti anni MDCCCLV magis magisque sitis immoderata, e causa incognita orta, et polyuria, e magna, ut visum est, aquae copia, quam bibere coacta

Digitized by Google

fuit, apparuit. Sitis illa mense Septembri aucta se praebuit et per menses sequentes perduravit. Continua fuit, et in bibendo tantum cessans, vase ab ore remoto, iterum apparuit. Ita, ut satietatis sensu aegrota semper careret, et ventriculo etiam impleto, bibendi appetitus adesset. Noctu et bibendi appetitu et necessitate ad matulam somnus saepe interpellebatur. — Edendi appetitus normalis, alvus astricta se praebuit. Menstrua, ut antea jam diximus, a mense Octobris incipiente, suppressa. Cutis, antea a norma non distans, aruit, epidermis desquamans semper conspecta est. — Ardor quidam ariditasque et oris et pharyngis semper aderat. Dolores capitis, iique graves, congestiones comitantes, ab incipiente siti illa vesperi persaepe aegrotam vexabant, qui dolores e regione oculi dextri orti, vehementer in intimum caput movebantur et hoc loco per horas nonnullas perdurabant. — Cardialgia, vel potius dolor obtusus, in scrobiculo cordis saepe animadversus, bibendo plerumque evanuit, quo facto aegrota interdum vomuit. — Paroxysmi epilepsiae duo ex eo tempore, quo sitis illa incepit, apparuerunt, alter quidem mense Augusti, alter mense Septembris.

Finito paene anno MDCCCLV auxilium medici quaesitum est. — Exploratio urinae instituta, saccharum omnino non adesse ostendit. Copia urinae per horas XXIV evacuatae congios fere duos explevit. — Therapia in eo versata est, ut hora matutina aegrotae corpus linteo in aquam frigidam immerso tereretur. Sudationes assae, hebdomades nonnullas post institutae, iterum removebantur, quum status febrilis, congestiones ad caput secum portans, semper eas sequeretur, et incitamento illo sudor evocari non posset. Remedia interna etiam, Opium, Kreosotum et radices Valerianae ordinata sunt. — Attamen nulla rerum mutatio conspecta est, quamobrem aegrota, in nosocomio academico Kiliense auxilium quaerens, die XXI mensis Januarii anni MDCCCLVI excepta est.

Status praesens die XXI mensis Januarii anni MDCCCLVI. Aegrotae corpus bene constitutum est, et aegrota morbo graviori implicata esse non videtur. Id quod conspicuum est, cutis est ariditas et epidermidis desquamatio, a norma abhorrens, quae in ore praecipue et in bracchiis se praebet. Quod demum, aegrotam perlustrantes, animadvertimus, planities est quaedam tegmenti calvariae, atque latitudo abnormis et frontis et faciei, in qua oculi late distantes prominent. Praeter illam cranii latetudinem, quae exploratione manuali confirmatur, occiput non ita rotundum quam alias in feminis invenitur, sed acuminatum apparet. Summo denique osse bregmatis sinistro juxta mediam suturae sagittalis partem, eminentia plana, magnitudinem praebens monetae Danicae „*Thaler*“ vocatae, sensu percipitur, quam semper affuisse aegrota affirmat. Columna vertebralis forma normali, neque deviationes, neque prominentias praebet. Neque etiam pressa ullo loco doloribus afficitur. Quod spectat ad sensorium, aegrota mente integra praedita est, et ratione sana utitur. Attamen stupiditas quaedam, quae in vultu jam conspicitur, et negligentia, ut ita dicam, omnium rerum, quas agit, in aspectum prodit. Memoria segnis non eo modo lenta invenitur,

Digitized by Google

ut morbo quodam comminuta esse videatur. Innervatio nullo loco ita perturbata, ut encephali morbum gravem adesse statim arbitrari cogamur. Quod spectat ad organa sensuum, in oculo utroque pupilli mediocriter dilatati, lucis stimulo aequabiliter contrahuntur. Videndi autem facultas, oculo sinistro normalis, dextro ita imminuta est, ut aegrota, libro ad pedis dimidiae distantiam demum appropinquato, oculo dextro litteras agnoscat. Abnormitas oculi interni cerni non potest. Alia sensuum organa normalia inveniuntur. — Facies, ut jam diximus, lata, oculi, qui late distant, prominentes, nasus obtusus, labia crassa observantur. Os apertum hiat. Musculi faciei inertes ad risum persaepe e vano ortum, distorqueuntur. Quae omnia vultus stupiditatem efficiunt. Mucosa oris cavi et pharyngis arida conspicitur, lingua pura. Uvulae in partem sinistram deviatio adest. Thorax, optima conformatione, normaliter inspiratione, quae septies decies per minutae spatium animadvertitur, tollitur et dilatatur. Pulmo, auscultatione et percussione explorata, optima valetudine percipitur. Cor, magnitudinem praebens, quae normalis appellari potest, loco consueto pulsans aspicitur. Auscultatione soni perspicui animadvertuntur, in valvulis aortae halitu rauco systolico comitati. Halitus ille aortae in carotides propagatur. Cordis ictus interdum intercluditur. Pulsus debilis et durus in minutae spatio 88 habet. Abdomen, quod aequabiliter extensum est, pressum nullo loco dolore afficitur. Hepar a costa sexta usque ad costarum arcum pertinet. Lien exigue norma major esse videtur. Alia cavi abdominis et pelvis organa explorata normalia apparent. Menstrua suppressa. Alvus astricta. Urina, quae magna copia evacuatur, valde diluta est, et neque odorem emittit, neque urinae concentratae gustum habet. Pondus specificum 1,002 est. — Urinae C. C. X explorata: natri muriatici 0,018 grm. et ureae 0,035 grm. ostendunt. Quamobrem, quum omnis urinae per horas 24 evacuatae, copia 8000 C. C. aestimanda sit, in hoc temporis spatio natri muriatici fere 14,4 grm. et ureae 28 grm. evacuantur; ita ut et natri muriatici et ureae copia, per horas 24 evacuatae, normalis sit. — Saccharum aut albumen in urina non inveniuntur. — Quod spectat ad symptomata subjectiva, ad anamneseos descriptionem revocamus. Idem sensus sitis insatiabilis, quem commemoravimus, eadem oris ariditas, hoc etiam momento aegrotam, illis exceptis bene se habentem, vexant.

Therapia ante tempus symptomatica instituitur, quamobrem, quum alvi astrictae et inertiae cutis symptomata adsint, pilulae aloeticae et balnea calida hora matutina adhibenda ordinantur.

Die XXII mensis Januarii. Vespere. — Aegrota, quae post meridiem alvum dejecit, febris lenis symptomata praebet. Dolores capitis, congestiones ad caput comitantes, percipiuntur. — Ordinatio eadem, quae hesterno die.

Die XXIII mensis Januarii. Hora matutina. — Aegrota, cujus per noctem somnus quater bibendi appetentia et necessitate ad matulam interpellatus est, modice dormiit. Febris et dolores capitis, hesterno die animadversa, evanuerunt. Aegrota

Digitized by Google

bene valet. Urinae copia, quam a hora XII diei hesterni usque ad eandem hodierni diei horam emisit, C. C. 10060 explet. Per idem tempus aegrota bibit: Coffeae C. C. 450, Theae infusi C. C. 225, Juris carnei C. C. 500, Aquae fontanae C. C. 8740. In toto ergo fluidi C. C. 9915. — Urinae itaque copia C. C. 145 potus copiâ superior est. Ordinatio consueta. — *Vespere.* Excepta siti aegrota bene se habet. Alvus hodie exonerata non est.

Die XXIV mensis Januarii. Hora matutina. Aegrota per noctem bene dormiens, interdum experrecta est ad urinam dejiciendam et sitim placandam. Hodie bene se habet. Urinae copia per horas 24: C. C. 10400 explet, quod idem per tempus aegrota bibit: Coffeae C. C. 450, Infusi theae C. C. 425, Juris carnei C. C. 500, Aquae fontanae C. C. 8665, in toto fluidi C. C. 10040. E quo conspicitur, potus copiam C. C. 360 urinae emissae copiâ inferiorem esse. — Consilium hodie capitur, ut aegrotae C. C. 1000 circiter potus per diem subtrahantur. Ordinatio non mutatur. — *Vespere.* Alvus dejecta est. Doloribus capitis et congestionibus ad caput aegrota vexatur. Febris non adest.

Die XXV mensis Januarii. Hora matutina. Somnus per noctem saepius interpellatus est, et hodie languida esse videtur aegrota. Urina per horas XXIV emissa: C. C. 9700, potus copia idem per tempus: Coffeae C. C. 450, Infusi theae C. C. 425, Juris carnei C. C. 500, Aquae fontanae C. C. 7800, in toto ergo C. C. 9172. — Urinae igitur cum potus copia comparata C. C. 525 hâc superior est. — *Vespere.* Hora meridiana alvus dejecta est. Dolores capitis, iique vehementes, aegrotam febris symptomata non praebentem, vexant. — Ordinatio consueta.

Die XXVI mensis Januarii. Hora matutina. Dolores capitis per noctem perdurantes, somnum pepulerunt. Attamen aegrota hodie bene valet. Urinae copia per consuetum temporis spatium evacuata: C. C. 8400 explet. Idem per temporis spatium aegrota bibit: Coffeae C. C. 450, Juris carnei C. C. 500, Aq. fontan. C. C. 6900, in toto ergo: C. C. 8300. — Urinae igitur per horas XXIV emissae copia C. C. 100 potus copiam superat. Ordinatio non mutata. — *Vespere.* Alvus hodie dijecta non est. Vertigine et capitis doloribus vexata est aegrota, ceterum febre carens.

Die XXVII mensis Januarii. Hora mutatina. Aegrota et vertigine et cephalalgia vexata, exceptis horis matutinis somnum per noctem non cepit. Hodie non bene se habet, sed languida et imbecilla esse videtur. Febris non adest. Urina per temporis spatium consuetum: C. C. 8500. Humor importatus: Coffeae C. C. 450, Infusi theae C. C. 225, Juris carnei C. C. 500, Aq. fontan. C. C. 6400, in toto ergo: C. C. 7575 explet. — Ita ut humoris copia, quam per horas XXIV bibit aegrota, C. C. 75 urinae idem per tempus emissae copiâ superior est. Obstructionis causa ol. ricini ordinatur. Ceterum therapia non mutatur. — *Vespere.* Faeces molles post meridiem evacuatae sunt. Aegrota nausea vexata pluries vomuit. Capitis dolores, congestiones ad caput secum portantes, percipiuntur. Pulsus normalis.

Digitized by Google

Die XXVIII mensis Januarii. Hora matutina. Optime aegrota per noctem dormiit, et bene hodierno die valet. Edendi appetitus debilitatus, Hora matutina alvus dejecta est. — Urinae per horas XXIV evacuatae cum humoris idem per tempus importati copia comparata, urinae copiam: C. C. 6000, et potus: Coffeae C. C. 450, Infusi theae C. C. 225, Juris carnei C. C. 500, Aq. fontan. C. C. 4825, in toto ergo C. C. 6000 ostendit. — E quo, urinae per horas XXIV evacuatae et humoris per idem temporis spatium importati copiam parem esse apparet. Ordinatio non mutatur. — *Vespere.* Aegrota mala est conditione. Capitis doloribus et dolore obtuso in regione epigastrica vexatur. Febris non adest.

Die XXIX mensis Januarii. Hora matutina. Aegrota per noctem pluries vomuit, et languida hodie experrecta est. Post balneum doloribus capitis vexatur. Alvus dejecta est. — Urinae copia: C. C. 5000; potus: Coffeae C. C. 450, Infusi theae C. C. 225, Juris carnei C. C. 500, Aq. fontan. C. C. 3325, in toto: C. C. 4500. — Urinae ergo copia, humoris importati copiâ: C. C. 500 superior est. — *Vespere.* Aegrota bene valet.

Die XXX mensis Januarii. Hora matutina. Aegrota bene dormiit et hora matutina alvum exoneravit. Attamen mala est conditione. Dolores capitis, non quidem graviores, et dolor obtusus in epigastrio percipiuntur. Qui quidem, quum vomitu ventriculus exoneratus sit, evanuerunt. Urinae copia: C. C. 3800, Humoris importati: C. C. 3700 (Coffeae C. C. 450, Infusi theae C. C. 235, Juris carnei C. C. 500, Aq. fontan. C. C. 2526). Humoris per horas XXIV importati igitur copia urinae idem per tempus emissae copiâ C. C. 100 inferior est. Ante meridiem venaesectio unciarum VIII instituta est. Sitis venaesectione finita valde augebatur. — Therapia usque ad hoc tempus symptomatica hodierno die mutatur. Quum illud, quod et anamnesi et exploratione instituta verisimile se praebet, ut aegrota, plethorae quidem serosae symptomata quaedam praebens, malo etiam cerebri affecta sit, e observatione intelligi possit, consilium capitur, ut therapia instituatur, quae ad ipsum cerebri malum spectans, sanguinis etiam conformationem corrigat. Quem ad finem laxantia primo per dies nonnullos adhibenda sunt. Deinde corporis frictionis linteo in aquam frigidam immerso instituendae sunt. Remedia quoque, quae et ad alvum astrictam et ad sanguinis conformationem spectant, per longum tempus ordinanda, aptissima esse videntur. — Ordinatum est Ol. ricini. Balnea etiam calida hora matutina adhuc adhibentur. — *Vespere.* Aegrota bene se habet.

Die XXXI mensis Januarii. Hora matutina. Optime dormiit aegrota. Hora matutina faeces molles pluries apparuerunt. Aegrota bene valet. — Ordinatum est: Infus. fol. senn. c. tart. natronat. — *Vespere.* Aegrota quater post meridiem alvum dejecit. Dolores capitis et nausea percipiuntur. Pulsus normalis.

Die I. mensis Februarii. Hora matutina. Nausea illa, quae hesterno die vespere aderat et capitis dolores illo tempore evanuerunt, quo aegrota in lectum se retulit.

Digitized by Google

Optime per noctem dormiit. Hora matutina alvus semel dejecta est. Aegrota bene se habet. Sitis valde deminuta. — Ordinatio eadem quae hesterno die. — *Vespere.* Aegrota bona est conditione.

Die II mensis Februarii. Nocte incipiente dolores capitis somnum interpellantes apparuerunt. Somniis atrocibus media nocte, et horis primis matutinis vexata est aegrota. Attamen hodie bene valens ter alvum dejecit. — Ab hodierno die aegrotam nondum observavi. Liceat mihi igitur illud commemorare, quod e sanguinis interim explorati conformatione et ex ipsa morbi observatione cognoverim.

Primo quidem, quod sanguinis exploratione invenerim, paucis dicam:

Exploratio igitur, speculo microscopico instituta, sanguinis normalem conformationem ostendit.

Analysi chemica illud inveni:

Sanguinis partes 1000 continent:

Materiae solidae	partes	217,26
Aquae	„	782,74
		1000.
Globulorum sanguins	partes	131,9
(e methodo, qua utuntur Becquerel et Rodier)		
Globulorum sanguinis	partes	135,1
(e methodo, qua utitur Scherer)		
Globulorum sanguinis	partes	165,74
(e methodo, qua utitur Nasse)		
Fibrini	partes	2,1
Albumini	„	209,0

Sanguinis defibrinati partes 1000 continent:

Materiae, quae igni deleri non potest, . . .	partes	10,24
Ferri et terrarum phosphaticarum	„	1,56
Salium solubiliun	„	8,68
Natri muriatici	„	3,559

Seri partes 1000 continent:

Materiae solidae	partes	96,15
Aquae	„	903,85
		1000.
Albumini	partes	85,4

Sanguinis defibrinati pond. specific.: 1,0618.

Seri pond. specific.: 1,0314.

Sanguine igitur explorato, conspicuum est, materiae solidae copiam auctam esse, quum feminarum sanguis in medio in partibus 1000 materiae solidae partes

Digitized by Google

208,90 contineat. Atque globulorum sanguinis etiam copia, quae in sanguinis feminarum partibus 1000 medio 127,20 est, hoc in casu 135,1 praebens, aucta animadvertitur. Fibrini, cujus alias in medio partes 2,20 in partibus sanguinis 1000 adsunt, copia, parum comminuta esse videtur. Albumen et salia solubilia aucta se praebent. Natrum muriaticum autem, eadem ratione, qua albumen auctum, deminutum esse apparet. — Sanguis igitur inspissatus, ut ita dicam, esse videtur.

EPIKRISIS.

Ex eo igitur, quod sanguinem explorans, inveni, sanguinis quidem morbum analysi chemica inveniri non posse, cernitur. Sanguis enim inspissatus tantum se praebuit. Attamen, si symptomatum illorum, quae descripsi, originem, quemadmodum ex anamnesi fieri potest, animo lustro, et totum morbi illius chronici cursum circumspiciens, illa, quae ipse aegrotam explorans et observans, inveni, mecum recordor, primo haesito fere, utrum sanguinis morbum an cerebri malum adesse dijudicem. — Morbum in origine considerans, recedam necesse est usque ad tempus illud, quo typho implicata est aegrota. Ex illo enim morbum chronicum, quo aegrota per annos, laboraverit, natum esse, vel potius, illum morbi antea fortasse praeparati causam proximam fuisse, arbitror; atque symptoma illud mirum, sitim immoderabilem, quod aliis symptomatibus ante menses nonnullos se adjunxerit, e nova nulla partis alius affectione ortum esse, puto. Causa autem, qua adductus in typho illo graviori morbi originem investigo, e integra ante typhum valetudine aegrotae oritur, quae ne temporibus illis quidem, quae prima juventute ad epilepsiam erumpentem procliviora sunt, dentitionis quidem tempore et illa aetate, qua vermibus intestinalibus persaepe infantes ad epilepsiam propendentes, morbo illo implicantur, incidit in morbum. Epilepsia autem tempore, quo non potissimum in conspectum venit, apparuit, postquam typhus, organismum perturbans antecessit. Quamobrem, quum constet, typhos saepe perturbationes graviores relinquore, quarum hemiplegias commemoro, non admodum raro apparentes, et in aegrota nostra, antea integra valetudine, epilepsia typhum gravem subsecuta sit, haud dubito, quin e typho profecta sit vertigo illa epileptica. Quae autem si ita se habent, attamen existimo, morbum, e origine sola aestimatum, neque sine mora malum cerebri organicum, neque morbum sanguinis esse, judicare posse. Quamquam enim in typhis gravioribus intra calvariam commutationes effici, constet, quae morbo etiam evanito, post longum interdum temporis spatium vel in volucris, vel in ventriculis, vel in ipso cerebro inveniantur, — typhis etiam, qui per longum temporis spatium perdurant, et quos reconvalescentia lenta sequitur, sanguinis commutationes non admodum raro efficiuntur, quae, e liene saepe, ut videtur, ortae, sanguinis in chlorosi conformationi similes, symptoma illud gravius, vertiginem epilepticam provocare possint. Eo magis, quo magis antea jam vi deletaria sanguinis typhosi cerebrum debilitatum fuit. — Atque ipsius morbi etiam si rationem et decur-

Digitized by Google

sum mecum recordor, et cum symptomatibus illis, quae anamnesi cognovi, illud comparo, quod ipsi mihi aegrotam exploranti se praebuit, dubius fere sum, utrum ad sanguinem an cerebrum morbum spectare dicam. Symptomata enim illa, quae in anamnesis descriptione commemoravi, dolores capitis, deminuta videndi facultas, et ipsum illud, quod maxime nostrâ interest, polydipsiae et polyuriae symptoma, quamquam cerebri affectione effici posse, dubitari vix potest, e chlorosi interdum oriri, constat. Quod quidem in chlorosi praesertim illa e graviditate nata saepe cernitur, qua nervorum hyperaesthesiae variae et diversae, et ipsa polydipsia et polyuria interdum conspicitur. — Status praesens etiam, quamquam puella robusta, valetudine, ut videtur, integra invenitur, id quod sanguinis affectionis praesentiam dubiam reddit, — altera in parte symptomata praebet, quae alias symptomata chlorosis magni momenti ducuntur, quorum menostasiam, stridorem quem cor, ceterum morbo affectum non apparens, auscultans percipio, et dolores illos in scrobiculo cordis, commemorem, liceat. —

Attamen sanguinis affectionem hoc tempore adesse, omnino non existimo. Quum enim organa illa quibus haematopoësis efficitur, morbo affecta esse non videantur, quum color cutis validus sit, neque palidam illam, viridem fere, ut ita dicam, admistionem praebeat, quae in sanguinis morbis, e liene praecipue ortis, semper fere cernitur, — quum habitus, valetudinem indicans, affectionem in intimo materiae metamorphosis foco hoc tempore non adesse, confirmet, — quum denique sanguinis exploratio instituta conformationem paene normalem ostendat, — sanguinis morbum non adesse mihi persuasum habeo. Suspicor autem cerebrum affectum esse morbo, cujus causa proxima e typho profecta sit. — Primo quidem formâ cranii ad illam sententiam adductus sum, quae exiguo gradu hydrocephalica fere appellari potest, et, utrum annata an prima juventute eo orta sit, ut calvaria crescens formae fortasse mutatae ipsius cerebri se accommodarit, quod minimi est momenti, — semper veresimile facit, ut inclinatio ad cerebri affectiones adsit. Praesentibus certe symptomatibus, quae ad cerebrum spectare possint, forma illa cranii magnas habet suspicationes. Aliis etiam symptomatibus cerebrum affectum esse, mihi persuasum habeo. Quorum prominentiam bulborum, uvulae in partem sinistram deviationem, et, id quod magni est momenti, dolores capitis, congestiones ad caput secum portantes, commemoro. Atque symptomata etiam illa graviora, vertigo epileptica quidem, polydipsia et polyuria, proprium quoddam praebent, quod e sanguinis affectione se non orta esse, ostendit. Primo quidem non saepe evenit, ut vertigini epilepticae, quae interdum chlorosin comitat, aura praeeat, per annos paroxysmis omnibus semper aequa. Epilepsiam quidem veram e sanguinis globulorum inopia oriri posse, constat, quod in illis casibus fieri solet, quibus maxima sanguinis mutatione per longum temporis spatium perdurante, ipsum cerebrum perversa nutritione morbo afficitur. In ipsis vero his casibus e vertiginis paroxysmis magis magisque epilepsiae verae paroxysmi ori-

Digitized by Google

ginem ducere solent. Sed aegrota nostra ab incipiente epilepsia, cui chlorosis certe gravior non anteiit, auram percepit, qualem in epilepsia e primaria cerebri affectione profecta, saepissime observamus, — et ipsorum paroxysmorum ratio semper ita aequa et ita stabilis animadversa est, ut cerebri affectionem morbi causam esse, existimemus necesse sit. — Polyuriae etiam et polydipsiae symptomata illa ad cerebrum spectant. Sitim quidem et diuresin in chlorosi interdum valde augeri constat. Sed in casu nostro non sitis simpliciter aucta et polyuria illa adest, quales in chlorosi interdum conspiciuntur. Nunquam enim sisis exstinguitur, quum satietatis sensus omnino absit. Semper bibendi appetitus adest, et perpetuo bibere posset aegrota, nisi ventriculus, aqua completus, humori aditum intercluderet. Atque polyuria mirum illud praebet, quod urinae copia cum humoris, quem bibit aegrota, copia comparata, semper illâ superior sit. Idem igitur, quod deletis nervis vagis in animalibus invenitur, sitim exstingui non posse, quum satietatis sensus absit, eadem sitis immoderata, quae interdum conspecta est, si, vulnerato oesophago nervi vagi rami quidam irritata sunt, in casu nostro apparet, et idem urinae auctae symptoma invenitur, quod, puncto quodam fossae rhomboideae irritato, in animalibus observatur. Illa autem et polydipsiae et polyuriae ratio ad ipsum cerebrum spectat. — Omnia igitur, quae adsunt symptomata ad cerebri affectionem spectant, exceptis duobus, menostasia quidem et ariditate illa cutis, quorum, nisi inertiam cutis aucta urinae secretione effectam esse, dicamus, causa incognita est.

Mali igitur rationem et sedem intra calvariam, quemadmodum e symptomatibus, quae descripsi, variis et diversis fieri potest, quaeram; quod res difficilis esse videtur, quum legibus physiologiae in hac parte longe non perfectis, inniti vix possim. — Attamen primo quidem quaestionem ponam, unde sitis illa originem duxerit, quem ad finem rogem necesse est, utrum polyuriae symptoma primarium, et eâ polydipsia effecta sit, an polydipsiae symptoma primarium, et e magna humoris in organismum introducti copia polyuria orta esse videatur.

Quum experimentum doceat, punctum inveniri in cerebro, quod irritatum polyuriam simplicem efficiat, cogitari posset, illud hoc in casu irritatum esse, et aucta urinae secretione eo quidem sitim insatiabilem effectam esse, quod sanguis, perpetuo humorem per renes perdens, ad proprium suum concentrationis gradum conservandum tendat. Polyuriam quidem e irritatione puncti illius in animalibus sitim efficere, constat. Atque illud, quod aegrotam observans, inveni, urinae copiam cum humoris introducti copia comparatam, etiamsi humoris per cutem in balneis transmissi, et aquae cum cibo introductae rationem habeamus, semper auctam esse, ita ut urinae secernendae facultas, ut ita dicam, cum humoris resorbendi facultate comparata, hac superior esse videatur, veresimile fere facit, ut aucta urinae secretione polydipsia effecta sit. Urinae enim copia certe humori introducto accommodata esset, si magnâ aquae introductae copiâ polyuria effecta esset. — Quod idem, sanguinem urinae nimia

Digitized by Google

secretione inspissatum videri, et illa concentratione sanguinis, dum resorbendi facultas comminuta sit, sitim modo quodam incognito effici, re quadam confirmatur, quam, venaesectionem instituens, observavi. Sitis enim eo maxime augebatur, ut sanguinis copia comminueretur, ita ut impetus, quem sanguis ostendit, concentrationis mutatae restituendae, magnus appareret. Illa autem veresimilia reddunt, ut sitis immoderata e urinae aucta secretione et e sanguinis perpetuo mutata concentratione profecta sit, — vel discrepantiâ quâdam inter humoris resorbendi et urinae secernendae facultatem, ita ut resorbendae quidem facultas comminuta, secernendae autem aucta sit, polydipsiam effectam esse, ostendunt. Sanguinis etiam explorati conformatio, quae concentrata vel inpissata apparuit, ad illam opinionem nos adducit. Ratio sitis illius, quae estingui omnino non potest, a sententia illa non abhorret, quum sanguis inpissatus perpetuo ad conformationem suam normalem conservandam tendere videatur. — Quum igitur de natura et ratione sitis physiologia leges distincte non constituat, et observationes illae paucae perfectae non sint, quibus demonstratur, vagum irritatum sitim efficere, illo autem deleto, satietatis in bibendo sensum evanescere, e quo illud tantum cernatur, vagum sensus quosdam, vel mutationes in nervis peripheriçis, quarum natura incognita sit, ad cerebri perceptionem perducere; — quum demum si nervi vagi fibrillos persequimur, usque ad punctum illud paene perveniamus, quod irritatum polyuriam efficit, et experimentum doceat polyuriâ illâ sitim augeri; — quum denique inter sensum, qui animi judicio in cerebro efficitur, et nervi effectum, e quo secretio quaedam tantum oritur, hoc jam tempore, quo neque sitis causa vera intelligi possit, neque nervorum in secretionibus variis et diversis effectus perspicuus sit, ratio proponi non possit, — non dijudicans utrum sensus ille, qui sitis appellatur, polyuriâ solâ effecta, an eadem fortasse e causa, qua polyuria profecta sit, verisimile esse constituo, ut regio illa cerebri, qua punctum quod irritatum polyuriam efficiat, et vagi fortasse origo, quae puncto illi vicina, ullo modo mutatione quadam affecta sit. Aque alia etiam symptomata adsunt, quae ad regionem illam vagi spectare possint, quorum cordis ictum interdum interclusum, deviationem uvulae, ardoris sensum per oesophagum, cardialgiam et nauseam, saepe apparentes commemoro.

Secundum symptoma gravius, videndi facultas in oculo dextro comminuta, ad nervum opticum intra calvariam se dispandentem nos ducit, cujus fibrillos usque ad corpus quadrigeminum et corpora geniculata externa persequi possumus, regiones quidem, quae puncto illi in fossa rhomboidea vicinae sunt, quod affectum esse videri, supra diximus. Attamen illo loco, câdem quâ punctum illud causâ, nervum opticum implicatum esse, non existimo. Quum enim in chiasmate fibrillorum internorum tantum decussatio se praebeat, eo adductus sum ut nervum opticum dextrum, e chiasmate jam egressum, affectum esse putem, quod alterius oculi videndi facultas normalis se praebeat. Illud autem, si in optici fibrillis, in corporis quadrigeminis vel thalamo

Digitized by Google

optico se expandentibus, causa sita esset, fieri non posset, ut physiologia ostendit, et experientia pathologica confirmat.

Tertii illius, quod descripsi, symptomatis, epilepsiae quidem, rationem et originem declarare non possum, quum symptoma illud oriri posse e diversissimis cerebri affectionibus, anatomia pathologica doceat.

Quamobrem ex omnibus symptomatibus, quae descripsi, judicans, — e modo etiam, quo dolores capitis, totam verticem opprimentes, percipiuntur, ex eo denique, quod opticus in anteriore, vagi regio autem in posteriore cerebri parte affecta esse videtur, — affectionem e parte ipsius cerebri circumscripta profectam esse, non puto. Attamen partem majorem ipsius cerebri arreptam non esse, ex eo cernitur, quod et sensorium normale invenitur, et neque motilitatis, neque sensus perturbationes majores percipiuntur. — Involucra ergo cerebri morbo quodam affecta esse, fere suspicor, quamquam, id quod negari non potest, symptomata quaedam desunt, quae in involucrorum morbis alias saepe percipiuntur. Morbos igitur varios et diversos et involucrorum et ipsius cerebri, quibus symptomatum singulorum quidem origo declarari possit, non respiciens, quum conjecturas proponam necesse sit, quibus declarari nihil possit, — illud ad verisimilitudinem fere accedere, constituo, involucra cerebri vel inflammatione lenta chronica, vel exiguo gradu oedemate, vel aliqua aliarum omnium mutationum, quae ex inflammatione chronica oriri possint, affecta esse. Ventriculos quoque exiguo fortasse gradu humore extensos esse, fere suspicor, quum, involucris affectis, ventriculorum humor auctus non admodum raro cernatur, et totus aegrotae habitus a sententia illa non valde abhorreat.

Attamen ipsam diagnosin incertissimam esse non nego, quum saepissime in cerebri affectionibus, etiamsi symptomata multo magis perspicua apparent, quam in casu nostro, necroscopia ostendat, nos in morbis cerebri cognoscendis persaepe summo errore ductos esse.

Prognosis certe dubia constituenda est. Affectiones enim intra calvariam, quae per annos jam affuerint et symptomatibus gravioribus, ut epilepsiâ, in aspectum venerint, semper prognosin dubiam, atque infaustam fere praebere, satis compertum habemus. Attamen haud dubito quin therapia multum valeat, qua quidem apte instituta et per longum temporis spatium adhibita, symptomata illa in meliorem statum mutari posse, mihi persuasum habeo. Atque integram aegrotae constitutionem et validam corporis conformationem in curando morbo magni esse momenti, puto.

Quod spectat ad therapiam instituendam, aptissima, ut mihi quidem videtur, remedia ordinata sunt, quorum frictiones linteo in aquam frigidam immerso commemoro, atque pilulas aloeticas et alvum et menostasiam respicientes. Illa autem remedia per longum tempus adhibenda esse, et iis alia apte adjungi posse, si symptomata illa

Digitized by Google

perdurent, existimo. Derivationem enim vel fontanella institutam, vel setaceo, multum in morbis cerebri chronicis valere, constat.

Illâ autem therapiâ, per longum temporis spatium adhibita, nisi morbus in meliorem statum mutatur, sed potius symptomata augentur, prognosis, ut mihi quidem videtur infaustissima apparet. Attamen remedia illa tum adhibenda sunt, quae in curanda epilepsia probata ducuntur, quorum argentum nitricum, et zinci praeparata commemoro, quae multum valuisse dicuntur.

THESES.

1) E bronchitide chronica tuberculosis pulmonum nunquam oritur.

2) Venaesectio in pneumonia sananda rejicienda.

3) In vulneribus sclopetariis articulationem genu aperientibus, amputatio femoris instituenda.

4) Epicystotomia in infantibus lithotomiae urethro-prostaticae praeferenda.

Digitized by Google

Digitized by Google

1856. VII.
MEDIC. IX.

DE CRANIOTABE

CUM

HYPERTROPHIA GLANDULAE THYMI CONIUNCTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

PETRUS HENRICUS TOBIES

FRIEDRICHSTADIENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVI.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *E. F. Goetz*,
h. t. Decanus.

Digitized by Google

Quod cranii tegumentum in infantibus tabescat — craniotabem infantum vocant — morbus est, cujus memoriam apud superioris saeculi scriptores et vel ad medium hoc undevicesimum frustra quaesieris. Neque auctoribus quamvis celeberrimis et accurata rerum observatione spectatissimis, qui ante haec bina decennia de cranii tegumenti deformitatibus morbisve, quibus hoc per primos aetatis annos obnoxium, exposuerunt, de hoc morbo quidquam videtur innotuisse.

Primus qui de perspicuis duobus molliti occipitis casibus publice professus est, H. Elsaesser fuit in dissertatione inaugurali Tubingae MDCCCXXXVII edita. Qui etsi sectione demum instituta hoc morbi genus cognoverit, utilem tamen ac laudabilem praestitit operam, praesertim quum additis exactissimis morborum historiis certiores fiamus de symptomatis, quae etiam in vivis adhuc cum hac anomalia juncta appareant. Sed majorem adeo laudem in explicanda hujus morbi natura meritus est illius frater Dr. C. L. Elsaesser monographia.*) Nam etiamsi de subtiliore illa sua anatomia pathologica de que ratione affinitatis, quam huic morbo cum aliis, velut scrophulosi et rhachitide, intercedere opinatus est, vix ei omnino adsentiare, ea tamen certissima ejus sonstabit laus, ut plena ac perfecta craniotabis quasi imagine luculenta descriptione proposita primus propinaverit viris medicis morbi usque eo plane ignoti neque vero raro obvii notitiam. Quin monographia illa Elsaesseriana, quae antea de convulsionibus et primae dentionis morbis temerariae circumferebantur opiniones, primum certioribus fundamentis substructae sunt, tenebraeque ab infantum morbis aliquanto dimotae. Jam post C. L. Elsaesserum alii nonnulli auctores de craniotabe accuratius disquisiverunt et quae sibi visi sunt observasse publici juris fecerunt. Ex quorum numero hi potissimum erunt nominandi: Kapffius et Hauffius (*Archiv für physiologische Heilkunde*); Böckerus**), is qui salutarem inprimis calcariae phosphoricae adversus craniotabem vim therapeuticam laudibus effert, qua in infantibus ea tabe affectis usum se prosperrimum in casibus plerisque omnibus successum observasse

*) C. L. Elsaesser, „*der weiche Hinterkopf.*“ *Stuttgart und Tübingen* 1843.

**) *Beiträge zur Heilkunde. Crefeld* 1849. *Bd.* 1. *pag.* 140.

Digitized by Google

testatur. Deinde Dr. Bruns quoque in libro qui inscriptus est „*Handbuch für practische Chirurgie, spec. Theil,* 1. *Abtheilung, pag.* 510“ praeclaram dedit eamque suis ipsius observationibus fultam dissertationem. Brevius rem adtigerunt, Gaedechens in *(Zeitschrift für gesammte Medicin, Hamb.* 1849, *Bd. I. pag.* 437) et Splenglerus in „*deutsche Klinik, Berlin* 1852, *pag.* 29.“ R. Virchovius denique est meritus, quod in dissertatione*) propriis iisque microscopicis inprimis experimentis innixus demonstraverit, craniotabem ad processum rhachiticum non solum propinquitate quadam sed ipsa fere analogia pertinere. Compertum nimirum est ipsi, easdem in craniotabe occurrere cranii mutationes, quales in ceteris ossibus rhachitide infectis obviae agnoscantur, neque unquam incedere revera craniotabem, nisi si una in ceteris corporis partibus rhachitidis vestigia appareant.

Mihi quoque benigna aliorum voluntate contigit, ut duo mihi craniotabis casus innotuerint, qui in hac nostra litterarum sede observati sunt, in altero etiam sectioni interesse mihi licuit. Uterque casus manifestissimus eoque adeo insignis, quod et sectione satis gravis glandulae thymi hypertrophia est cognita, et omnia asthamatis thymi symptomata vivis adhuc infantibus apparuerant. Quare postquam de craniotabe nonnulla praemisero, infra de iis exponam.

Craniotabes etsi in plerisque, tamen non omnibus in casibus, quae C. L. Elsaesseri fuit sententia, occiput et posteriores parietalium ossium margines invadit, potest enim, ut Virchovius observat, anterius quoque cranii segmentum et ipsa adeo basis cranii hac tabe infici. Idem etiam praeparati meminit, cujus non solum in occipite sed etiam in planis ossis frontis orbitalibus membranosa intervalla manifesto appareant. Creberrima tamen hujus tabis in occipite sedes, et prout plus minusve adoleverit latius angustiusve ipsa diffusa. Ossa tum in partibus infectis majorem mollitiam produnt, digito imprimenti facile cedunt, quin interdum omni carent ossium substantia. Fontanellae, maxima praecipue, in craniis tali modo affectis inveniuntur laxae satisque adhuc latae, et quamvis conclusionem nostro morbo haud turbari opinatus sit Elsaesserus, suturae plerumque etiam nunc non clausae, etsi justo naturae processu hoc tempore, quum craniotabes tantum non semper post impletum demum primi aetatis anni dimidium ingruat, vix debeant loco suo moveri posse. Jam si fuere, qui auctores exstiterint, cranii hac tabe affecti mensuram justa semper latiorem esse, eorum sententia neque casibus tringinta uno ab Elsaessero descriptis neque iis, de quibus mihi mox exponendum erit, confirmatur, quare equidem in hunc potius modum profiteri velim, ut nunquam in craniotabe cranii mensuram constanti modo immutari contendam. Sin autem acciderit, ut tale cranium majorem prae se ferat ambitum, tum proniores erimus in suspicionem hydrocephalum simul adesse, praesertim quum adultiore jam hydrocephalo molliores quoque in cranio loci haud raro reperiantur.

*) *Archiv für pathologische Anatomie und Physiologie. Bd. V. Heft* 1.

Digitized by Google

Sed aeque minus raro, quam diametrum cranii aut in longitudinem aut in latitudinem justo majorem invenimus, hoc quoque accidit, ut angustiores, quam pro aetate infantis exspectandum fuit, mensurae sese praebeant. Quod igitur obiter intuenti cranium hac tabe affectum potissimum in oculos incurrat ut hoc ipso morbo mutatum et vitiatum non est, nisi ipsa illa cranii ossium mollitia atque laxitas. Quodsi etiam in tali cranio anterius segmentum succulentius accurat atque mollius, hoc non putandum est nostra tabe effectum esse, neque horum ossium, ut infra videbimus, eadem est ratio anatomica, atque segmenti posterioris, in quo ipso fere solo eo usque progreditur tabes, ut verae et quae omni ossium substantia careant lacunae exsistant. Facillime ejusmodi mollita ossa forfice aut cultro persecantur, quum normali obtinente ratione hoc in semestribus jam infantibus satis difficulter fiat. Neque vero per omnem ejus ambitum os occipitis hanc prae se fert abnormem mollitiam, neque quamvis latissime serpserit tabes, universa consumta est ossium substantia, sed semper tubera, loci illi, unde procedit ossificatio, libera a morbo nostro relinquuntur; et quae quam maxime affectae sunt partes, potissimum in regionibus utique spongioribus et in ea quidem prae ceteris, quae supra protuberantiam externam in utraque suturae lambdoideae latere sita est, inveniuntur. Quodsi nunc ad accuratiorem cranii tabe infecti explorationem anatomicam nosconvertamus, haec fere erunt proponenda.

Capilli in semestribus infantibus rari tantum succrescunt, neque tamen ea raritate, qua in craniotabe. Quae si adest, tum de calvitie tantum loqui restat; nam plerumque, et praesertim si aliquanto jam inoleverit tabes, difficile est in occipite vel singulos capillos investigare. Quare si infantes quibus desunt capilli curae nostrae mandati erunt, pro explorato fere habebimus, mollitos quoque in eorum occipite locos nos reperturos esse.

Jam vero si cranii mensuras auctas non reperimus, eadem formae quoque est ratio, ut quae craniotabe nulla in parte aut promoveri aut reprimi videatur; neque nisi singuli casus innotuerunt, in quibus quum os frontale fuerit promotum, aequa vice posterius segmentum in planitiem repressum observatum sit. Sed fere semper in cranio hac tabe vastato anterius segmentum invenimus ponderosius, succulentius, tumidius, quum posterius, si tubera exceperis, quae fibrosam semper retinent ossium structuram, sensim ossium substantia tabe nostra privari possit.

Jam Elsaesserus craniotabem eam nominavit rhachitidis formam, quae infantiae sit propria; omnesque qui postea hac de re egerunt, et inter eos Virchovius, propriis adeo adjuti experimentis huic sententiae in universum accesserunt, neque eam, ut antea factum est, malaciam existimarunt esse. Nihilo secius tamen, praeterquam quod craniotabes nunquam omnes cranii partes invadit, alia praeterea nonnulla discrimina, quibus a vulgari rhachitide differat, procedente disquisitione nostra obvia habebimus.

Digitized by Google

Quod vero ad rhachitici processus analogiam decurrat craniotabes, id praeter rhachiticas istas, quae eodem fere tempore adesse solent, incurvationes, velut pectus carinatum, lordosis, cyphosis, praecipue pathologicus in ipsis cranii ossibus processus testatur. In morbo enim nostro enormis quoque copia elementorum ossium recens natorum occurrit, quae inde a periosteo oriunda nullo modo apparent ad ossificationem inclinantia. In posterioribus inprimis parietalium ossium marginibus et in occipite, quae et creberrime et vehementissime tabe nostra affici jam monuimus, invenimus prope infra periosteum eorum straturam in complurium linearum crassitudinem extentam, mollem, areolarum in modum formatam, sat vehementer rubescentem, quae in radiorum modum se continuat et dilabitur per pallidiorem et ossificatione jam compactiorem straturam, et Virchovio auctore „*Archiv*, 5. *Band*, 4. *Heft*“ eandem prorsus, quam recentis in rhachiticis ossibus tubulosis processus exuberationis, structuram prae se fert. Hic enim pariter atque illic, quae ad ipsum periosteum prope pertinent partes, omni calce orbae apparent, contra quo propriores quaeque compactiori illi atque interiori straturae, eo solidiorem magisque ostoideam structuram ostendunt. Suturarum quoque craniotabici cranii eadem fere est ratio, quae epiphysium in ossibus rhachitide affectis, sunt enim justo laxiores, latiores, crassiores, neque procedit in iis ossificatio nisi tardissime et minime constanter. Fontanellarum eadem est conditio, neque in his neque in suturis Virchovius unquam animadvertit praecedentem ei, quae deinceps insequitur, ossificatione cartilaginum conformationem.

Jam si cranium tabe affectum intus exploramus, aliud nobis occurrit a rhachitide discrimen. Nemo enim praeter unum Brunsium „*Handbuch praktischer Chirurgie pag.* 512“ animadvertit, in interiore quoque cranii superficie recentes ossium exuberationes adesse, quae si adsunt secundum Virchovium resorptionis modo stratura sunt cranii pondere effecta. Sed durae matris potius in hoc processu nullae fere sunt partes, et facillime ista patitur a subsequente, ossea, interiore tabula se distrahi. Insignes tamen et mire conspicuae in talibus craniis, quae cerebri flexibus et incurvationibus respondeant, impressiones sunt atque exaggerationes, et in ipso harum impressionum fundo adultiore jam tabe tenuissimas agnoscimus partes, quibus omnis omnino jam deest ossium materia; recentiore vero adhuc tabe ossa haud mutata, et externa internaque tabula diploë sat manifesto discretae apparent. Haec in imo potissimum impressionis fundo notabilis attenuatio sensim sensimque procedit, donec usque in cutaneas illas, de quibus jam monuimus, intermissiones adolescit, quae plerumque dimidio tantum digiti sed paribus semper intervallis a sutura lambdoidea distant, et in posteriore ossis parietalis angulo, rarissime vero in tuberibus et in anteriore cranii segmento occurrunt. Forma atque magnitudo harum lacunarum parum sibi constans est, vix unquum tamen putaverim eas grossi argentei ambitum excedere. Digito vel levissime imprimenti cedunt hi loci et optime utique in comparationem vocavit Dr. C. L. Elsaesserus vesicae suis inflatae compressionem. In externa cranii super-

Digitized by Google

ficie hae lacunae ad libram circumjacentium extenduntur, et in ipsis adeo his locis facile se distrahi patitur dura mater, periosteon contra firmissime inhaeret neque nisi secum abstracta intersita substantia se solvi patitur. Ab C. L. Elsaesero, secundum cujus sententiam in casibus evidentissimis, ubi lacunae exstiterint, dura mater et periosteon ipsa se adtingunt invicem, dissentiens Virchovius contendit, semper adhuc teneram quandam ostoideam substantiam interesse, quae quidem non tabulas ostendat diploë discretas internam ab externa, sed diploen tamen postea atque absorpta interiore tabulam ossificatam. Sine ulla autem dubitatione de resorptione, quae tertium est atque gravissimum inter rhachitidem et craniotabem discrimen, sententiae nos accedere profitemur ab Elsaessero primum propositae, qui quod sensim adteratur ossium substantia, id continuo cranii illa aetate fortissime increscentis compressu effici declaravit. Analogam prorsus consumptionis rationem glandulae, quas Pachionicas vulgo vocant, in craniis adultorum hominum prae se ferunt. Nam in hoc quoque processu os satis gravem chemicae suae compositionis mutationem patitur, ut quod terrenorum elementorum denas fere vel duodenas a centenis partes perdat, organicorum vero nullam fere subeat mutationem. Schlossbergerus scilicet*) demonstravit ossium materiam, quum in normali infantis cranio 63% fere terrenorum salium phosphoricorum contineat, craniotabe attritam eorum 53—51%, taetum retinere, quin in partibus quam maxime fungosis et spongiosis usque ad 43—40% deminui.

Quodsi nunc jam retro conversi, quas in craniotabe reperimus, pathologicas cranii mutationes respicimus, simulque recordamur exuberationum a periosteo oriundarum neque vero firmiter inhaerentium, conditionis deinde in formato jam osse hyperaemicae et suculentae, deficientium denique teste Schlossbergero in hisce partibus phosphoricorum salium terrenorum, optimo jure profecto inter rhachiticos possumus recensere hunc processum, qui in retardatione ossificationis versatur, et cui socia accedit interioris tabulae consumptio, compressa cranii effecta.

Quod a Guérino propositum alii saepius jam reprobarunt auctores, migrare scilicet rhachitidem ab imo sursum, id ulterius adeo jam labefactatum est. C. L. Elsaesser enim in magno infantum curae suae mandatorum numero vix ullum antequam incesserat craniotabes alia quadam rhachitide affectum invenit.

Praeter pathologicas et anatomicas, quas jam memoravimus, mutationes aliae sibi constantes mutationes pathologicae, quae quidem inde ex hoc processu penderent, neque in cranio neque in ceteris corporis partibus animadversae aut memoriae traditae sunt, modo exceperis exiguum piae matris oedema paucillamque hyperaemiam venosam. Id quidem infitiandum non est nunquam fere deesse documenta, quibus antecessisse respirationis viarum, telae pulmonalis, intestinorum inflammationes probetur, nam semper fere craniotabi respirationis viarum vel intestinorum catarrhus comes

*) *Archiv für physiologische Heilkunde* 1849. *Bd.* 8. *pag.* 69.

Digitized by Google

incedit. Neque in craniotabe, quod in rhachitide alioquin saepe fieri solet, aucta splen et hepar nisi raro apparent, contra glandulae thymi hypertrophia aniomalia est in craniotabicorum infantum sectione saepius obvia. Sic C. L. Elsaesserus in casibus, de quibus retulit, sexto decimo et vicesimo sexto praeter cranii lacunas ex processu craniotabico ortas thymum hypertrophia satis graviter infectum sectione exploravit; et pari modo, de qua infra ego exponam, duorum casuum sectione tantus thymus cognitus est, ut non solum cor, sed utriusque etiam pulmonis dimidiam partem prorsus fere obtegeret. In ipsis illis complicitis casibus gravia et dyspnoica et apnoica signa incedunt, quibus cum asthmate thymico vel Koppico summa similitudo intercedit, et quae difficile est dictu quatenus ad craniotabem vel ad hypertrophiam glandulae thymi pertineant.

AETIOLOGIA CRANIOTABIS.

Ex iis, quae Elsaesserus, Virchovius, Boeckerius de hoc morbo multifariam observata tradiderunt, jam manifestum esse videtur, eum summopere in alimentorum receptione parum sufficiente inniti, praesertim si in alimentis defecerint phosphata terrena, aut si ipsa turbata digestione vel mutata sanguinis mixtione contra justam normam sint permutata. Microscopicis enim experimentis probatum est, procedente, si sanatio incederit, ossificatione strata a periosteo jam deducta nullas antehac mutationes subire; unde consequitur rem nobis non esse cum morbo, qui ipsam ossium telam afficiat. Certo autem gravissima morbi nostri causa in eo agnoscenda est, quod calcar. phosphor. vel carbon. aut parum subrectum aut nimium exportatum fuerit, id quod varia analysi a Boeckerio est demonstratum, qui in lacte, qua infantes tales craniotabici alebantur, normalis phosphatorum terrenorum copiae vix dimidiam partem indagavit, et prosperrimo cum successu salibus calcariis rem curavit. Sed ut sint alimenta pro aetate infantis sufficientia, fieri tamen potest, non solum ut innata corporis imbecillitate turbata jam sit nutritio, sed haec imbecillitas etiam comparari potest pulmonum vel intestinorum catarrhis saepissime craniotabi antecendentibus et praecipue corrupto in cubiculo aëre, cujus perniciosissimam vim tantopere detestatur Elsaesserus, eoque alimentorum permutatio anomala fieri potest. Neque enim raro unius ejusdemque familiae, quae domicilio utitur malo atque humido, cunctos liberos craniotabe laborantes invenimus. Qua vero de causa ipsis his, quas recensuimus, nutritionis perturbationibus hic in ossibus et prae ceteris in cranio processus progignatur, atque nihilo minus infantibus sat multis eadem conditione degentibus parcat, et quomodo hae anomalia afficiatur ossificatio, usque adhuc crassis tenebris circumfusum jacet; etsi quod cranium arripiatur, ejus rei causa validius eo tempore cranii incrementum esse possit.

Digitized by Google

SYMPTOMATOLOGIA.

Aspectus craniotabicorum infantum etsi plerumque tamen non semper est cachecticus atque aeger, interdum enim ei ipsi, qui robustissimi et optime curati videri possunt, arripiuntur. Neque, incurvationes quas jam memoravimus, rhachiticae, digestio turbata, alvus inflata, dentitio retardata singularia quaedam ac propria signa praebent. Nam nonnullis in casibus omnia plane absunt symptomata. Contra praecipuum semper craniotabis signum pathognomicum cranii ossium, quae tactu sentiri potest, mollitia erit ac flexibilitas. Adultiore jam et manifestiore tabe facile animadvertitur hic illic omnem ossium substantiam deesse, qui loci manu compressi crepitant eodemque sensu, quo inflata suis vesica, perstringuntur. Quodsi acrius comprimitur cerebrum tegumento suo privatum, id quod dum supini recubant infantes saepissime fit, tum assidua molestiarum capite perceptarum signa produntur. Huc pertinent talium infantum trepidatio maxime sollicita, excitationes ex somno crebrae atque subitae, timiditas vel levissimo strebitu anxia, ploratio misera, capitis in pulvinos depressio fere perpetua; contra infans si haud compresso occipite brachiis elevetur, vix ullum malae valetudinis signum apparebit. Dentitio quoque vulgo retardatur hoc modo, et si quando dens perruperit, in deterius plerumque processus vertet. Rariora, quam quae modo enumeravimus, symptomata jam ingruunt interdum spasmorum impetus, qui sive breviores sive longiores oris, dorsi, membrorum musculos contrahunt, atque saepius secum una adducunt respirationis turbas, quae acuta ac sibilante exspiratione occipiunt, et quarum finis postea insecuta per intervalla atque aegre perfecta inspiratione indicatur. Perpessus talem impetum infans jam per brevius aut longius tempus nova exacerbatione vacuus manere potest. Ingruunt vero hi spasmi clonici seu tonici, qui cum respirationis turbis saepissime compliciti in summam asthmatis Koppiei similitudinem abeunt, modo quam maxime varia; secundum Elsaesserum enim, qui dimidiam fere infantum craniotabicorum partem inde a sexto usque ad nonum aetatis mensem correptam expertus est, subinde unus tantum ejusmodi impetus invasit, eoque ipso statim infans asphyxiae signa prae se ferens oppressus est, alias impetus duarum vel quatuor demum hebdomadum demum intervallo denuo incessit; nonnunquam, quoties ex sómno expergefacti sunt infantes, quin immo uno eodemque die octonos et vel vicenos tales leviorum spasmorum impetus cum impedita respiratione conjunctos expertus est. Nihilo secius tamen vel ex horum numero sanati sunt quidam.

DECURSUS. DIUTURNITAS. EXITUS.

Quamquam nonnulli, in quorum numero est Boeckerus, foetalem jam aut statim post partum ingruentem craniotabem probant, creberrime tamen utique, id quod plurimis experimentis compertum est Elsaessero, exeunte demum primo aetatis semestri subrepit; raro altero semestri aut finito adeo primo aetatis anno. Raro sive salute

Digitized by Google

recuperata desiit sive mortem induxit, in alterum annum perdurat. Mors plerumque varias illas, de quibus alibi monuimus, craniotabis complicationes proxime subsequitur.

DIAGNOSIS ET PROGNOSIS.

Adesse craniotabem pro certo non nisi sola palpatione confirmari potest, qua molle atque lacunosum cranium cognosci licet et facillime quidem ab innata illa, qui unus est ipsi similis morbus, cranii mollitie discerni potest, eo scilicet, quod exploretur, num antea firmum fuerit cranium. Craniotabes si ineunte processu et bona aliaquin valetudine et universa conditione medicae curae traditur, tum prognosis sine ulla dubitatione prospera proponenda erit. Contra si manifestior jam inoleverit tabes, si domicilio tales infantes attinentur humili atque humido, etiamsi cura diligentissima et nutritione convenientissima foveantur, prognosis est tristis; et Elsaessero computante hi plus quam dimidio morti obnoxii. Craniotabis cura id potissimum agendum est, ut e quibus est orta aut per quas est adaucta, res tollantur, et deinceps ut perturbationes jam ortae ratione maximam partem diaetetica tantum explicentur. Ante omnia igitur cavendum est, ut aër integer sit atque recens, ut ex humilibus humidisque domiciliis deducantur infantes, ne temperaturae aut calidiori aut frigidiori repente exponantur, ne nimiis et ponderosioribus tegumentis caput obvolvatur. Omnibus enim his rebus quum universum infantis incrementum tum ossium maxime impediri inter omnes auctores convenit. Quae si dimota sunt mala — dimoveri autem non sine difficultate saepe ab hominibus pauperibus, quorum soli fere craniotabe invaduntur infantes, dolendum est — sique praeterea munditiae justa ratio habita est, tum victus praescribendus est simplex, aequalis, lactis inprimis modo ne pinguioris sufficiens copia — maternum incorruptum lac semper maxime congruens — subinde coffeae querneae potus et primo aetatis semestri superato coctis carnibus jus dilutius praeberi potest. Medicamentorum usus coercenda neque adhibenda, nisi quae aut ossium processum adjuvent specifica, aut alvi solutionem talibus in infantibus plerumque perturbatam in ordinem redigant; cujusmodi: ab Elsaessero primum praedicata vulgantur: Ferrum oxydulatum nigr. vel Ferr. carbon. gr. I.—V. ter quotidie junctum cum Extr. aloes aq. gr. $\frac{1}{8}$ vel calcaria phosphorica et carbonica. An vero calcaria phosphorica ita utiliter adjuvetur hic processus, quemadmodum Boeckerus opinatus est, id quidem adhuc magnopere possit dubitari, novissimis enim experimentis cognitum est, eam omnino non assimilari, sed acidam solam calcariam phosphoricam. Quodsi hujusmodi diaeta instituta et hisce medicamentis res curata fuerit, tum optimum plerumque omnes auctores successum praedicant, praesertim si corroborantia accederint balnea caute suggesta, quorum quae cortice quercus comparata sunt commendat Elsaesserus. Hanc inter curam quantum fieri potest cavendum est, ne supini recubent infantes; et quo evitetur occipitis compressio, ex re erit, in pulvino pilo equino laxe farto cavum rotundum efficerent latera tantum capitis recubans infans premat. Adversus crebras illas inflammatorias hujus morbi

Digitized by Google

complicationes Elsaessero auctore apta utendum est antiphlogistica cura; adversus incidentes spasmos praeter antispastica calomel remediaque derivativa adhibita sunt, neque tamen eorum usus successu magnopere probatur. Jam quum haec de craniotabe exposuerim licitum mihi sit, ut, qui mihi benigne sunt communicati, craniotabis casus cum hypertrophia glandulae thymi junctos enarrem.

PRIMA MORBI HISTORIA.

Anamnesis. A. B. septem menses natus, quintus unius ejusdem familiae pauperis atque in angusto humidoque domicilio vitam degentis infans, quorum quatuor jam inter asthmatis Koppici symptomata mortui. Maximorum natu duorum infantum corpora sectione non explorata, alterorum duorum sectione gravis thymi hypertrophia cognita, minimus natu intussusceptione periit. A. B. quintus infans, inde a partu corpore bene curato constanter tamen eandem prae se tulit speciem, quam ceteri antea intermortui liberi, velut oculos facile lacrimis suffusos, et qui ex cavis suis prominerent, faciem plerumque rubescentem et plethoricam, collum breve atque crassum, venas cervicales plerumque tumidas. Professor Weberus primum exploravit infantem; specie invenit bene valentem, donec tussis incedit in pertussis similitudinem increscens paucasque post hebdomades evanescit. Inter hunc morbum a medico qui jam grandiores capitis mensuras miratus est, dum allevat caput craniotabem adesse cognitum. Cranii mollitia chartae densatae assimilis per totum fere occiput diffusa. Cranium sentitur quasi elasticum et hic illic in tantum digito imprimenti cedit, ut aliquandiu fovea remaneat. Infans postquam pertussim superavit die incedente aestivo in apertum a parentibus prolatus subito intercluso spiritu laborat, et rursus parentibus testibus asthmatis Koppici signa prae se ferens et ipsa statim morte absumitur.

Sectio. Cranium prae ceteris corporis mensuris grande, rotundum quam maxime, osse frontis prominente, et fontanella maxima late patente. Ossa posterioris dimidii cranii vehementer rubescentia, et tam tenera, ut impressi digiti facile in plerisque locis appareant vestigia, quae crepitu quodam rursus evanescunt. Posteriora ossis parietalis dimidia insigniter jam attenuata nonnullas adeo exiguas ossium lacunas ostendunt. Os occipitis pariter attenuatum, neque tamen tantopere, atque posterius ossium parietalium dimidium. Os frontis et anterius ossium parietalium dimidium justa crassitutine et soliditate. Sub pia matre satis hyperaemica nonnihil adest seri pellucidi. Ipsum cerebrum humidum et sanguinolentum. In cerebri ventriculis paucae tantum liquoris guttae. Plexus chorioideus subruber. Cavum pectoris: Remoto thorace et maxima cartilaginum costalium parte sola fere thymi glandula mirum in modum aucta ante oculos est, quae prope ad diaphragma deorsum pertinens in latera quoque tam late extenditur, ut anteriores pulmonis partes abstracto demum nonnihil pectoris pariete appareant. Thymus si modice aestimaris, triplo mensuram, qua post partum esse solet, excedit. Tela cellulosa in eo hyperaemica. Ipsum organum palli-

Digitized by Google

dum, subrufum. Microscopica exploratione nulla, quae a normali structura decedat, discrepantia cognita. Dextrum cor sanguine extentum grandes continet atque atras sanguinis coagulationes. Pulmones ubique sueta, in posterioribus lobulis uberiore adeo sanguinis copia repleti; id quod resupina cubatione effectum. Ventris organa integra. —

HISTORIA MORBI ALTERA.

Puer Moltkius, quatuor menses natus, in vili atque humida pauperum parentum taberna degens, ante jam ob diarrhoeas policlinica cura refectus, nocte inter undecimum mensis Novembris anni MDCCCLV diem intercedente subito intercluso spiritu laborare coepit. Puer per dies proxime antecedentes bene valens ultimo adhuc vespere mammam duxerat nullaque ostenderat ullius morbi signa. Alvus tantum ultimo tempore nonnihil astricta fuerat. Inter noctem expergefactus pater raucam audit infantis respirationem. Subinde spiritus intercluditur, facies livescit, brachia palpitant. Dum medicus vocatus advenit evomito lacte caseato quietior factus erat. Puer corpore bene curatus, pro aetate robustus et grandis, visu aspectuque bene valens, ventre obesissimo. Pulsus frequentissimus. Larynx non dolens, in pulmonibus normalis ubique et vesicularis respiratio minimo cum crepitu audiebatur. Glandulae cervicales nihil intumuerant, respiratio normalis neque strepitu qui in angina membranacea adesse solet, perturbata. Auscultante vero adhuc medico subito per tempris aliquot momenta interclusus spiritus, infans trepidare coepit, facies cyaneo colore obducta, dein insecuta longa inspiratione per aliquod rursus tempus celeris quidem sed justa respiratio. Sic parvis temporis intervallis iterata res, et magis magisque sollicitatus est infans. Percusso thorace in sterno inde a manubrii statu deorsum usque ad tertiam fere seu quartam costam exilior justo sonus, isque sinistrorsum latius quam dextrorsum pertinens. Excrementis ejectis mucosis atque liquidis et insecuto deinceps vomitu spontaneo, explicatis quoque ad pedes derivantibus cessarunt impetus, requievit infans, et spiritum duxit minus acceleratum.

Referente matre haec comperta: infans inde a prima aetate spiritus angustiis laborans iterum atque iterum intercluso per breve tempus spiritu vexatus erat; id quod tum potissimum factum, si ex uberiore aliquando matris mamma lac duxerat. Nunquam vero tam vehementes ac diuturni incesserant impetus, quam nunc. Germani duo antea mortui (alter spasmis, alter pertussi et subsecuta, tuberculosi ut videtur, interierat) pariter traduntur impedito spiritu fuisse similiterque subinde etsi multo minus vehementer vexati esse. Viva adhuc soror etsi et ipsa angusto spiritu usa nunquam tamen his vexationibus obnoxia fuit.

Hisce motus momentis anamnesticis, simul reputans interclusi spiritus casuum genus et exilem percussionis sonum, medicus Dr. Ritterus diagnosi proposuit: asthma thymicum. Quintiore infante et cessante malorum impetu nil amplius adhibitum.

Digitized by Google

Eodem statu usque ad septimam matutinam horam degit infans perque complures horas integer valuit. Sed tum denuo leviter primum tentatus, mox sub nonam horam acrius vexatus, denique spasmis, primum unum deinutrumque latus occupantibus, invasus, nona et dimidia hora inter suffocationis signa et spasmos obiit.

Sectio viginti octo horas post mortem 13mo Novembris die instituta. Corpus bene curatum. Lividae mortis maculae per totum dorsum et superiores extremitatum partes diffusae. Rigor mortis adest. Anticrura vara. Pituitae stratum uberius. Musculorum caro rubra.

Cavum cranii. Per capitis tegumenta occiput et posteriores ossium parietalium partes persentiuntur in chartae densatae modum mollia, ceduntque illa compressui. Cranii ossa in locis mollissimis magis quam in ceteris hyperaemica; fines inter integram et dissolutam ossium substantiam satis distincti. Sinus longitudinalis satis sanguine vacuus; sinus transversus liquidi sanguinis satis continens. Superficies cerebri nec non tenerae ejus cutes normales. Exiguum seri infra arachnoideam. In lateralibus ventriculis justa tantum seri copia. Ipsius cerebri massa satis et humida et sanguinolenta.

Cavum pectoris. Oris cavum normale. In oesophago singula alba edita loca; pariter in membrana pituitaria, similia ista tumidis intestinorum folliculis. Aperto thorace anterius cordis planum exiguo spatio infra relicto partim a thymo hypertrophia extenso, partim a pulmonibus obtectum. Thymi partes maxime extensae dextrorsum tribus quartis fere digiti infra obtegentem ipsas pulmonis marginem jacent, sinistrorsum paulo minus profundae eaeque superne potissimum hypertrophicae. Thymus usque ad thyreoidei glandulam pertinet, et superne in dextra parte apicem habet parvulum atque acutum, in sinistra retusus desinit. Dextrorsum pars superior prope ad vertebrarum columnam accedit. Membrana bronchiorum mucosa, nisi quod paullisper rubescat, plane normalis; pariter glandulae bronchiales. Nec non pulmonum optima conditio. In pericardio ½ uncia seri. Dextrum atrium et vena cava dextra sanguine vehementer extensa. Dextrum atrium praeter sanguinis etiam fibrini coagulationes continet; in dextro ventriculo sanguinis solae. Arteria pulmonalis libera. Cordis valvulae et aorta normales. Grandes cervicis venae sanguine fortiter extensae.

Cavum ventris. Folliculi intestini crassi, vehementer tumidi et in nonnullorum vicinitate membrana mucosa subfusca. Pari modo intestini tenuis folliculi et Peyerii tumidi et ex parte in catinorum modum excavati. Intumescentia sursum decrescit et in superiore intestini tenuis parte desinit. In duodeno folliculi solitarii non tumidi. Ureteres normales. Uterque ren, secundarius fortiter, imminutus. In sinistri renis superficie hyperaemia striata. Parenchyma normale. Dexter ren justam continens sanguinis copiam, etiam in superficie. Uterque ren pro corporis mensura parvus. Vesica urinaria vacans. Membrana mucosa sana. Jam etiamsi in primo, quem enarravimus, casu, quia per temporis brevitatem accuratius de re inquirere non licuit

Digitized by Google

advocato medico, simulque asthmatis Koppici symptomata omnem in se animum adverterunt, craniotabes vivo adhuc infante diagnosi non sit proposita, nihilominus tamen hisce casibus commode nos usuros existimarim ad illustrandam, quae de craniotabe est, doctrinam. Uterque enim casus in familia observatus est, cujus jam antea liberi inter eadem spasmorum et dyspnoeae signa morte occubuerant et bis sectione vehemens glandulae thymi hypertrophia cognita. Sane quoniam de illis parum accurate est traditum, neque cranium sectione exploratum, confitendum erit craniotabem una affuisse non constare; attamen affuisse, si quae antea recensuimus cum prioribus congrua symptomata in memoriam recovamus, verisimillimum fit. Itaque hisce quoque casibus probata est, quam Elsaesserus primus proposuit sententia, creberrime unius ejusdemque familiae liberos craniotabe invadi; quare alienum non erit suspicari, praeter insalubria domicilia parentum valetudinem dyscrasia qualicunque vitiatam causam existere morbi nostri satis gravem. Unde consequitur, ut quamvis pertinaciter perneget Elsaesserus, foetalem craniotabem non possimus non admittere. Qua de re semel monitus medicus, quum primum ei contigerit infans cranietabe laborans, haud negliget ceteros deinceps natos diligenter custodire, ut statim eos inde a primis diebus conveinenter curare eoque prae cavere possit, ne gravius inolescat processus rhachiticus. Non minus manifesto in utroque casu craniotabem processum mere rhachiticum neque ulla ex parte scrophulos in adgnoscimus. Nullo enim in cadavere tuberculi sectione cogniti sunt, neque glandularum cum cranii tegumento cohaerentium lymphaticarum tumores, qui si recte haberet, Th. Youngii, Schoenleinii, Neumanni sententia: rhachitidem esse ossium scrophulosin, haud quaquam abesse deberent. Quocirca satius erit suam facere Elsaesseri sententiam a Virchovio dein confirmatam, craniotabem scilicet tanquam rhachitici processus partem hactenusa scrophusi prorsus nus a alienam indicandam esse. Ante omnia vero denique, quae jam in vivis apparuere asthmatis thymici, et in mortuis utraque sectione cognita glandulae thymi hypertrophiae manifesta symptomata, ea litem denuo moverunt saepius jam agitatam. Nam etsi concesseris, quod normalis glandulae thymi metamorphosis regressiva retardetur, rhachiticum processum tantum non semper in causa esse — id quod optimo quidem jure concesseris, quoniam ut saepe observatum est eodem tempore, affectiones rhachiticae et hypertrophia glandulae thymi incidere solent, quemadmodum praeter Elsaesserum observavit Koppius*) — ea tamen restat quaestio, utrum e craniotabe an e thymi hypertrophia, quae inter utriusque infantis morbum inciderint, spastica et apnoica symptomata orta sint. Hi in nostro quoque utroque casu insigniores spasmi cum respirationis molestia juncti prorsus respondent symptomatis, qualia in asthmate thymico describuntur. Jam Koppius et qui eum sequuntur, si una adest craniotabes, in ipsa adaucta thymi glandula horum symptomatum originem videre sibi videntur, alii vero auctores et prae ceteris Elsaesserus ex cerebro tuto suo tigimine privato

*) *Denkwürdigkeiten in der ärztlichen Praxis. Bd.* I.

Digitized by Google

omnia haec symptomata derivare malunt, provocantes ii praecipue ad spasmorum paribus temporis intervallis recurrentes impetus. Ipse in hac palaestra parum adhuc sum exercitatus, quam ut confidenter rem dijudicare possim. Nihilosecius tamen in rem vocatis et aliorum sententiis et casibus a me enarratis, praesertim quum cerebrum ejusque cutes affecta esse tam raro observatum sit, in hunc modum profiteri velim, ut dicam: si laborent craniotabe infantes atque asthmaticis inprimis molestiis vexentur, originem mali si non semper in thymi hypertrophia, qua parenchyma densetur, attamen in pulmonum affectione, creberrima ista craniotabis comite, inesse. Eo enim circulationis perturbationes ingruunt, eaeque secum adducunt si non inflammationes, congestiones tamen paribus temporis intervallis incidentes, quae spasticis illis et dyspnoicis signis saepius jam memoratis manifestae fiunt.

THESES.

1) Chininum sulphuricum in febre intermittente vi specifica non est.

2) Resectio articuli genu rejicienda est.

3) Sunt casus, in quibus perforationem foetus vivi instituere licet.

4) Laryngotomia in angina membranacea est omnino rejicienda.

Digitized by Google

Digitized by Google

1856. VII.
MEDIC. X.

DE
OBTURATIONE TUBAE EUSTACHII.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

PETRUS CARSTENS

AUGUSTENBURGENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVI.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *W. F. G. Behn,*

h. t. Decanus.

Digitized by Google

Sensuum, quibus natura nos exornavit, sine dubio auditus nobilissimus atque praestantissimus haberi potest. Animi atque mentes nostrae deliciis praestabilissimis et maximis auribus afficiuntur. Conjunctio intima inter auditum et facultatem loquendi causa certe praestantissima fuit, ut homines animalia omnia viribus ingenii superarent. Potestatem enim dedit, ea, quae homines summis ingeniis praediti invenerunt, communi usui faciendi, atque majores artibus litterisque antecedendi, quam ob rem auditus inopia maxime mentis atque ingenii culturam impedit. Nullius autem partis pathologia magis est ignota, quam auditus, cujus morbi, quum tam variis ex partibus constituatur, certe multi et varii esse possunt. Itaque paralyses et laesiones nervi acustici, tam demonstratione anatomica, quam observatione surdorum, causa surditatis adnatae et acquisitae cognota est. De vitiis atque morbis nervi in organo Cortico atque ampullis progredientis omnia nobis adhuc desunt argumenta. De anomalia aquulae Cotunii unam tantum in Anglia factam observationem invenimus, ubi homo, cui auditus negatus et sermonis usus ablatus erat, ea carebat, cujus loco substantia caseo similis rsperiebatur. Anomaliae autem reliquae labyrinthi, earumque vires ad auditum, plane nobis adhuc ignotae sunt. Quo magis a labyrintho recedimus eo melius de hac re eruditi sumus. Ossiculis auditus amissis magis auditum impediri, quam laesa aut excisa membrana tympani, scimus. Noxas, quas ossicula auditus capere possunt, atque morbos, quibus cavum tympani et processus mastoideus afficiuntur, aliqua ex parte cognoscimus. Studiis et operis multorum virorum diligentium, postquam meatus auditorii externi, membranae tympani et tubae Eustachii accurata anatomiae atque physiologiae cognitio profecta est, magis magisque pervulgata et variam in partem exculta est pathologia etiam. Ad quas partes ars medicina maximam vim habet, quae in mitigandis turbationibus auditus, morbis harum partium effectis, jam saepe fructus honestissimos consequabatur. Commemoramus enim, quam feliciter saepe atque per opportune perforatio membranae tympani atque processus mastoidei processus mastoidei, variaeque operationes, ad faciendum pervium meatum auditorium

Digitized by Google

externum atque tubam Eustachii, evenerint. Neque possunt quin omnes hujusmodi operationes tam prosperae magnam admirationem moveant. Sed difficultas turbationes auditus, quae morbis harum partium efficiuntur, ab aliis insanabilibus discernendi tam magna est, ut doctissimi viri quum putarent de illis agi turbationibus sanandis, operationes a se inventas saepe frustra atque sine eventu adhibuerint, quum potius tractarent insanabiles illos morbos. Ita factum est, ut medici mox fiduciam in his operationibus collocatam amiserint, atque a progressibus jam factis recesserint, quin plurimi morbos auditus obscuros neque studiis dignos habuerint. Experientiae autem cognitionesque acquisitae tam egregiae sunt, ut in iis sine dubio fundamentum diligentius cognoscendorum morborum auditus eorumque tractationum situm sit, ita ut longius progredientes mox ad finem exoptatum venire possimus. Facere non possumus, quin partem acquisitionis, quoad fines angustiores dissertationis permittant, brevi in conspectu ponamus. Quem ad finem morbos et praecipue obturationem tubae Eustachii deligimus, in quibus, quum optime nobis cognotae videantur, operationes illae, quas invenerunt viri illustrissimi Cooper, Jasser, Bonnet et alii, maximo usu sunt. Ipsi quidem observationes nullas de hac re fecimus, sed dissertationibus, quas Buchanan, Cooper etc. scripserunt, et Lincke collegit, atque libris, quos Wilde, Kramer etc. composuerunt, amore et studio usi sumus. Diligens cognitio anatomiae et physiologiae, quum ad cognoscendos omnium corporis partium morbos necessaria, tum in iis, qui auditum afficiunt, morbis, eo magis opus est, quo minus singulae partes sensibus percipi possunt. Quam ob rem anatomiam et physiologiam tubae Eustachii breviter praemittamus neccesse est.

ANATOMIA ET PHYSIOLOGIA.

Tuba Eustachii est canalis partim osseus partim cartilagineus, qui a pharynge usque ad cavum tympani oblique ascendit, itaque has duas partes conjungit. Principia ab ovali altis marginibus vallato ostio pharyngeo sive anteriore capit, prope post choanam narium, in superiore et laterali pharyngis parte, ubi toro anteriore hamulo pterygoideo utriusque lateris in altitudine aequali cum concha inferiore se affigit. Post hunc torum pharyngis paries depressionem angulosam, foveam Rosenmülleri, ostendit, quae, si fistulam in tubam inducere volumus, vitanda est. Canalis in anteriore cavi tympani parte cum angusto ostio tympanico sive posteriore finitur, ita ut in directione obliqua ascendat. Pars cartilaginea, quae initium tubae, et cartilago excavata et elastica est, inferiorem tubae parietem praebet, quae membrana fibrosa et firma anteriori pyramidis ossis temporis angulo affixa in canalis formam mutata est, qui retro angustior fit. Pars ossea in anteriore pyramidis ossis temporis angulo sita ad cavum tympani progrediens latior fit. Superficies interna tubae Eustachianae membrana muscosa molli vestita est, quae vasibus sanguiferis et nervis abundat, atque in parte cartilaginea, praesertim prope ostium, multas glandulas muciparas acinosas

Digitized by Google

continet. Iter continuat ex cavo pharyngis et nasi per tubam Eustachii usque ad cavum tympani, et telis epithelialibus vibratoriis tecta eo pallidior tenuior atque pauperior glandulis muciparis fit, quo magis ad cavum tympani accedit.

Canalem hoc modo formatum, qui cavum tympani cum cavis nasi atque pharyngis conjungat, auditui maximae esse utilitati, physiologia docet. Canalis quidem lumen non habet semper patens, parietibus partis membranaceae tubae in parte tertia longitudinis inter se contingentibus, sed patet, ut diligentes novissimae explorationes docent, si musculi petro- et sphenosalpingostaphylini se contrahunt, ut in deglutitione. Praeterea parietes membranacei tam leviter conjuncti sunt, ut densitas aeris in alterutro cavorum, quae tuba conjuncta sint, aliquanto solita major sufficiat, eos disjungere. Debilitatis autem aut concisis musculis duobus salpingi affixis, parietes relaxati nullo possunt aere moveri. Densitas autem aeris in regione choanarum cum illa aeris circumfusi, itaque in meatu auditorio externo par est. Quum membrana tympani, quae primum sonibus mota perceptione auditus attingitur, et sonos undulatos ossiculis auditus in aqualam Cotunii transfert, legibus physicis, quominus libere vibret, impeditur, nisi aer in utraque ejus parte aequalem densitatis modum habet, quantae sit utilitati tuba Eustachii planissime explicatur. Varias quoque a membrana mucosa cavi tympani secretas materias, aut alio modo in eam depositas, quarum nimia copia maximo auditui damno fieret, per tubas posse efferri apparet. Conferendis ad cavum tympani sonis undulatis tubae non inserviunt, nisi quod, ut alii putant, vox ipsius loquentis per eas ad cavum tympani accedat. Homines quidem attente audientes cavum oris aperire ubique animadvertimus, neque tamen utilitas hoc motu proveniens in eo consistit, ut soni, qui ore excipiantur, per tubas in cavum tympani penetrent, quum oris atque pharyngis constructio velo palatino praetenso directioni huic sonorum obsistat, et praeterea soni utrinque convenientes membranae tympani motum impedirent. Potius autem haec res eo explicari potest, quod os apertum palatum molle, itaque musculos petro- et sphenosalpingostaphylinos leniter contendat, atque hoc modo permeabilem tubam Eustachianam adjuvet, et commutationi aeris faveat. E quibus rebus, quaecunque tubam obstruant, valde auditum iis impediri, apparet. Completa et multos per annos durante vel adnata vel acquisita tubae Eustachii obturatione surditas absoluta existere potest, quum cavum tympani secretis mucosis impleatur et aër, qui in eo adhuc adfuerit resorbeatur, itaque vibrationes membranae tympani omnino dissolvantur.

PATHOLOGIA.

E constructione anatomica et situ tubae Eustachii, affectiones, vel salpingis ipsius, vel partium cum ea conjunctarum aut eam circumdantium, permeabilitatem ejus, gradu majore aut minore, impedire vel etiam prorsus tollere posse, perspicuum est. Sine dubio membrana mucosa tubae iisdem morbis afficitur, quibus reliquae

Digitized by Google

hujus ordinis membranae. Plurimis autem in casibus catarrhus aut inflammatio ejus simul cum aequali affectione membranae mucosae nasi et pharyngis se consociabunt, et per connexum propagabuntur. Quo modo membrana mucosa ipsa per se eaque primaria morbis affici possit, adhuc nescimus. Propter situm occultum et tutum a damnis externis vehemens tubae inflammatio raro apparet. Saepissime autem catarrhus ejus observabatur, quum intumescentia catarrhalis et hyperaemia longum aut breve per tempus durarent, in canali tubae mucum siccum reliquisse. Sed interdum tuba vehementi inflammatione afficitur, quae non solum membranam mucosam sed etiam telas submucosas corripit, et maxime auditui imminet, vel affectione in cavum tympani progrediente, et copiosam materiam purulentam producente, ut interdum in Scarlatina, vel perdurante parietum intumescentia, vel formatis ulceribus, quae obturationem parietibus agglutinatis aut contractione cicatricum efficere possunt. Obturatio autem tubae Eustachii, quae ad catarrhos nasi et pharyngis se aggregat, rarissime in eo constat, quod tuba ipsa afficitur, sed quod damnum capit atque affectione implicatur foramen solum pharyngeum. Quod, quum libere et ostio lato in regione choanarum se aperiat, morbis membranae mucosae nasi et pharyngis vario modo afficitur. Cujus catarrhi, tam saepe perfrictionibus atque febribus exanthematicis acutis excitati, foramini illi intumescentiam atque hyperaemiam impertiuntur, aut secretis tenacibus purulentis et mucosis illud obstruunt. In catarrhis chronicis coarctatio perpetua ostii apparebit saepe hypertrophia chronica. Ulcera quoque et catarrhalia et tuberculosa et syphilitica in membrana mucosa ostii oriuntur, et surditatem permanentem efficere possunt.

Jam vero sine directa ostii pharyngei affectione, morbi et vitia pharyngis, palati et nasi, vario modo, contractione cicatricum, intumescentia, muco et pure, tubae Eustachianae damno esse possunt. Jam antiquiore aetate praeter alios maxime Vesal, recentiore autem Dieffenbach etiam observaverunt, paralysin musculorum petro- et sphenosalpingostaphylinorum, vel destructis iis ipsis vel diruto eorum puncto fixo, pallato molli, in surditate, quae in palato fisso adnato saepe adsit, tubas relaxare et deprimere, itaque magnam turbationem auditus, adeo surditatem ipsam efficere posse. Quae res infaustior est, si destructio, qua musculi relaxentur, palatum molle petit tanta, ut conjungi non possit, quod ulceribus syphiliticis saepe efficitur. Interdum polypi quoque, qui ostium pharyngeum tubae obstruunt, aut canalem tubae comprimunt, surditatem proferunt. Alii tumores, ut abscessi et carcinomata, in tubae vicinitate, eundem saepe habent eventum. Hypertrophiae et abscessi tonsillarum ipsi tubas comprimere nequeunt. Surditas igitur, quae in illis affectionibus adest, eo provenit, ut intumescentia in telas vicinas progrediatur. Exstirpatio tonsillarum hypertrophicarum, ubicunque adhibebatur, sanandae surditati nulli fuit usui.

Corpora aliena varia, vel a pharynge, vel a naso, in tubam penetrant. Ita in Anglia arista hordei causa surditatis auris unius in tuba Eustachiana inventa est.

Digitized by Google

Multae causae obturationis tubae a cavo tympani oriuntur, ut mucus tenax et accumulatus, aut pus, post inflammationes vehementes cavi tympani, aut inflammationes scrophulosas processus mastoidei, aut sanguis, qui variis lacsionibus auris emissus est. Quorum fluidorum si copia magna est, quum tuba canalis latitudine ubique aequali non sit, sed in medio angustissima, difficulter per eam defluere potest. Itaque paullatim accumulata densiora facta, denique effluvio omniuo carent.

Causae obturationis denique memorandae sunt vitia in prima posita formatione tubae Eustachii, quippe quae aut omnino deest, aut totaliter, vel ex parte obstrui potest. Horum vitiorum alia plerumque obturationem tubae non plenam, atque breve per tempus durantem, proferunt, alia plenam et perpetuam, qua tandem surditas absoluta efficitur. Alia eorum sunt adnata plurima acquisita. Saepissime vero obturatio catarrho nasi, praesertim perfrictione effecto, incidit, quae, praecipue vere atque auctumno pueros et juvenes scrophulosos maxime corripiens, breve post tempus aut cedit, aut varia vi et vehementia ingravescit, auditumque magis magisque turbat.

SYMPTOMATA ET DIAGNOSIS.

Symptomata obturationis tubae utriusque aut alterutrius haec proferuntur. Aegroti aërem per tubam in cavum tympani inferre nequeunt. Sensum molestum in aure queruntur, tanquam auris velo clausa esset, aut perpetuus ante aurem susurrus adesset, quem cum strepitu arborum et maris aut cum tonitu comparant. Aut male aut omnino non audiunt, plerumque audiendi vis variat. In loco tumultuoso melius, quam in quieto et tranquillo, audiunt, et lenius dicere solent utraque tuba obturata. Turbationes auditus denique eo tempore apparuerunt, quo conditiones adfuerunt, quae tubam obturare poterant.

Quae symptomata varia sunt dignitate. Maxime autem facultas amissa, aerem per tubam in cavum tympani inferendi, respicienda est, et auditus turbatus post noxas memoratas. Primum horum signorum vario modo cognoscitur. Si aegroti clausis cavis oris et nasi exspirant, sensum non habent membranae tympani extrusae. Eodem tempore speculo auris intuentes membranae tympani normalem colorem rubrum non cernimus. Aut aegroto, capite in lateris partem oblique verso, si aquam in aurem infuderimus, exspiratione retenta illo, quem dixi, modo, superficiem aquae immutatam perspiciemus. His experimentis interdum impedimenta levia, sicuti emboli mucosi, qui obturationem effecerunt, postquam superata sunt, aer cum crepitu vehementi in cavum tympani penetrat, auditusque aut breve per tempus aut perpetuo correctus erit. Sensus molestus, tinnitusque aurium signum est incertum, quum in variis meatus auditorii externi membranaeque tympani malis adsit. Meliore auditu et accuratiore, locis tumultuosis circumdantibus, frui nervosa quaque surditate laborantes observabantur. Quod vero homines, qui propter turbationem auditus vocem suam, commo-

Digitized by Google

tiorne sit an remissior, judicare nequeunt, semperque remissius loquuntur, id ad explorandum, quae turbationis causa adsit, nihil fere valet.

Maximo autem diagnosi pretio est, si auditus turbatus eo tempore apparuit, quo noxae, quae tubam Eustachii obturare omnino poterant, adfuerunt. Si signa illa obturationis tubarum catarrhis membranae mucosae pharyngis et nasi effecta sunt, turbationes auditus in tempestate turbida et ventosa, praecipue vere atque auctumno gravescunt, in tempestate autem sicca et calida decrescunt. Melius tamen hujumodi obturatione aliqua affecti audiunt ii, qui calore lecti aut motu corporis sudant, quam illi, qui sub coelo vario aut in vita sedentaria vivunt, aut tristi sunt animo. Quorum auditus paulatim decrevit, licet initio saepe ad meliorem conditionem redierit, idque quidem cum crepitu illo post vehementes exspirationes, sicuti sternutationem tussemque. Eodem tempore saepe in posteriore pharyngis parte magnam pituitae copiam, intumescentiam catarrhalem et ruborem, praeterea statum catarrhalem nasi, et vocem raucam reperimus. Si tractus quoque intestinorum, ut saepe accidit, vario modo simul turbatus est, summa lingua non pura, anomalia digestionis, ructus acidi, facies pallida, cutis frigida, tristitia animi observantur. Status tamen corporis universus non semper simul laborat.

Aegrotorum igitur, qui symptomata memorata queruntur, pharynx, palatum et membrana mucosa nasi, diligenter exploranda sunt, simul cum reliquo corporis statu. Ad confirmandam diagnosin, quae maximam ad prognosin tractationemque vim habet, diligentissime status partium reliquarum auditus inquiras opus est. Meatum auditorium externum a sordibus inspissatis liberum et omni vitio vacuum, membranam tympani integram, atque labyrinthum et nervum acusticum in statu intacto, cognoscamus necesse est. Quorum posteriorum uterque normalis probabitur, si soni horologii, aut in ore habiti, aut ad aliam partem osseam cranii admoti, percipiuntur.

PROGNOSIS.

Prognosis obturationis e conditione partium auris reliquarum pendet, et e facilitate, qna tolli poterit causa obturationis. Si catarrhi obturationem protulerunt, prognosis plurimis in casibus fausta est. Adhibitis enim remediis aptis, quamquam obturatio multos per annos duraverit, venia data est sanandi aut demum emendandi auditus. Licet vero restituta sanitas semel sit, pronum tamen malum ad revertendum, quum ii etiam, qui ad statum pituitosum proclives sint, difficillime sanentur. Si parietes tubarum concreverunt, vitia primae formationis tubarum adsunt, et si palatum molle magno in ambitu destructum, prognosis valde infausta est.

Digitized by Google

THERAPIA.

Therapia diversa est ex varia causarum indicatione, quas removeamus prae ceteris necesse est. Frequentissime obvia nobis fit ea tubae Eustachii obturatio, quae perfrictione et catarrhis variis nasi et pharyngis orta est. In surditate hoc modo provocata, etiam si multos per annos duravit, optimo solet effectu esse, si aegroti compresso ore nasoque exspirationis motus fortiter continuant. Nam hoc conatu saepe aër per salpinges in cavum tympani perpellitur, et aegrotus, postquam crepitum vehementem percepit, auditum recuperat. Propterea deglutitionis motus, remedia sternutatoria, gargarismata et emetica magno cum usu adhibentur, quum adhibitis his remediis tubae commoveantur, itaque mucus tenax, qui ad eas adhaereat, solvatur, et aëri aditus pateat. Nutritio membranae mucosae hypertrophicae mutatur, et exsudatorum stimulatur resorptio, remediis purgantibus et diaphoreticis, hirudinibus, vesicatoriis, tinctura jodi, aliisque remediis irritantibus, quae meatui auditorio externo applicantur. Si habitus scrophulosus adest remedia antiscrophulosa apta, Antimonialia, Guajac, balnea etc. adhibeantur, neque desit motus corporis, domicilium siccum et calidum, diaeta roborans. Cauterisationes denique membranae mucosae nasi et tubae ipsius, quas Bonnet primus exercuit, saepe sunt optimo eventu. Remediis iisdem saepe corpora aliena, sanguis, pus et mucus siccus, quibus tubae explebebantur, removebantur. Praeter illa, alterantia et tonica saepe necessaria sunt remedia, nec non status organorum digestionis respiciendus. Noxae, quaecunque morbum tam facile rediturum excitant, diligentissime vitandae sunt. Corpus lotionibus frigidis et exercitationibus gymnasticis exerceatur, et roboretur necesse est. Quibus remediis omnibus sanandi spem frustratis, per fistulam per nasum in orificium nasale tubae inductam, injectiones instituendae sunt. Sin autem tubam acuta comprehenderit inflammatio, praetermittentus erit ille catheterismus, ne irritatio tubae augeatur. Alii inducendae per tubam chordae auctores fuerunt, ut mucus siccus ea perfringatur, quod factu difficillimum nullaque experientia probatum, obstantibus tubae angustiis, nescio an exerceri et ad effectum ducere vere possit. Ubi autem tubam inflammatio chronica, aut mucus, pus, sanguis aut aliae res obturaverint, catheterismus ille maximo diagnosi usui erit, quo membrana mucosa hypertrophica mutari, ejusque sanitas restitui possit. Magna instrumentorum variorum copia exercendo tubae Eustachii catheterismo inventa est. Catheteres sunt vario modo curvati, tam flexibiles quam inflexibiles, per quos apparatus proprii aërem aut fluida injiciunt. Inflexibilis fistula argentea aptissima videtur, quae bene polita et in cuspide conglobata, tali magnitudine sit necesse est, ut faciliter per nasum induci possit. Quem ad finem 6″ longa et latitudine pennae corvinae usque ad eam pennae anserinae, recta, et in fine anteriore in angulo 140° curvata esse debet. In fine posteriore ad infundibuli formam dilatanda est, ut

Digitized by Google

tubulum, per quem injectiones fiunt, apte excipiat. In dilatatione illa annuli aptati directio, fistula per nasum inducta, ubi loci semper sit cuspis, directionem ejus indicat. Fistulam per nasum inducentibus nobis maxima cura et lenitas adhibenda erit, quibus neglectis, si fortius induxerimus, dolores vehementes et haemorrhagiae facile possunt oriri. Ut fistula in situ tranquillo et apto retineatur, torquis in ea illigatus circa frontem apponitur. Duas praecipue rationes habemus fistulae in ostium pharyngeum tubae inducendae. Aut fistulam tam longe primum immittimus, ut cuspide palatum molle tetigerimus, deinde ad latus externum et superius convertentes, cuspidem ab externo latere in tubam inducimus. Aut fistula, ad posteriorem pharyngis parietem admota conversaque ad latus externum, in hoc situ retrahitur, quo fit, ut ictu momentum cognoscamus, quo cuspis tubae torum transmiserit, quo facto statim illam promoventes in directione externa in tubam penetramus. E tractu facilem progressionem tardanti, fistulam in tuba haerere, quum cognoscamus, annulus fistulae externam in partem sursum versus. Qua operatione recte facta, neque sensus molestus neque dolor infertur, sternutamentum ipsum rare, lacrimatio saepius excitatur. Fistula inducta aër aut aqua aut fluida medicamentosa injici possunt. Si tuba pervia est, et aër libere ad interiorem membranae tympani superficiem penetrat, fragor proprius et strepitus continuus percipiuntur, sin obturata est soni varii alienique oriuntur, vagitus, crepitus aliique. Hae injectiones majore quidem cum vi, si instituuntur per processum mastoideum, fieri possunt, cujus tamen perforatio magna aegroto pericula, et propter propinquitatem cerebri et sinus transversi, haemorrhagias, dolores vehementes, convulsiones, suffocationesque afferre potest.

Tumores, qui comprimunt tubam, remediis aptis removendi sunt. Si in palato fisso causa surditatis posita est, optimum ad eam removendam remedium est staphyloraphia.

Est tamen, ubi indicationi causali satisfacere non poteris. Nam vitia primae formationis tubarum tolli non possunt, agglutinationes parietum ex ulceribus ortae difficiliores saepe sunt, quam quae solvantur, denique ad conjungendum palatum fissum acquisitum, ut memoravimus, partes, quae restant, quum nimis sint exiguae, saepe non sufficiunt. Quod si accidit, perforatio membranae tympani saepe, ut aer libere in cavum tympani intret, efficit.

Membranam tympani perforatam non esse auditui impedimento, multa ejus foramina, tam adnata quam acquisita, nos docuerunt. Perforatio ipsa caute instituta, aegroto nullum quum concitet periculum et dolorem, certe in casibus experienda et exercenda erit, in quibus alia remedia omnia erunt frustrata. Etenim, si operatio spem fefellerit, non tamen augetur morbus, sed manebit eadem, quae antea erat,

Digitized by Google

surditatis ratio. Multa autem hac operatione sanatae aut emendatae surditatis exempla exstant. At conficiendam operationem instrumento illo, quod franco-gallice dicitur troicart, ad similitudinem ejus structo, quod ad punctionem hydroceles applicare solemus, sub finem obtuso, rotundo, cavo et margine peracuto exstructo uti possumus, ita ut foramen orbis instar conficiatur, neque margines ejus, relaxata membrana tympani, se attingant et concrescant.

THESES.

Si conjugata vera mulieris parturientis minor est quam 2—2¼″ sectio caesarea instituenda est, seu sit infans vivus seu mortuus.

Symptomata intoxicationis uraemicae non provocantur mutatione ureae in ammonium carbonicum.

In corde relaxato ferrum optimum est tonicum et incitans.

Inter praeparata seminum Cinae Natrum santoninicum optimum est.

Digitized by Google

Digitized by Google

1856. VII.
MEDIC. XI.

NONNULLA DE ENCEPHALOMALACIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

GUILIELMUS HENRICUS KARDEL

NEUMÜNSTERANUS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVI.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *W. F. G. Behn,*

h. t. Decanus.

Digitized by Google

Statuenti mihi de encephalomalacia disserere minime in mentem venire potest, ut plenam quandam et quaequae huc pertineant complexam disputationem exhibere velim. Non enim ego is sum, qui de anatomia pathologica, de aetiologia, de therapia novi quicquam affere possim. Quam ob rem has in explicando singulari, de quo disputandum erit, casu missas faciam et eo potissimum me vertam, ut casus, quem ipse per breve tempus observare potui et cujus anamnesin atque decursum partim ex nosocomii academici diariis mutuatus sum, symptomata fere sola decursumque in quaestionem vocem; neque in his, quae nostra intersint, pauca reperias. Quum tam varia et mutabilia encephalomalaciae sint symptomata eoque tam difficilis ejus diagnosis exsistat, nostrum esse indico, ut de quovis, qui a vulgaribus observationibus discedat, morbi casu publice profiteamur. Aliter enim fieri non poterit, ut omnes, quibus hic morbus incedit, formas cognoscantur, constantia symptomata ab inconstantibus discernantur indeque certa denique diagnosis proponatur. Jam igitur morbi historiam et quid sectione exploratum sit, praemittam, et deinceps quae maxime nostra interesse videantur, subtexam.

MORBI HISTORIA.

Petrus Grewe, quinqaginta unum annos natus, operarius Kiliensis, valetudine usque ad quadragesimum secundum aetatis annum firmissima usus est. Anno saeculi nostri quadragesimo septimo vero, quum in via ferrea custos erat vehiculis appositus, hoc ei accidit infortunii, ut a summo vehiculo delapsus caput limitibus ferreis impingeret. Et integra quidem cute evasit, sed mox tumor increvit satis vehemens. Animo deficiens deportatus est et complures demum post dies conscientia rediit. Aptis remediis applicatis celeriter tumor recessit et tertia hebdomade praeterlapsa ita valuit aegrotus, ut Kiliam transvehi sustineret; tres tamen menses praeteriverunt, antequam munere suo fungi potuit. De signis, quae inter hoc tempus ostenderit, parum mihi compertum esse doleo; id tamen, si conjugi ipsius fides, constare videtur, ut neque convulsionibus neque paralyticis signis laboraverit. Medicus, cui ejus cura mandata

Digitized by Google

fuerat, fracturam ossis frontis affuisse suspicatus erat. Jam vero inde ex isto casu insignem in omni mariti natura commutationem uxor animadvertebat; memoria lababat, nulla jam rerum domesticarum cura, nulla in munere sedulitas ejusdem viri, cujus ante casum istum diligentiam atque religionem omnes noverant. Propter oblivionem et desidiam post annuum spatium dimissus est. Inde ex hoc tempore loco lignis caedendis destinato gravissimos labores suscepit, donec ante hunc et dimidium annum vires eum defecerunt. Neque tamen unquam nisi stimulo aliquo adactus impigre neque quiquam satis considerate egit. Simul saepius pedem offendisse et fallente in minutissimo impedimento vestigio procidisse jam tunc fuisse dicunt, qui animadverterent. Auctumno anni saeculi nostri quinquagesimi quarti in terram prolapsus crus fregit, itaque in nosocomium nostrum Fridericianum allatus et post sex hebdomades sanatus atque dimissus est. Inde ex hoc tempore aegrotus imbecillioribus cruribus uti coepit, quae deficere antea non senserat. Hanc inferiorum extremitatum imbecillitatem aliud mox malum insecutum est; sensus in summis digitis defecit. Antea scilicet tempus, quo labore vacabat, in exsculpendis ex ligno utensilibus consumserat, jam vero, quia parum subtili summorum digitorum sensu utebatur, ab hoc ipsi negotio absinendum fuit. Juxta magis magisque imminuta memoria et adaucta eorum, quae circa ipsum accidebant, incuria. Continua atque forti fame vexatus saturitatis sensum plane ignorabat. Inferiorum extremitatum debilitas in eum mox modum increvit, ut nonnisi duobus baculis innixus inambulare posset. Ex uxoris narratione incessu videtur usus esse, quali tabe dorsali laborantes. Ineunte hujus anni mense Februario paralysis tantopere adaucta est, ut lectum relinquere non amplius valeret. Brachia cruraque emacescere coeperunt. Simulac alvi solvendae necessitatem sensit illico ei odtemperandum fuit; non enim diutius impetum sustinere potuit nec ubi urina mittenda fuit, aliter se res habuit. Uxor narrat eum inter somnum saepe dentibus frenduisse, neque tamen unquam convulsionibus palpitasse aut contracturis vexatum aut de capitis doloribus conquestum esse. Tricesimo anni millesimi octingentesimi quinquagesimi sexti mensis Januarii die aegrotus, quia domi parum commode habebatur, in nosocomium academicum receptus est, ibique exphoratus est hoc — Status praesens:

Vir aegrotus specie bene valens, musculis tamen remissioribus usus, interrogatus satis recte respondere potuit; tardiora modo plerumque insequebantur responsa eaque laconica quadam brevitate adumbrata. Celerius, quam solitus est, prolocuturo falsa facile et corrupta verba excidebant. Memoria ita evanuerat, ut de anamnesi certiores nos facere nulla ipsi facultas adesset. Nec inambulandi nec insistendi vis pedibus; elevatus aliorum ope argrotus, ubi suis viribus relictus est, illico corruebat; lecto incubans inferiores extremitates tollere non potuit; superiores tollere quidem potuit, sed sublatas tenere non potuit; manibus modica adhuc premendi potestas. Vires non suffecerunt, ut in lecto corpus erigeret; aegro modo evicit, ut ultro citroque

Digitized by Google

latera verteret. Nusquam particularis paralysis apparuit, aut quae fortior alterutrum latus occupaverit. Facies constantem vultum ac tranquillum prae se ferebat. Integris ceteroquin dentibus manducatio impedita, praesertim si carnes tenuius erant conterendae. Urina faecesque sponte exibant, si non illico, ubi incessit necessitas, vas porrigebatur. Sensus in inferiore extremitate paululum imminuti esse videbantur; acu tamen tacta ubique reflexus dabant membra. Praeterea curem in extremis digitis formicare conquestus est aegrotus. In ceteris sensuum organis nullae turbae cognoscebantur. Pupillae pari justoque ambitu, item reactione. Satietatis sensus nunquam affuit. Uti antea semper, sic etiamnunc a capitis doloribus plane liber erat. Musculi remissi et flaccidi, sed non tabidi, velut atrophia musculorum progressiva in spatio interosseo pollicem inter et indicem fieri solent. — Aegrotus fere semper dorso incubabat et plerumque dormiebat, vigilans tamen prudenti oculo circumpectabat. — Supra umbilicum manifesta pulsatio animadverbebatur ibique strepitus audiebatur vehemens et fervens, quem deorsum per spatium aliquod persequi posses; alibi nusquam in vasis, qui audiri possent, strepitus. Tumor in loco, quem diximus, non reperiebatur. Urina normalis; alvi emissio tarda; pulsus octogeni, modice firmi, regulares. — Per proximas hebdomades nihil fere mutata aegroti conditio, nisi quod in extremitatibus potissimum emacescebat pallatim; neque tamen ita decrescebant musculi, ut in singulis quibusdam id observari posset. Paralysis lentissime tantum procedebat. Alvus non nisi catharticorum et clysterum ope solvebatur. Capitis dolores nunquam incedebant. Animi habitus fere idem. Mirum visum est, quod de valetudine sua optimam spem prae se ferebat et quod meditando, quomodo paralyticis suis membris subveniret, exempli gratia per fascias funesque, intelligentiae et inventionis documenta haud raro prodebat. Ineunte mense Aprili, quae paribus temporum intervallis rediebant, dyspnoeae ingruebant. Vexatus aegrotus, quasi gravi pondere pectus premeretur. Inferioris extremitatis, quae quoad motum plane paralysis occupata erat, sensus multum evanescebat. Superior extremitas immutata relicta. Perforti apparatu electro-magnetico admoto in inferiore extremitate sensus irritationi electricae exiguum in modum obnoxius cognoscebatur. Extensores quam minime reagebant. Ceteri contra corporis, oris superiorisque extremitatis musculi acriter se contrahebant, nec omnino hic sensus vehementius decrevisse videbatur. In inferiore extremitate oedema formatum, in regione ossis sacri decubitus. Initio Maii increscente respirationis musculorum paralysi et crebriores et graviores dyspnoeae ingruerunt, eaeque una cum decubitu celeriter divagante miserrime infelicem hominem excruciaverunt; nihilo secius tamen is constantem aequumque animum retinuit. Mentis sollertia manifesto imminuebatur; responsa tardiora insequebantur atque manca; memoria magis magisque evanescebat. Ciborum appetitus bonus restabat, saturitas nulla unquam aderat. Inter ingravescentes respirationis turbas, extendentem se in latitudinem et altitudinem decubitum, incruentem febrem aegrotus denique magis magisque emacescebat et externo quoque visu

Digitized by Google

collabebatur. Paralysis extremitatum signa immota obtinuerunt. Experimenta sub exitum Maii per eloctro-magneticum apparatum validiorem instituta luculenter probaverunt omnem jam in inferiore extremitate contra electricitatem reactionem funditus interiisse. In superiore tamen extremitate et in facie omnes musculi, extensores aeque atque flexores juste reagerunt. Vesicae adaucta est paralysis; urina muco suffusa sponte et continuo profluvio dimanavit; dentium frendor crebrior incessit. Increscente macie et superingresso pulmonum oedemate una cum pneumonia hypostatica quae respirationis angustias ita, ut jam non tolerabiles essent, adauxerunt, morte denique occubuit aegrotus decimo sexto mensis Junii in anno salutis nostrae millesimo octingesimo quinquagesimo sexto die. In paralysis signis per ultimas hebdomades nihil mutatum fuerat.

EXPLORATIO SECTIONE INSTITUTA.

Instituta sectio hora post mortem vicesima quarta, mensis Junii die decimo septimo anni MDCCCLVI. — Cadaver intermortuum statim pronum in ventre collocatum, ne in dorsi parte hyperaemia incedat. Nihilo minus tamen per dorsum dispersae coeruleae maculae, mortis indicia, apparent. Corpus in superiore parte emaceratum, crura oedematosa. Latius divagatus supra et infra os sacrum decubitus; infra trochantereset in dextri lateris tuberibus ischii musculi glutaei fasciculi gangraena deleti; pars musculi glutaei in sinistro latere recentis sanguinis extravasatis suffusa. Immerso et deducto secundum vertebrarum columnam scalpello tenue sub cute pituitae stratum ante oculos positum; musculorum color in superficie justus, intus pallidior; hoc, ut vel primo obtutu cognoscere licet, inde ex parte effectum est, quod pituitae nonnihil inter primitivos et majores musculorum fasciculos resedit.

Canalis medullaris. Aperto medullari canali pituitae stratum normali crassitudine inter vertebras et duram matrem ante oculos est. Hujus color integer atque justus; in superiore dorsi regione piae matris venae coeruleae pellucent. Incisa e regione caudae equinae dura matre seri subrubri copia satis magna defluit. Dura mater ubique integra; arachnoidea nonnullis in locis modice obscurata. Aperto toto durae matris sacculo serosi exsudati nihil jam ultra profluit, neque usquam alius generis exsudatum. In locis, quibus nervi exeunt justa sanguinis copia; item in postica medullae superficie; in inferiore tantum cervicali et in media dorsali parte venae apparent hyperaemia paululum infectae. In caudae equinae funiculis nihil pathologici. Medulla expromta in sectionis planitie omnibus ex partibus integram se praebet. Microscopica exploratione nervorum fibrae etiam in diversissimis locis prorsus normales cognoscuntur. In vertebrarum parte exteriore e quintae costae regione exostosis sentitur exigua.

Cavum cranii. Cranio aperto serum profluit. In capitis tegumentis nihil morbo affecti occurrit. Ipsum cranium modicae crassitudinis. In interiore ossis frontis

Digitized by Google

tabula transversa fissura reperitur, quae digiti fere latitudine sinistrorsum a linea media distans oritur, et dextrorsum mediam lineam uno et dimidio digito transgreditur. Fissura locum habet paullo supra tubera frontalia. Deorsum usque ad tertiam marginis dextrae orbitalis partem pertinet. Postquam cranii et interna et externa superficies ante oculos posita est impressionem, quae ovi magnitudinem aequiparet, in dextro frontis osse videmus. Superior ejus margo tuber frontale adtingit, inferior usque ad nasi radicem pertinet; manifestissima in dextro frontis osse cognoscitur fractura. Accuratiore inquisitione exploratum, ossis frontis partem ad ovi magnitudinem effractam esse unaque transversam fissuram hujus partis accedisse. Hoc fragmentum in superiore margine in unius lineae altitudinem depressum est et introrsum minutiora trusta prominent, quae tamen laevigata sunt; inferior pars extrorsum remota, ita ut intus aliquot linearum depressio appareat. Hoc fragmentum in duas partes diffissum esse videtur; certe duarum linearum impressio ex transverso percurrens in exteriore superficie cognoscitur; simul accidit, ut in obliquum inde a dextro in sinistrum latus permotum sit fragmentum, quo factum est, ut supra dextram orbitam lacuna exstiterit, quae non nisi tela cellulosa expleta sit. Ex hujus prioris fracturae regione dura mater et pericranium firmissime adhaerent; illa alba et si universam spectes, condensata apparet. In sinu longitutinali superiore tenues fibrini coagulationes. Pachionicae granulationes modice adultae. Haemisphaeriorum arachnoidea ubique discolor et parum pellucida, subter eam serum effusum. Piae matris vasa justam ubique sanguinis copiam retinent, tenues cranii membranae oedemate infectae facili opera singulis satis magnis pannis abstrahuntur. E regione loci, unde cranii fractura oritur, arachnoidea in dura matre firme adhaeret, quae ipsa rursus pari firmitate cranio affixa est. E regione impressionis et praesertim orbitalis ejusdem partis remotis cutibus cerebrum non jam perspicuos gyros repraesentat, sed asperos potius, sero infiltratos, summopere mollitos atque turbatos. Nervi olfactorii par conditio. Mollitia ultra gyros in cerebri substantiam pervadit ibique sensim in integra tela evanescit. In sinistro latere non tam alte mollitia descendit, quam in dextra. Mollitia anteriorem anteriorum cerebri laciniarum partem ovi gallinacei magnitudine occupat. Microscopica exploratione in hoc loco Glugii isti inflammationis globi observantur nec non puris corpuscula et nervorum fibrae maximam partem deletae, inter quas integrae singulae interjectae. In cerebri basi nihil abnorme obvium, vasaque ibi bene sana. Ubi scalpello mediae laciniae sursum altius incisae sunt, justa reperta est sanguinis copia, justa cerebri consistentia. Laterales ventriculi justa magnitudine, item quartus ventriculus. Ceterae serebri partes integrae.

Cavum thoracis. Costarum cartilagines ossificatae. Pharyngis et oesophagi membrana mucosa justa. Larynx ossificata. Tracheae et bronchorum membrana mucosa leviter rubescens; in his serum spumans. In sinistro pleurae sacculo seri discoloris unciae aliquot, in dextro minor ejus copia; pleura pulmonalis in utroque latere

Digitized by Google

tenui exsudati strato obtecta. In pulmonum margine et superficie emphysematis nonnihil. In anteriore lobi superioris et intermedii dextri margine oedema; inferioris lobi parenchma fragile, compactum, ponderosum, acris tamen aliquid etiamnunc retinens. In sinistro pulmone contraria, atque in dextro, conditio oedematis. Inferioris lobi parenchyma pariter fragile et aere fere vacuum. In pericardio una et dimidia pellucidi seri unciae. Cor magnum et flaccidum, musculi ejus tamen justo colore. In dextro atrio fibrini et sanguinis magna coagulatio, Valvula tricuspidalis et valvulae arteriae pulmonalis semilunares integrae. In sinistro ventriculo exigua coagulati sanguinis copia. Valvula mitralis conspissata quidem, attamen utpote quae pergrandis sit, sufficiens; aortae valvulae sanae. Aorta thoracica tenuia tantum atheromatosae degenerationis indicia prodit. Carotis communis et arteria subclavia integrae. In cordis musculo etiam microscopica exploratione pituitae fere nihil repertum.

Cavum abdominis. Vicina abdominis intestina vetustis adhaesionibus altera cum alteris coaluerunt. Hepar normale; in fellis vesica praeter bilem tenuem et pellucidam frequentia concrementa insunt; splen sanus. Pancreas normalis. Membrana mucosa ventriculi hyperaemica. Quae in vertebrarum columna insitae sunt glandulae lymphaticae et tela cellulosa, quae aortam abdominalem circumdat, subrubrae. Ilei et jejuni membrana mucosa hyperaemica. Ureteres normales. Renes, nisi quod pelvis eorum catarrho infecta, sani. Vesica urinam continet pure contristatam, membrana ejus mucosa rubescens et membrana crouposa obtecta, sanguinis extravasatis perfusa. Aorta abdominalis levem quandam interioris parietis degenerationem atheromatosam ostendit. Ubi discedunt arteriae hypogastricae exiguae calcificationes. Arteriae femoralis parietes rigidi. Arteria tibialis postica calcificatione obdurata. In vena crurali fibrini coagulatio parieti leviter tantum adstricta. Microscopica diversissimorum musculorum exploratione pituita degenerati et atrophia infecti reperiuntur. Striae transversae maximam partem sublatae. Nervi peripherici sani.

Decursus et symptomata encephalomalaciae varia plerumque neque plane sibi constantia, prout variae ejus morbi causae exstiterunt. Necesse igitur erit, ut antequam quae mihi singularia inter symptomata visa sint, recenseam, sententiam meam profitear, unde in hoc casu encephalomalacia nata sit, et quisnam in eo processus pathologico-anatomicus exstiterit. Secundum anamnesin vero et explorationem sectione institutam nulla restare potest dubitatio, quin casus iste, quo a summo vehiculo delapsus homo caput ferreis istis limitibus inflixit eoque os frontis fregit, caussa atque principium signorum, quaequae insecuta sunt, fuerit. Quae inde ex hoc tempore manifestae incesserunt mentis turbae vel deficientibus ceteris omnibus indiciis de hac re dubitare amplius non sinunt. Commotio cum hoc casu necessario conjuncta, quae vel solo ad encephalitidem gignendam suffecit, et praecipue cerebri ejusque membranarum insultatio directa mechanica, per ossis frontis fracturam cum fragmentorum et impressione et prominentia junctam effecta, caussae exstiterunt sine dubio encephali-

Digitized by Google

tidis localis, et quae inde consecuta est, malaciae. Cerebri membranarum inflammationem e regione fracturae exstitisse eo docemur, quod eae et inter se et cum ipso cranio coaluerunt. Encephalitidem autem eamque talem, quae pur procreaverit, affuisse puris, quae in emollitis locis resederunt, corpuscula documento sunt. Neque dubitari potest, quin sub cerebri membranis et in cerebro ipso sanguinis extravasationes exstiterint; reliquiae tamen earum inter sectionem jam non demonstrari potuerunt. Circumspiciamus jam nunc, num casus noster decursum et symptomata encephalitidis chronicae prae se ferat. Singula quaedam obvia habebimus, alia desiderabimus, eaquae ejusmodi pleraque, quae in hujus morbi processu tanquam propria atque singularia vulgo circumferuntur.

Decursum. Decursum morbi perlustrantibus nobis primum signum mirabile visum est, quod aegrotus, postquam tribus post casum anno MDCCCXLVII insecutum mensibus ita fuerit restitutus, ut munere suo in via ferrea fungi potuerit, per totum fere septennium usque ad auctumnum anni MDCCCLIV, nulla ultra morbi indicia praebuerit, nisi quod singulae quaedam et satis leves mentis turbae et inferioris extremitatis debilitas fortasse quaedam valde exigua, quae crebriore pedum offensione prodita sit, incidisse dicantur. Quae si omnino affuerit, valde exigua fuerit necesse est, quoniam aegroto per eam licuit, ut gravissimos corporis labores sustinuerit. Postquam sub ejusdem anni auctumnum crus fregit, manifestior jam inferioris extremitatis imbecillitas et sensus in summis digitis deminutio incessit, quarum altera praeter suetum modum velociter usque in plenam paralysin adoluit, altera cum exigua brachiorum debilitate juncta vix adaucta est. Quomodo vero, quum talis morbi processus exstiterit et progressus sit, tam diu bona atque fere semper integra valetudine uti potuerit aegrotus et unde subito secus ceciderit res, difficile est dictu. Durandus Fardelius similia videtur observasse; contendit enim, mollitionem istam saepius, ubi ad certum quoddam spatium adoluerit, tardiore jam aut nullo omnino incessu progredi vixque organismum ullo modo afficere videri. Ut pro caussa depravationis apoplexiam accedisse conjecturam sumas, vix licitum erit, quoniam aegrotus neque vivus, dum paralysis signa et turbae psychicae increverunt, ejus signa ostendit, neque mortuus inter sectionem ulla ejusdem indicia prodidit. Suspicari tamen poteris, quum propter cruris fracturam diutius aegrotus, ut supinus continuo in lecto incubaret, coactus fuerit, inde vehementiore congestione cerebrum occupatum esse eoque morbi processum, qui antea fortasse finibus satis arctis inclusus fuerit, rapidius circumvagatum esse. Sed longe absum, ut haec pluris aestimem eaqua talia venditem, quibus quaecumque signa recte possint explicari. Imo facile largior ita ad summum, cur adaucta sint signa, minime vero, cur per septennium omnia fere et per ultimos hos unum et dimidium annos tot etiamnunc symptomata afuerint, explicari. Unum interdum alterumve symptoma abesse non raro observatur; tam multa vero junctim abesse, jure mireris. Jam symptomata eadem, qua Durandus Fardelius, serie recensebo.

Digitized by Google

Motionis turbae. Doleo non satis luculenter mihi compertum esse, quomodo per primos post casum menses aegrotus se habuerit; constat tamen, eum neque in primo acuto periodo, neque deinceps inter decursum chronicum unquam convulsionibus vexatum esse, nisi quod spasticis musculorum masseterum contractionibus, quae dentium frendore sub exitum praecipue morbi sese indicabant, subinde laboravit. Accedit, quod idem nunquam contracturis laboravit, neque antequam incesserunt paralysis signa, neque inter ipsa. Jamdudum quidem desitum est, Lallemanno duce contracturam proprium atque singulare mollitionis indicium credere; nihilo secius tamen illa inter gravissima ejusdem symptomata habenda est. Durandus Fardelius eam inter triginta tres mollitionis chronicae casus, in quibus scilicet motionis turbae accesserunt, sedecies reperit,. et majorem adeo numerum fortasse computare debuit, quia in duodecim ex illis triginta tribus casibus nihil erat traditum, utrum paralysis cum contractura conjuncta fuisset necne. Abesse in casu nostro contracturam eo magis mireris, quia peripheriam potissimum mollitio insedit, ubi imprimis crebra contractura incedere dicitur. In casu, quem observatione octogesima nona Durandus Fardelius exhibuit et qui praesertim ob sedem mollitionis huic nostro quam maxime est appositus atque similis, una cum procedente inferioris extremitatis paralysi contractura exstitit magis magisque increscens. Brachiorum contractum aliquanto minor fuit et immota usque ad mortem restitit. Constans sibi hic in movenda superiore extremitate status nos nostri casus recordari jubet, in quo contractura quidem non aderat, debilitas vero brachiorum affuit, quae una cum inferioris extremitatis paralysi ingressa, non augebatur, sed immutata usque ad mortem obtinebat. Supra jam memoravimus, quam difficile sit, motionis turbarum decursum explicare. — In *sensibilitatis turbis* nihil novi observatum est.

Capitis dolor, quum in acuta mollitione rarum plerumque symptoma est, in chronica secundum ea, quae Durandus Fardelius, Rostanus, Andralius congesserunt, inter creberrima est symptomata. Nostro in casu eum plane desideramus. Aegrotus inter morbum per octo annos perdurantem nunquam de capitis doloribus conquestus est, uti diligentissima et hac maxime de re instituta proximorum atque familiarium perscrutatione nobis compertum est.

Intelligentiae status. Status psychicus, qui in encephalomalacia singularia indicia omnino non praebet, nostro quoque in casu nihil ostendit, quod alicujus sit momenti. Memoriae imbecillitas et externarum rerum incuria atque neglectio suetae sunt encephalomalaciae comites. Rarior jam mentis imbecillitas est ita sensim increscens, ut nunquam irritationis et exaltationis momenta intercurrerint; quae comparari possit cum procedente sine convulsionibus paralysi, qualem in nostro casu cognovimus.

Digitized by Google

Linguae perturbatines, quibus tantopere innititur Durandus Fardelius, ut dicat: *)

> *„Die Sprache zeigt bei der Hirn-Erweichung und selbst unabhängig von jeder bemerkbaren Hinderung beinahe constant eine Art von Eintönigkeit, welche ihr einen ganz besonderen Charakter verleiht. Ich kann die Aufmerksamkeit nicht zu sehr auf diese Erscheinung lenken; denn sie allein hat mich zuweilen auf den Weg geführt, eine chronische Erweichung zu erkennen, die noch wenig charakterisirt war.“*

nostro in casu plane absunt. Nec enim aequabilis ille loquendi sonus, de quo Durandus Fardelius nos admonuit, nec alia mira signa, quae saepius observasse sibi visus est idem auctor, — velut quod proloqui non potuerit aegrotus, nisi post tertiam quartamve quamque vocem certam quandam inculcaverit, vel quod alius omnino praeter singulas quasdam et certas voces alias proferre nequiverit — apud nostrum aegrotum reperimus. Quod tardiora aegroti responsa insecuta sint, in ejus rei caussa esse visum est, non quod verborum oblitus fuerit, sed quod, ut supra jam in historia memoravimus, difficile ipsi fuit, ut ex sententiarum, quibus modo inhaeserat animus, nexu se liberaret inque alias transiret. Sin autem hoc factum erat, tum responsa celeriter recteque insecuta sunt, neque soni varietate caruerunt. Celerius tamen, quam solitus est, loqui tentantem facile vox fefellit.

Sensuum et diversarum functionum status. Oculorum acies, quae in Durandi Fardelii observationibus saepissime debilitata occurrit, in nostro aegroto haud imminuta, nec in odoris sensu ulla est perturbatio cognita. Libenter tamen concedo, hunc sensum parum fortasse mihi curae fuisse. Nervi enim olfactorii, qui in sectione et ipse emollitus repertus est, ea fuit conditio, ut non plane intactum fuisse odoris sensum jure colligere posses. In auditu et gustatu nihil abnorme observatum est.

Quod ab corporis pastum attinet, omnis quidem obesitas vividusque oris color afuit, quae Durandus Fardelius in iis plerumque encephalomalaciae obnoxiis observavit, qui neque contracturis neque membrorum capitisve doloribus laboravere, neque tamen ante ultimos vitae menses, per quos febri obnoxius aegrotus ciborum quoque fastidium prae se ferebat, ingentesque ex latissimo illo decubitu dolores perferebat, ulla usquam macies apparuit; soli qui paralysi occupati erant musculi paululum imminuti. — Verbo adhuc monebo omnem satietatis sensum in aegroto nostro defuisse, id quod in cerebri morbis et tumoribus praesertim haud raro quidem accidit, neque tamen in encephalomalaciae, quas ego inspexi, morborum historiis memoratum reperi. Non audeo hoc signum cum processus pathologico-anatomici sede conciliare. — Digestionis organa, nisi quod tardius munere suo functa sunt, nihil abnorme ostendunt.

*) *Durand Fardel's Abhandlung über die Hirn-Erweichung, übersetzt von* Dr. *Eisenmann, S.* 249, § 46.

Digitized by Google

Quodsi jam breviter, quae in casu nostro maximi esse videantur, colligimus, primum efferendum erit, quod per septennium duraverit morbi processus nullis fere signis pathologicis indicatus; nulla in eo paralysis signa, nullae convulsiones, nulli denique capitis dolores; dein vero advertendum, quam subito et incesserint et increverint postea signa. — In fine operis hoc addere liceat, quod strepitus illius, qui in abdominali vivi hominis aorta nec alibi auditus erat, justa causa per sectionem non potuit indagari; nam levem istam degenerationem atheromatosam, quae in uno ejus loco reperta est, nihil huc pertinere quivis videt.

THESES.

1) Contra pertussin medicamen specificum non existit.

2) In eczemate chronico internum remedium optimum Arsenicum est.

3) Thoracentesis est rejicienda.

4) In peritonitide puerperali opio melius remedium inveniri non potest.

Digitized by Google

1856. VII.
MEDIC. XII.

DE

PEDIS AMPUTATIONE

EX

PIROGOFFII METHODO INSTITUTA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

IOANNES FRIDERICUS CHRISTIANUS ENGELBRETHUS RIEDELL

HADERSLEBIENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVI.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *W. F. G. Behn*,

h. t. Decanus.

Digitized by Google

Quum ante haec tempora, ubi incesserant ossium tarsi morbi, quorum pede integro servato desperata sanatio videbatur, illico crus et in ipsa quidem crassissima surae parte amputare mos obtinuerit, nostris jam temporibus justior sine dubio ea promulgata est lex, ut integri tantum, quantum fieri possit, conservandum, et nonnisi partes morbo infectae semovendae sint. Hoc igitur quasi axioma amplexi complures jam exstiterunt diversarum methodorum auctores, quomodo pes sive ex parte sive totus exarticulari possit. Sic Chopartius exarticulationem in articulatione calcaneo-cuboidea et talo-naviculari instituendam proposuit usuque probavit. Aliae deinceps, quo modo totus pes in articulatione tibio-tarsali exarticuletur, methodi a Baudensio, Rouxio, Symio sunt commendatae; neque tamen ex his, nisi Symiana, utpote quae convenientissima videbatur, in plurimorum medicorum usum recepta est. Pirogoffio *) vero, postquam quinquies ipsi ex praescripto Symii amputationem instituenti infeliciter res ceciderat, ita eam methodum mutare in mentem incidit, ut non jam calcaneum ex posteriore lobo integrum exsecaret, sed post sustentaculum tali eundem medium serra secaret, dein utrumque malleolum in basi dissecaret, et utriusque secando effectam planitiem coaptaret jamque persanare tentaret. Instituit autem rem in hunc modum: falcis ductum proxime ante malleolum externum orditur, dein directum ad perpendiculum deorsum ad plantam usque deducit, tum transversum per plantam agit, denique ad perpendiculum denuo sursum ascendentem usque ad malleolum internum educit, ibique ita, ut paucis lineis a malleolo absit, in partem anticam exeuntem finit. Ita omnes molles partes usque ad calcaneum persecantur. Altera semilunari et in adversum convexa sectione prioris sectionis exitus conjungit et molles dorsi pedis partes persecat; tum pede fortiter extenso articulationem tibio-tarsalem ita aperit, ut ligamentum capsulare extenso pede et ipsum extensum semilunari et in adversum convexa sectione dissecet. Deinde ligamenta lateralia quoque dissecat haec: ligamentum

*) *Klinische Chirurgie, Heft I.*

Digitized by Google

fibulare tali anticum et posticum et ligamentum fibulare calcanei in exteriore, ligamentum deltoides in interiore latere; denique luxato extensione modica talo posteriorem ligamenti capsularis partem persecat caute, ne tendo Achillis et arteria tibialis postica laedantur. Jam vero tantum abest, ut quemadmodum Symius calcaneum exsecet, ut eundem in sustentaculi tali regione medium dissecet; serram autem ita perduxit, ut semper ea in priore ista sectione persistat. Pede sic remoto anteriorem parvum cutis lobum a malleolis solvit, utrumque simul malleolum in basi serra persecat, dein posteriorem lobum in adversum retorquet et persectam calcanei planitiem faciei glenoidalis tibiae admovet applicatque, ut calcaneus cum extremis cruris ossibus confervescat. Commoda, quae sua sibi methodo assecutus esse videatur, Pirogoffius recenset haec:

Primo tendo Achillis non persecatur. Quo fit, ut detrimenta, quotquot ea laesa incedere solent, evitentur.

Alterum ex priore consequitur commodum, quod posterioris lobi haud tenuior exsistat basis, quam cacumen; cutis enim in lobi basi cum fibrosa tendinis Achillis vagina juncta manet.

Pro tertio commodo afferendum est, quod posterior lobus non, quemadmodum ex Symiana methodo, pilei in modum cameratum evadat, sed formam induat, quae minus spatii praebeat, quo pus coacervetur.

Pro quarto crus jam superest uno et dimidio digitis et ultra interdum longius, quam in ceteris tribus methodis, qui processus calcanei posterior in lobo relictus, eo quod cum extremis cruris ossibus coalescit unius et dimidii digitorum longitudine id adauget, itaque

Quintum commodum affert, scilicet pro fultura est, qua insistat aegrotus.

Pirogoffio in libro supra laudato tres casus recensuit, in quibus hac methodo usus est, eoque satis probavit et sanationem recte ita posse institui, et truncum ita superstitem aptissime incessum adjuvare. Primo loco tricesimo anni domini millesimi octingentesimi quinquagesimi secundi mensis Maji die in tredecim annorum puero scrophuloso, qui ossium tarsi carie laboravit, hujus methodi utilitatem expertus est. Persanatus est, quantum optari potuit, intra duos menses puer. Anno elapso restiterunt quidem adhuc in cicatricis superficie fistulae duae parvulae, nihilosecius tamen aegrotus commode trunco innitebatur et sine baculi ope incidere valebat. Alter casus pueri erat quindecim annos nati et habitu cachectici. Is sectionem primo ejusdem anni mensis Septembris die passus est. Secundo mensis Novembris die fere persanatum vulnus, et septimo mense praeterlapso sine baculi adjumento aegrotus trunco innixus est. Tertiam hujusmodi amputationem Pirogoffius in robusti corporis operario, viginti unum annos nato instituit. Hujus jam sanatio tardior, quam duorum istorum puerorum, procedebat. Decimo ejusdem anni mensis Novembris die instituta est amputatio, crebri vero puris abcessus sanationem differebant. In amputato crure duo, quae jam ante amputationem affuerant, ulcera restabant, neque ea sedecimo

Digitized by Google

insequentis anni mensis Februarii die adhuc erant persanata. Alterum ulcus fistulosum factum erat, utrumque aeque ac fistulae etiamtum in cicatrice superstites scorbuticum prae se ferebant statum. Remediis antiscorbuticis tamen et omni aegroti naturae subventum est, et ulcera ista in melius curata sunt. Ulcera anni millesimi octingentesimi quinquagesimi tertii mense Aprili sanata erant, fistulae vero in cicatrice etsi imminutae superstites tamen etiam nunc aderant. Interea alter quoque pes simili, atque prior, morbo correptus erat. Quo factum est, ut quoniam lectum adhuc relinquere non poterat aegrotus, nondum in comperto esset, utrum trunco is commode uti posset, necne.

Quodsi jam hosce casus consideramus infitiandum non est, satis lentam sanationem processisse; praeterea id mali praetervidendum non est, quod diuturnae istae fistulae natae sunt. Sin autem cum his, quos enarravimus, casibus eos comparamus, qui ex methodo Symiana curati sunt, jam cognoscimus utrosque et eodem fere sanationis tempore indigere et fistulas saepe relinquere. Wutzerus*) tres casus, in quibus Symiana methodo usus est, memoriae prodidit. In primo casu post undecim demum hebdomades absoluta est sanatio; in altera duodecim quidem dies suffecerunt, attamen ita, ut post octo menses superstites essent etiamtum necdum persanatae fistulae. In tertio casu duorum mensium cura opus fuit. In alio casu, quem B. Langenbeckius**) enarravit, duorum mensium cura non suffecit. Güntherus***) octoginta unum casus collegit, e quorum numero quinquaginta duo prospero cum successu curati sunt, minore tamen majoreve singuli temporis spatio. Undecim ex amputatorum numero intermortui sunt, alii pyaemiae, alii puris abcessui, alii gangraenae succumbentes. Ceteris post complures adeo menses nondum restituta est inambulandi potestas. Jam igitur computantes amputatione ex Symiana methodo instituta multo plus, quam ex Pirogoffiana decurtari crus, duos istos, quos priores amputavit. Pirogoffius pueros commode et sine baculi fultura trunco innixos ineedere potuisse, curandi tempus in utraque methodo parum differre, et certe praenunciari non posse, non possumus profecto, quin methodum Pirogoffianam scientiae nostrae lucrum hanc mediocre attulisse profiteamur; id quod casibus deinceps enumerandis magis adeo probatum erit. Exstitit tamen, qui hanc methodum prorsus damnaret, Dr. Rossius, Altonanus,****) cujus verba referam: „Chirurgi sunt," inquit, „qui novam quandam a Pirogoffio propositam methodum, cujus tres perhibent fuisse prosperos successus, illico amplectentur. Satius tamen fuisset, si cujus alioquin non ignoro merita, Pirogoffius hoc invento scientiam nostram non locupletasset." Argumenta, quibus contra illum nititur Rossius, haec sunt: contendit in casibus a Pirogoffio enarratis non satis nos de ipso rei exitu edo-

*) *Deutsche Klinik No.* 31, 1851.
**) *Deutsche Klinik No.* 35, 1850.
***) *Lehre von den blutigen Operationen, 7te Lieferung, Seite* 391.
****) *Deutsche Klinik No.* 38, 1854.

Digitized by Google

ceri; ex iis, quae aliorum experientia probata sint, colligi non posse Pirogoffianam methodum ex hac parte Symianae aequiparandam esse. Porro ulli usui esse amputato, quod unius et dimidii digitorum longitudine crus augeatur, praefracte negat; neque jam in amplo et bene referto trunco incessurum esse, sed in trunco tenui tantum cute superinduto, tuberoso, praeacuto tanquam super grallis se libraturum; unde mox necesse sit decubitus oriatur et insequatur deinceps cruris amputatio. Nimium tamen fuisse in Pirogoffianae methodi vituperatione Rossium, modo accuratius rei rationem excusseris, vix infitiaberis. Quod enim primo loco objecit, de exitu casuum a Pirogoffio enarratorum certiores nos non fieri, id recte tamen de solo ultimo dicit. In altero casu memoriae mandat Pirogoffius, aegrotum inter ambulandum trunco inniti neque baculi fultura indigere. Fistularum quum mentionem non faciat, jure videtur colligi perfectam fuisse sanationem; praesertim quum in primo casu haud oblitus sit indicare superfuisse post annum fistulas etsi exiguas et in superficie tantum inhaerentes. Superstites vero ejusmodi fistulas, etiam si ex methodo Symiana gesta sit res, restare posse, in casibus supra enumeratis cognovimus, neque ipse Rossius negat, superstites istas fistulas incommodum esse utrique methodo, Pirogoffianae aeque ac Symianae proprium. Sin autem dein Rossius asseverat, adauctam ex methodo Pirogoffiana cruris longitudinem usui non esse agroto, jure quidem in hunc modum professus esset, si recte haberet, quam deinceps proposuit, sententia, scilicet relictum ex amputatione truncum non sufficere, quo insistat homo. At testis exstit Pirogoffius, quos priores amputavit, ambos commode trunco innixos esse. Quod recentiore experientia confirmatum et comprobatum sit, jure nobis videmur judicare, minoris rem aestimasse Rossium. Si enim attenderis, quod ex methodo Symiana crus trium plerumque, ex Pirogoffiana contra, si maxime, unius tantum digiti longitudine decurtatur, facile concedes hoc certe momento hanc praestare. Exigua enim pelvis inclinatione, quod inter extremitatum longitudinem interest, discrimen exaequatur; id quod, si ex Symiana methodo gesta est res, fieri non jam potest, tum enim excelsiore calceo semper utatur aegrotus necesse est. Cutis vero, cui inambulans aegrotus insistit, in utroque casu eadem est, sive ex Pirogoffiana, sive ex Symiana methodo pes est amputatus, neque igitur insanabilis decubitus ex illa magis, quam ex hac metuendus, praesertim quum, modo accuratius calcaneum inspicias, ante oculos sit, posticam ejus planiciem minime esse acutam, immo satis latam atque amplam, tubera autem in eo exstantia parum prominere, quam ut cutem ita facile laedere possint.

Praeter Pirogoffii istos casus compluries jam haec amputatio est instituta, et in casibus, quorum accuratior ad nos pervenit notitia, eo successu, ut majore jam fiducia eam amplecti liceat. Non enim id solum illis casibus probatum est, quod hac via truncum formetur usui aptissimus, sed hoc etiam alterum, quod sanatio tam celeriter procedere potest, ut vel ideo Symianae methodo si non anteponenda, certe

Digitized by Google

aequiparanda sit Pirogoffiana. Sic Schuhius,*) Vindobonensis, vicesimo septimo anni millesimi octingentesimi quinquagesimi tertii mensis Octobris die operarium annos viginti tres natum secundum Pirogoffii methodum tam prospero eventu amputavit, ut ossium sanatio per primam intentionem subsecuta, et cutis vulnus post sex hebdomades prorsus fere sanatum sit. Truncus in hoc casu tribus tantum lineis erat decurtatus. Dissectis malleolis parum sibi congrua esse neque ejusmodi, ut sibi invicem aptari possent ossium segmenta cognitum est. Nova igitur sectione ossis particula in cunei, cujus basis in postica tibiae parte similitudinem formata semovenda fuit; quae quidem sectionem instaurandi necessitas postea quoque iis, qui hanc operationem instituerunt, nonnunquam accidit. Hoppius,**) Basilensis, quinto anni millesimi octingentesimi quinquagesimi quarti mensis Maji die hominis quinquaginta quinque annos nati pedem hac methodo amputavit. Coaptatio haud difficulter successit et sanatio per primam intentionem intra quatuordecim dies insecuta est. Quarta jam hebdomade aegrotus pro sano dimissus est. Etiam Otto Weberus,***) Bonnensis, eadem operatione Pirogoffiana operarium triginta septem annos natum amputavit. Huic, ut Schuhio, in ossium coaptatione difficultates ortae, ita ut et ipse cuneatam ossis partem altera sectione discindere coactus sit. Octo post dies maxima jam lobi pars conferbuerat, et post sex hebdomades duae tantum fistulae residuae erant. Varia tamen, quae intercedebant, impedimenta sanationem morabantur, ita ut post quintum demum mensem aegrotus trunco insistere et inambulare posset.

Quum profecto non solum doctrinae medicae intersit, sed etiam exercentibus artem nostram plurimum utilitatis afferat, ut casus, in quibus sive et Pirogoffiana sive ex simili quadam methodo amputatio sit instituta, in publicam notitiam veniant — quoniam quae de utriusque methodi Symianae et Pirogoffianae praestantia mota est lis, nonnisi comparato singulorum casuum eventu dirimi et dijudicari potest — gratissimum nobis accidit, quod duorum novorum casuum enarratione hasce litteras augere jam potestas sit. Curati isti a Dr. Esmarchio, nosocomii nostri chirurgici directore.

CASUS PRIMUS.

Dorothea Schnoor, quadraginta duos annos nata, fabri lignarii cujusdam rustici uxor quinto anni millesimi octingentesimi quinquagesimi quinti mensis Julii die in nosocomium Fridericianum recepta est. Statura est media et robusta, sed propter longe perseverantem suppurationem valde debilitatum est corporis robur. Pater ejus haemoptysi laborasse dicitur, et mortuus esse tuberculosi. Ipsa est mater quatuor puerorum, quorum unus scrophulosus est. Bona per omnem adolescentiam valetudine usam anno tamen aetatis vicesimo scarlatinam se sustinuisse professa est. Novem

*) *Wiener medicinische Wochenschrift No.* 1, 1854, *und Schmidt's Jahrbücher No.* 4, 1854, *Seite* 74.
**) *Dessen medicinische Briefe, 6tes Heft, Seite* 177.
***) *Deutsche Klinik No.* 2, 1855.

Digitized by Google

abhinc annos dextri pedis digitus secundus causa non perspicua dolere incepit, rubefieri, turgescere. Paullo post pus cutem perrupit et complures ossium partes defoliatae sunt. Modo recrudescentis, modo sanescentis pedis conditio eadem per tres annos durabat. Tandem absoluta, nisi quod digitus in brevius erat contractus, videbetur adesse sanatio. Brevi temporis spatio interjecto, abhinc igitur sex annos, pes in ejusdem digiti articulatione metatarso-phalangea vehementer dolere incepit et turgescere. Tumor mox diffundebatur in totum pedem usque ad articulationem tibio-tarsalem; paullatim vero, remediis quibusdam adhibitis, evanuit, relicto tamen tumore quodam, medium imprimis pedem accupante. Abhinc quinque annos tumor in utroque pedis latere recrudescebat, et in interno quidem latere in regione corporis tali, in externo in regione ossis cuboidei. Postea complures perforationes ortae sunt, quarum nonnullae rursus confervescebant. Qua in pedis conditione femina semper negotia sua curabat, et nonnisi vehementius ingravescente malo lecto se retineri passa est. Ante has octo hebdomadas febris et copiosa secretio saniosa incessit, et vires eam celeriter deficiebant. Postquam duae perforationes ortae sunt, altera in pedis latere externo, altera in latere interno pedis in regione articulationis talo calcanei, febris evanuit, et aegrota rursus convaluit.

Status praesens. Digitus primum affectus morbo hyperextensionem praebet, phalanges tertia et secunda servatae sunt, prima e contrario parvam praebet extensionem. Totus pes vastius tumet; molles ejus partes sunt infiltratae, et in profundo sentire possumus fluctuationem. In parte externa exsistunt duae singulares ossium fistulae, per quarum unam penetrare possumus ad os cuboideum, quod asperum et molle est tactu; per alteram ad os cuneiforme tertium. In parte interna similis est fistula exorta infra malleolum internum, per quam penetrare possumus ad regionem articulationis tibio-tarsalis, nusquam vero ad calcaneum. Super hanc fistulam altera exstat, per quam specillum ducere possumus ad internam tali superficiem. Totus pes valde est extensus; motus articulationis tibio-tarsalis magnopere impeditus est, sed parvos creat dolores; eundem in modum sese habet motus articulationis talo-navicularis. Exploratione viscerum pectoris cognitum est, in regione infraclaviculari dextera esse sonum percussionis non multum attenuatum, et asperum esse respirationis strepitum; ceterum neque in reliquis visceribus quidquam abnorme potuit inveniri.

Quum ob magnas pedis ossium destructiones sanationem servato pede adduci non posse appareret, signa vero deessent, quibus calcanei posteriorem partem affectam jam esse carie poteret, die septimo mensis Julii amputatio secundum Pirogoffii methodum suscepta est, quamquam duae post malleolum internum ortae erant fistulae. Dissectus calcaneus hyperaemia se affectum et mollem praebuit, sed nusquam cariosum; inferior autem cruris ossium pars carie erat affecta, ut pars quaedam cuneiformis, cujus basis postica tres, cacumen duas et dimidiam centimetros lata, amputanda esset. Coaptatio facillime successit, et cruentantibus arteriarum ramis ligatura

Digitized by Google

substrictis lobus posterior sutura nodosa ad crus figebatur et tum adhibebantur cataplasmata frigida.

Pedis exploratio anatomica late diffusam ostendit pedis ossium destructionem. Os cuboideum magnam ostendit cavernam, in qua sequester est, qui per medium occupat centimetrum. Articulatio talo-navicularis destructa, motus sublatus est, et totum articulationis cavum obliteratum est tela fibrosa. Articulationes phalango-metatarsales primi et secundi et tertii pedis digiti sunt anchyloticae, ossa cuneiformia cariosa sunt, eorumque articulationes quoqueversus degeneratae. Eundem in modum articulatio calcaneo-cuboidea et talo-calcanea anterior degenerata est, posterior autem normalis apparet. Articulatio tibio-tarsalis quoque inflammata est, ossaque, quae eam constituunt, emollita, partim cariosa; et in corpore tali invenimus tuberculum magnitudine fabae.

Duabis horis post operationem vehementes doleres in vulnere incedebant, qui vero mox Morph. acet. gr. ¼ dato evanescebant. Pulsus, paullum durus, centies quator in sexagesima repetitus est. Aegrota nauseabat ex adhibito chloroformio, sed non vomuit. Parva quaedam haemorrhagia secundaria erecto pedis situ et applicato sacculo glacie pleno facillime suppressa est. Cibi appetitus deest.

Postero die aegrota pallum a viribus defecta erat, sed procedente die se recreavit. Pulsus matutino tempore nonagies sexies repetitus; in vulnere dolor non aderat. Vespere paullulum ardoris incessit, pulsus centies vicies in sexagesima repetitus. Datum aegrotae est Natr. nitric. Dr. ij in Aquae destill. Unc. vj. et vespere Morph. acet. gr. ¼.

Die mensis Julii nono. Aegrota per noctem bene dormivit, dolores nunc non sentit. Procedente die valetudo bene se habuit et incessit cibi appetitus. Vespere questa est de inflationibus, ardorem sensit, pulsus centies octies in sexagesima repetitus est. Datum est Electuar. lenit. et vespere Morph. acet. gr. ¼.

Decimo mensis Julii die. Vulnus exceptis angulis per primam intentionem coalescere videtur. In angulis tantum vulneris puris aliquid coiit, quod ut facilius defluueret, duae sunt solutae suturae. In universum valetudo bene se habet.

Duodecimo mensis Julii die. In parte externa, quae vulnera circumjacent, rubefacta sunt et calida, sed majorem dolorem in iis partibus non sentit aegrota. Removentur reliquae suturae, neque hanc ob rem margines vulneris diffinduntur.

Sexto decimo mensis Julii die. Removentur ligaturae. Lobus posterior quum loco motus esset, crus, ut situs melior fiat, in machina Heisteriana positum est. Quia vero ossium coaptatio eo situ non potuit servari,

die mensis Julii vicesimo emplastrum adhaesivum in hunc finem applicatum est. Celerime nunc sanatio procedit; in media tantum cicatrice exstat ulcus profundum,

Digitized by Google

ex quo defluit pus copiosum sed bonum. Ulcus conjunctionem habet cum ea, quae in lobo posteriore remansit fistula.

Sexto decimo mensis Augusti die. Conjunctio fistularum, quae nominatae sunt, permanet adhuc; sed ipsae fistulae paullulum coëunt. Conjunctio ossium coaptatorum firmitatem quandam jam ostendit.

Tricesimo mensis Augusti die. Ex fistulis non jam pus defluit, calcaneus satis firmiter cum tibia coaluit. Valetudo quum in universum optime se habeat, feminaque sanitatem corporis prae se ferat, dimittitur ea conditione, ut spatio quodam temporis interjecto rursus ad nosocomium veniat.

Die quinto demum mensis Julii anni saeculi nostri quinquagesimi sexti rursus advenit femina. Quatuor adhuc fistulae exstiterunt, quarum tres erant in cicatrice, quarta post malleolum internum, et eadem quidem, quae post operationem remanserat, sed per nullam earum ad os quoddam penetrare potuimus. Truncus satis magnam ostendebat basin, nec omnino acutus erat; cutis quae in basi erat, satis crassa et ad insistendum apta; et quod attinet ad cruris longitudinem, amputatum crus tribus tantum centimetris brevius erat sano. Quin membro uteretur femina, fistulis tantum prohibebatur, quae tamen sine dubio, modo recte curatae fuissent jam dudum sanatae fuissent. Femina nunc curationi se subjiciet sanandis fistulis intentae, neque dubitamus, quin brevi tempore sanari possint fistulae, ita ut tum femina libere uti possit pede.

CASUS SECUNDUS.

Christina Arp duodeviginti annos nata altero anni millesimi octingentesimi quinquagesimi sexti mensis Junii die ob pedem morbo affectum in nosocomium Fidericianum recepta est. Statura ejus est media, corporis figura imbecilla, valde est macie tenuata et laborat e sudoribus nocturnis. Aegrota, quae antea semper sanam se fuisse contendit, dicit duos abhinc annos pedem erysipelade aegrotavisse quod tamen remediis non adhibitis evanuerit. Die vero, quo evanuit rubor, in opere rustico pedes humore irrigati erant, et statim rursus incessit rubor cum tumore et dolore pedis conjunctus. Semper tamen negotia sua obibat, neque medicum ullum consulebat. Tum demum, quum dolor eam impediebat, quin uteretur membro, medicum in consilium vocabat. Curatus est pes more antiphlogistico, sed quum quietem necessariam non conservaret, paullum tantum convaluit aegrota. Tumor remansit, sed evanuit dolor, ita ut rursus usitata negotia obiret, neque medicum in consilium amplius vocaret. Mox autem pes rursus ingravescebat, ita ut aegrota iterum medicum consultare coacta esset, qui eam diversorum unguentorum inunctione curavit. Rursus pes melior factus est, remansit autem, dum movebat pedem, dolor quidam, quem tamen non respiciens aegrota continuo usu pedem confecit. Paullatim rursus tumor incessit et septem abhinc hebdomadas in interno pedis margine in regione articulationis phalango-metatarsalis primae pus cutem perrupit. Mox a medico, qui eam curavit in interno

Digitized by Google

pedis margine tumor in regione ossis navicularis prominens aperiebatur, et quatuordecim abhinc dies sua sponte tertio pus cutem perrupit in pedis dorso supra os cuboideum. Tum, quum aegrota recipiebatur in nosocomium, exstiterunt tres illae fistulae, per quarum secundam autem solam ad ossa potuit penetrari. Penetravit specillum per hanc fistulam in locum articulationis talo-navicularis, ubi ossa erant aspera et emollita tactu. Totus pes valde intumuerat, et pressus dolebat; motus ejus non facile nec sine multo dolore institui potuerunt, nisi in articulatione tibio-tarsali. E fistulis profluit pus copiosum.

Explorato pectoris cavo sonus percussionis in regione infraclaviculari dextera attenuatus cognoscebatur, et audiebatur strepitus respirationis asper et brochialis; in visceribus abdominis nihil abnorme inventum est.

Quum pedem sanari et servari non posse statim appareret, quum deinde articulatio inter talum et os naviculare sine dubio male infecta et utrumque os esset cariosum, calcanei autem degenerationem quandam adesse nondum liqueret, die quinto mensis Junii pes amputatus est secundum Pirogoffii methodum. Resectione autem ossium facta non potuerunt ossa coaptari. Coactus igitur erat Esmarchius, ut resecaret a tibiae et fibulae parte extrema partem quandam cuneatam. Vasis cruentantibus ligatura substrictis, conjungebatur cutis vulnus sutura nodosa, et adhibebantur cataplasmata frigida.

Explorantibus pedem amputatum ostendit sese late diffusa caries fere omnium tarsi ossium. Obliterata erat articulatio talo-navicularis tela fibrosa, quae vicinae erant ossium partes, cariosae erant. Eundem in modum articulatio calcaneo-cuboidea erat degenerata. Inflammata erant omnia ossa cuneiformia, et degeneratae omnes eorum articulationes. Hallucis articulatio phalango-metatarsalis anchylotica. Articulatio talo-calcanea anterior quoque inflammata, ossa emollita; articulatio autem posterior normalis. Calcaneus dissectus praeter parvam quandam injectionem nihil mutatum ostendit.

Post operationem non incessit reactio; pulsus quidem acceleratus erat, sed sequente die jam constanter repetitus. Sequentibus quoque diebus nullae turbae incesserunt dignae, quae memorentur, excepto catarrho gastrico, qui vero idonea cura adhibita celeriter evanuit. Dum cutis vulnus partim per primam, partim per secundam coalescebat intentionem, valetudo aegrotae manifesto melior facta est. Sanatio per primam intentionem ita processit, ut parvi quasi pontes formarentur, qui tegebantur epidermide, residuis inter eos lacunis quibusdam suppurantibus. Tribus peractis hebdomadis ossium conjunctio jam firmitatem quandam ostendit, quae semper augebatur. Lacunae supra commemoratae semper minores fiebant, hodieque die vicessimo quarto mensis Julii quatuor tantum resistunt parvae fistulae haud profundae, per quas nusquam ad ossa potest penetrari; et quas verisimile est, brevi tempore prorsus sanari posse. Extremitas amputata duabus et dimidia centimetris tantum brevior facta est.

Digitized by Google

Jam quoniam in utroque casu a nobis observato nondum plena atque perfecta insecuta est sanatio, in medium proferre quidem non possumus, quam apti commodique trunci evasuri sint; nulla vero adest causa, cur dubetimus, quin absoluta sanatione nostri aegroti truncos consecuturi sint aeque commodos, atque illi, de quibus in casibus antea memoratis sermo fuit. Memorabile est, quod, quamvis late diffusa esset ossium tarsi caries, calcanei tamen processus posterior in utroque casu sanus atque integer restiterit. Otto Weberus,*) qui hac quoque de re disquisivit, reperit eam ipsam calcanei partem nonnisi rarissime a carie occupari. Refert scilicet, inter tredecim ossa tarsi carie affecta, quae egregie praeparata in Bonensi collectione asservantur, unum tantum exemplar exstare, in quo processus calcanei posterior et ipse infectus sit. Nihilomimus tamen non solum omnibus in praeparatis ossium tarsi caries late et diffusa, sed in nonnullis cruris adeo ossa satis late correpta sunt. Quae quidem Weberi observatio utroque nostro casu confirmatur. Quare omnibus in casibus, ubi non certa in processu calcanei posteriore cariei signa ante oculos sint, recte de ejus integritate confidere nobis videmur. Quae quum ita sint et quum tam bene in casibus memoriae traditis successerit res, satis certi judicamus, methodum Pirogoffianam, ubi recta adsint indicia sine ulla dubitatione accipiendam esse. Sin autem dissecto calcaneo manifestum foret, partem ejus in lobo ralictam cariosam esse, tum difficile non fore putamus, ut ea apta forcipe arrepta excidatur.

*) Deutsche Klinik No. 2, 1855.

THESES.

1) Extractio optima cataractae amovendae methodus.

2) Pelvis oblique ovata ante partum diagnosci non potest.

3) Ventilatio in typho abdominali optimum remedium.

Digitized by Google

1856. VII.
MEDIC. XIII.

NONNULLA
DE
CASU MYOCARDITIDIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

IOANNES IACOBUS CHRISTIANUS THEODORUS FLORUS BECKER
BREDSTADIENSIS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR.
MDCCCLVI.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *W. F. G. Behn,*

h. t. Decanus.

Digitized by Google

Myocarditis morbus est perrarus et plerumque cum endocarditide aut pericarditide conjunctus, sive quod illa ab inflammatione alterius harum membranarum altius progressa sive quod membranarum inflammatio a myocarditide in stratis superficiei vicinis grassante profecta sit. Omnes fere in eandem sententiam abeunt auctores diagnosin hujus morbi esse difficillimam, immo vero haud constituendam, quippe quae sola fere absentia certior reddatur symptomatum alios morbos cordis significantium. Huc si accedit, quod raro tantum sectione nobis praebeantur, quae ad inflammationem altius progressam pertineant, morte prius jam allata paralysi, facile est intellectu, unde factum sit, ut ipsum morbum negare conarentur. Attamen quum hunc morbum exstare anatomia pathologica probatum habeamus, quae erit causa, cur inflammatio telam muscularem cordis tam non possit afficere, quam ceteros musculos? Recte probaverit Rockitanskius, myocarditidem non tam saepe evenire, quam endocarditidem, saepius tamen, quam vulgo putemus. Symptomata nobis desunt certa, ex quibus aegroto adhuc vivente myocarditidem conjiciamus; illa autem, quae nomine pathognomonicorum amplexi sunt auctores, non myocarditidi soli, sed aliis etiam cordis morbis tribuenda esse nobis videntur. Omissa enarratione symptomatum, quorum ne unum quidum certum sit, concedatur mihi, majorem diligentiam adhibere explicationi casus in instituto clinico Kiliensi observati, quem myocarditidem esse habendum putavimus.

Puella, octo annos nata, bene alita et alacris adhuc bona semper valetudine fructa erat. Abhinc hebdomadibus aliquot eczema capillitii, tumentibus etiam glandulis cervicis, sanandum medico tradiderat. Ex aliquot diebus de levibus pectoris doloribus interdum conquesta est, quamquam erat ejusdem fere, cujus antea, et bonae valetudinis et magnae alacritatis. Subito deinde die undevicesimo mensis Novembris tempore vespertino angore pectoris vehementi et animi perturbatione magna oppressa est, ut in lecto collocaretur. Quo facto cietur vomitio, qua lumbricus dejicitur. Convulsiones universae et vehementissimae nocte erumpunt. Medicus tum accitus puellam quum inveniret valde turbidam, sui impotem, neque loquentem nec satis

Digitized by Google

respondentem quaerentibus, frigida fomenta capiti admoveri jussit. Convulsiones nocte saepius ingruisse dicuntur. Puellam dic proximo post in latus pronam dextrum, imo in ventrem cubantem vidimus. Corporis fuit agitatio fere perpetua; extremitates tum flectebantur, tum extendebantur, puella a lecto superiorem corporis partem tum tollente, tum velut fatigata in lectum relabente.

Conscientia quamvis obtusa non erat exstincta, ut suo nomine vocata puella oculos opertos aperiret obtutumque in circumstantibus figeret. Rigidi erant oculi, pupillae magnopere dilatatae vix lucis accessu afficiebantur. Quaerentibus nobis, doloremne sentiat, in pectore, inquit puella. Aliud ut diceret aliquid, moveri nequiebat. Cutis erat subfrigida, facies exsanguis et leviter tumida. Arteriae radialis pulsus parvus, frequentissimus fuit, ita ut per horae partem sexagesimam centies et quadragies a nobis sentiretur. Respiratio eximie celeris saepe interrupta erat inspirationibus ab imo pectore cum gemitu quodam protrusis. Cordis ictum suo quidem loco, usitato tamen multo sensivimus vehementiorem. Utrumque cordis sonum clarum percepimus et purum. Pulmones auscultantes respirationem vesicularem undique animadvertimus. Pectoris percussione, qualemcunque exercere potuimus, nobis persuasum fuit, nulla ibi esse vitia. Alvus mollis erat; pressu aegrotus dolorem nullum neque voce nec vultu prodiit. Per dies aliquot alvi obstructione laboraverat, quare oleum Ricini praebitum est. Ad vesperum tenus exinanitiones liquidae aliquot alvi consecutae sunt, unde sex lumbrici dejiciebantur. De morbo quae supra scripta sunt, majora etiam et magis exstiterunt manifesta. Semetipsam enim continuo in lecto jactans atque extremitates extollens puella iterum ac saepius se erigere frustra conata est; per breve tantum tempus tranquilla erat, tum si inter jactandum forte in ventrem prona cubuit. Conscientia etiam magis obtusa nobis videbatur. Licet nomine appellata puella oculos aperuisset, nullo tamen modo, ut loqueretur, commoveri potuit. Aquae praebitae cupidius aliquid ac saepius absorpsit. Facies atque extremitates frigidae erant mirum quantum. Pulsationes nullae arteriarum radialium sentiri poterant; cordis ictus eximie fuit firmus et contractionum frequentia erat aucta. — Aure apposita pectori usitata sentiebatur cordis sonorum consonantia nullo strepitu alieno intermixta. Locos cordi adjacentes vehementibus aegrotae motibus impediti difficulter tantum inquirere potuimus. Inde a cartilagine tertiae costae deorsum sonum audivimus depressum; hic sinistrorsum fines ultra normales usque ad mammam audiebatur, dextrorsum autem finiebat ad medium sternum. Respiratio ita erat accelerata, ut per sexagesimam horae partem spiritus sexageni quaterni interrupti inspirationibus alte petitis animadverterentur. Hirudines octo ad locos circa cor positos applicandas curavimus nec non cochleare infusi herbae digitalis purpureae (e Scr. j parat. Unc. vj) semihora quaque singula puellae praebendum.

Die proxime sequenti aegrotam invenimus sedatiorem, in ventrem pronam cubantem. Mane summissiore voce conquesta esse dicebatur de pectoris dolore ango-

Digitized by Google

reque nec non quaerentibus nobis de eodem dolore spirandique difficultate questa est. Quum potum deinde concupivisset, nulla re, ut ampliora diceret, incitari potuit. Ita a me posita, ut supina cubaret, vehementissimae statim membrorum jactationes denuo ingruerunt. Facies valde tumida atque extremitates admodum erant frigidae. Pulsus arteriarum radialium quamvis minimi sentiri potuerunt per horae partem sexagesimam centies vicies octies. Cordis ictus magnopere erat vehemens. Prosperius etiam, quam heri, sonus depressusu locis cordi adjacentibus sursum maximeque sinistrorsum normales ultra fines audiebatur.

Webero Professori, hoc tempore instituti clinici duci, persuadebatur, utrumque cordis sonum et supra ventriculos et supra regionem originis magnarum arteriarum nullo strepitu intermixto manifeste audiri. Pulmones erant integri. Respiratio fuit moderatior, ut per horae partem sexagesimam spiritus animadverterentur quadrageni bini. Alvi dejectiones liquidae aliquot erant cpnsecutae. Charta exploratoria coerulea urina rubefacta est, fervefacta solidum coagulum dejectum est. Intermixta acido nitrico diluto urina uberrimum albumen contineri vidimus. Inspicientes microscopo quae subsiderant, haud concretiones fibrinosas cylindiacras, magnam tamen copiam crystallorum rhombicorum acidi urici invenimus; Curavimus, infusum illud digitalis purpureae, dosibus tamen minoribus, posthac amplius etiam aegrotae esse praebendum.

Aegrotam visentes die sequenti, morbum cognovimus non immutatum. Noctem postquam continua vexata perturbatione pervigilavit, interdiu etiam in lecto multum jactabatur; erat tamen magis sui compos, quum et potum concupisceret et matulam flagitaret. Nihil tamen quaerentibus nobis respondit. Cutis temperatio pulsusque iidem erant, qui heri. Alter cordis sonus nobis videbatur bipartitus, quasi magnarum arteriarum valvulae semilunares in diastole haud aequo temporis momento extenderentur, sono cordis diastolico puro et claro exstante. Spirandi difficultas alvique dejectiones aliqua ex parte erant remissiores. Urina aliquot horis ante exinanita magnam copiam salium acidi urici, quae frigescente illa subsiderat, multumque albuminis continuit.

Die ejusdem mensis vicesimo tertio meliusculam se habuit puella. Quum enim per noctem dormiisset, mane escam flagitaverat. Quaerentibus nobis tum etiam satis respondit; de vertigine, capitis stupore quodam pectorisque dolore questa est. Turbidi illi motus prorsus deerant. Cutis erat calida, pulsus plenior per partem horae sexagesimam centies octies sentiebatur. Cor auscultantibus nobis strepitus quidam asper in diastole animadvertendus erat. Regione ictus cordis clarissime audiebatur. Quem primum intrantem quin sonus ille cordis bipartitus, die proxime praecedenti auri se praebens in diastole, indicasset, haud potuit dubitari. Sonum cordis systolicum purum audivimus et clarum. Strepitus, quem dixi, diastolicus, postquam clarior etiam et major die auditus est proxime sequenti, multo remissior erat die tertio.

Aegrota de nulla alia re conquerebatur nisi de lassitudine, infirmitate quadam et levi pectoris angore. Urina die vicesimo sexto mensis Novembris majore copia

Digitized by Google

exinanita minimum continuit albuminis. Aegrotae singulis diebus sequentibus mixturam liquoris Kalii acetici praebendam curavimus.

Ultimis mensis Novembris diebus ictus cordis usitato quidem firmior adhuc audiebatur, sed strepitus ille, de quo dixi, prorsus defuit; sonus diastolicus percipiebatur purissimus; in systole autem levem quendam inflatum audire nobis videbatur. Quem diebus jam paucis post audire desivimus.

Sexto die mensis Decembris puella e lecto surgere potuit, usque quidem infirma alioquin tamen bene se habens. Urina nullam albuminis significationem praebuit. Ictus cordis adhuc usitato firmior erat nec aliter atque priore tempore sonum animadvertimus depressum locorum cordi adjacentium ultra fines usitatos sursum sinistrorsumque versum. Neque haec res aliter se habuit die decimo quinto. Stethoscopii usu aliud quidquam ab usitato discrepans non animadvertimus.

Difficultates magnae illae in casibus acutae carditidis, quibus impedimur, quin minus exacte intelligamus, qualis sit morbus, hoc etiam casu satis superque disquirentibus nobis obstiterunt. Et minimo pulsu radiali, qui primum vix potuit sentiri, deinde nos plane defecit, et ictu cordis firmiore reddito cordisque contractionibus inusitate acceleratis, his quidem omnibus ut cor sedem morbi existimaremus, facile sumus inducti. Attamen adjumenta ea, quibus ad cognoscendos morbos certissime uti solemus, valebant tam parum, ut nihil certi primis diebus exstaret, unde diagnosin sumeremus. Locos cordi adjacentes percutientes fines ultra usitatos sonum quidem admodum depressum audivimus,, maxime famen ea via, qna observari non solet, si pericardium liquore extensum ut ad pectoris parietem proprius accedat, cogitur. Nobiscum autem reputantes, qua via sonum usitato depressiorem audicerimus, dilatationem sinistri ventriculi exstare existimavimus. Quae ante morbum fortasse adfuerat dolore haud magno excitato. Ne tamen putaremus, dilatationem nobis se praebere myocarditide aut endocarditide effectam eo monebamur, quod cordis ictus etiam firmior esset usitato, unde intelleximus, telam muscularem contrahendi facultatem nequaquam amisisse, neque igitur dilatationem exstare illam, quae esse soleat, contrahendi facultas musculum si desierit. Quid enim? Restituta omnem in sanitatem puella, quum inter eosdem fines, quos antea, a nobis percutientibus sonus depressus audiri posset, conjiciendum erat, sonum etiam ante morbum eodem fere ambitu contentum fuisse. Attamen auscultantibus nobis cordis soni quum primis diebus pari audirentur, nullo strepitu commixto alieno, nihil certi tum nacti sumus, unde existimare liceret, exsudationem esse consecutam in membrana cor intrinsecus investiente. Quibus reputatis omnibus, morbum myocarditidem habendum esse existimavimus.

Ex eo, quod quinto aegrotandi die strepitus quidam asper in diastole audiebatur, hunc morbum non sine alterutrius membranae aegrotatione fuisse, conjiciendum erat. Strepitus originem in interiore cordis cavo nec in pericardio nobis esse quaerendam idcirco putavimus, quia strepitus cum diastole eodem tempore prorsus con-

Digitized by Google

grueret, cordis sono systolico purissimo exstante et clarissimo. Conjecimus igitur, in endocardio collocata esse exsudata, quae sita in valvulae bicuspidalis superficie ad atrium spectante, sanguini e sinistroatrio in sinistrum fluenti ventriculum in diastola obstitissent stridorique illi dedissent originem. In endocardio exsudata tam brevi tempore, quam factum esse hoc in casu, conjecerimus, collocari posse et causam in iis inesse stridoris in sanguinis circulatione audiendi, auctores sunt non pauci, at utrum observatum unquam sit, ejusmodi stridorem tam celeriter, quam hoc in casu abiisse, de hac quidem re in scriptis, quae nobis sunt in manibus, nihil invenimus.

Denique eodem in casu hoc erat dignum notatu, quod albumen mox evanescens, mox rediens renibus erat secretum. Quod sicut faciem tumidam inde deducere putavimus, quod sanguis, impedito in cor refluxu, parietes vasorum peripherice sitorum vi presserit majore.

Quod attinet eczema capillitii supra dictum, jam vetustiores medici de nexn inter cordis morbos et cutis morbos chronicos saepius observato scripserunt. Etiam Zehetmayerus hunc nexum exstare vult atque e sanguinis depravatione cordis dilatatione effecta deducenda esse exanthemata existimat, nec non impetus asthmaticos saepe insequentes suppressa exanthemata chronica magna ex parte e cordis dilatatione et vitiis hanc insequentibus emanare contendit.

Digitized by Google

THESES.

Gastromalacia aegroto adhuc vivente non exstat.

Causa diabetis melliti omnino incerta.

Uteri inversio post partum repositionem statim postulat.

Cor sanguinis circulationis non sola est causa.

Digitized by Google

1856. VII.
MEDIC. XIV.

NONNULLA
DE
DESCENSU TESTICULI IMPERFECTO.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

LAURENTIUS CHRISTIANUS AUGUSTUS ROLL
SLESVICO-HOYRANUS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR.
MDCCCLVI.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *W. F. G. Behn*,

h. t. Decanus.

Digitized by Google

Chirurgiae finis profecto non modo in corporis partium ad functionem normalem diutius non aptarum et pseudoplasmatum remotione versatur, verum etiam, quod majoris momenti esse videtur, ars haecce organa vario modo mechanico laesa conservare eorumque continuitatem et contiguitatem perturbatam natura adjuvante restituere, quin organa imperfecte evoluta perfectiora reddere et defectus corporis molestissimos quasi devincere et explere valet. Huc spectant aciurgiae recentioris gloriam augentes resectiones, transplantationes et operationes primae formationis vitia removentes, ut staphyloraphia, operatio labii leporini et quae sunt reliqua. Attamen chirurgiae auxilium non minus hisce primae formationis vitiis postulatur, quam ad sequelarum remotionem, quas impedita aut retardata quoad situm normalem partium evolutio efficere potest. Quibus prae ceteris molestiae et noxae adnumerari debent, quas testiculorum descensus impeditus aut retardatus secum ducere solet. Quare operae pretium fore arbitrati sumus pagellis insequentibus naturam, causas, sequelas, diagnosin et therapiam descensus testiculi justo diutius in cavo abdominis aut iis, quos in descensu percurrere debet, locis retenti pro viribus tractare, praesertim, quum ejus diagnosis justo tempore et accuratius peracta noxas inde exortas praecavere possit. —

Testis quoad normam nono graviditatis mense canalem inguinalem intrans ante partum in serotum descendit. Tantum autem abest, ut justo semper tempore et perfecte descensus hicce testiculi perficiatur, ut modo nunquam, modo imperfecte aut tempore serotino appareat. Hinc variae cryptorchismi species. Cryptorchismus quoad numerum et tempus perfectus non ita saepius offertur, quoniam non desunt casus, qui descensum testiculi vicesimo demum vitae anno peractum testantur. Eo frequentius descensus testiculi retardatus et imperfectus observatur, qui non ita raro ad diagnoseos errores periculosiores ducere potest. Quod attinet ad testiculi descensus imperfecti frequentiam, varia nobis a viris experientissimis tradita sunt:

Digitized by Google

Wrisbergius [1]) inter infantes 103, viginti et unum cum descensu imperfecto observavit; frequentius latere sinistro quam dextro offerri affirmat. Cui quidem sententiae Petrequin et Quetelet[2]) repugnant, qui dextro latere saepius impeditam hancce evolutionem videbant. Contra Wrisbergii observatio experientia Dr. Marshall[3]) confirmatur, qui inter milites 10,800 perscrutationi legali subjectos, quinque invenit, quibus testis dexter, sex, quibus testis sinister in scroto deerat. — Alii[4]) utramque sententiam negant et descensum imperfectum in utroque latere aequabiliter frequentem offerri dicunt.

Nonnunquam testis eundem locum obtinet, quem partu peracto tenet. Alioquin descensus quidem retardatur, sed paucis hebdomadibus post partum aut brevi ante pubertatem perficitur. J. Hunter[5]) contendit, descensum perfectum saepissime inter annum secundem et decimum observari. Wrisbergius[6]), semel die natali, ter tertio die post partum, bis die quinto, semel die vicesimo post partum videbat, testiculi descensum perfectum reddi. In reliquis autem, quos observavit, casibus descensus pluribus post partum hebdomadibus nondum peractus erat. Quae quidem observationes in praxeos usum testantur, descensum retardatum, nisi primo vitae anno peragatur, rarius perfectum reddi sine herniae sequela. Namque causae, quae serius descensui perfecto obstant, aequo modo dispositionem herniosam offerunt.

Aetiologia descensus testiculi retardati accuratiore adhuc perscrutatione indiget et quidem eo, quod casus observati perquam raro investigationis anatomicae occasionem praebent.

Causae descensus testiculi retardati obscurae partim adhuc et dubiae. Tum e testiculo ipso tum e conditione partium finitimarum viarumque denique, quas testis percurrere debet, repetendae esse videntur. — Quod ad testiculum ipsum attinet atrophiae ejus, ni fallor, non ita raro descensus impeditus tribuendus. Idem in aliis evolutionis deviae casibus obvium. Etenim dentio manca cademque retardata apparet evolutione maxillarum impedita. Optime hanc sententiam investigatio accuratior genitalium monorchidis adulti, quae in museo anatomico Kilonensi conservantur, testatur. Testis dexter in scroto est, et structuram et magnitudinem normalem exhibet. Testis sinister in abdomine retentus prope ad introitum canalis inguinalis collocatus imperfecte evolutum tantum sese praebet. Canalis inguinalis saccum sacco hernioso similem a peritoneo formatum continet. Hujusce sacci faciem externam altera membrana serosa circumdat, cujus conditio et ratio accuratius investigari nequit. Testiculus

1) Observationes de testiculorum descensu. pag. 200. Götting. 1778.
2) Gazette medicale de Strassbourg. No. 10. 1843.
3) Hints to young medical officers in the army. p. 83.
4) Curling treatise on the deseases of the spermat. cord and scrot. pag. 50.
5) J. Hunters works by Palmer. Vol. IV, p. 15.
6) Observ. de testic. descensu. p. 203. Götting. 1778.

Digitized by Google

atrophicus sacculo crassiore circumdatus est, cujus cavum cum sacco illo peritoneali canalis inguinalis cohaeret. Nusquam cum partibus finitimis coalitus est. Epididymis longitudine 6 — 7‴ plana et laxa offertur. Vas deferens conditionis normalis ex ea oritur. Textura epididymidis nil nisi fibrillas telae cellulosae interstitialis et ne rudimenta quidem tubulorum seminiferorum exhibet. Testis ipse ovalis, planus, conditione laxa diametrum longitudinalem 10‴ exhibens cum epididymide tela cellulosa laxiore cohaeret et incisione facta structuram granulosam ostendit. In eo singuli tantum iidemque dispersi tubuli seminiferi conspici poterant, quorum decursus contortus ope liquoris natri caustici perspicue, apparebat. In hoc casu partes finitimae igitur nullum descensus impedimentum obtulerunt, cum saccus testem circumdans conjunctionem liberam cum sacco peritoneali in canali inguinali obvio exhiberet, neque atrophiae causa ex iis repeti potuit, quia nusquam adhaesiones testis cum peritoneo abdominisque visceribus exstabant, quae testiculi evolutioni perfectae obstare potuissent. Item vasi deferenti, quod ad testis rationem justo minus quidem sed texturae normalis erat, nullo modo testis atrophia tribui potuit.

Inter partes finitimas, quatenus causam descensus impediti exhibere solent, primum cremasteris mentionem faciamus oportet, qui manca evolutione ad descensus testiculi retardationem conferre videtur. Monendum enim est, inter varios corporis musculos cremasterem diverso evolutionis gradu praestare, quem apud varios homines offert. Quum autem hoc discrimen post partum observetur, verisimilius est, in statu foetali quoque evolutionem musculi hujus hic illicque variam offerri, ita, ut imminuta cremasteris innervatio prae ceteris descensus testiculi retardationi faveat. Ne mirum igitur, si musculus paralysi, etiamsi imperfecta, affectus, imperfectum quoque testiculi descensum efficiat. Eodem modo impedita musculorum innervatio in statu foetali alia quoque vitia adnata velut pedem varum, valgum et caetera provocare valet. —

Alii deinde et praecipue J. Hunter vasis deferentis brevitatem accusant, cui sententiae investigationes a Mayo[7]) et Rosenmerkel[8]) institutae obstant, qui nunquam descensum testiculi retardatum cum vase deferente justo breviore observaverunt.

Prae ceteris autem secundum investigationes anatomicas peritonitis vitae foetalis velut descensus testiculi retardati causa accusanda. Satis enim notum est, testem, si hernia adnata adest, saepius cum aliqua intestinorum parte aut cum omento majore coalitum esse atque adhaesionibus ectopiam intestinorum effectam esse, dum haec simul in scrotum descendunt. E contrario eaedem adhaesiones impedimentum descensus testiculi normalis exhibent, quod vi cremasteris removeri nequit. Sic Cloquet[9]) in corpore viri senilis, cui testis sinister in scroto deerat, testem occultum ligamento fibroso, albido cum flexura sigmoidea circa pollicem super apertura posteriore canalis

7) Human physiology. Edit. III. pag. 411.

8) *Ueber die Radicalkur des in der Weiche liegenden Hodens.* pag. 80.

9) Recherches sur les causes et l'anatomie des hernies abdominales. p. 24.

Digitized by Google

inguinalis coalitum invenit. Wrisbergius [10]) etiam in infante paucis diebus post partum mortuo, testem sinistrum in scroto deficientem prope ad aperturam posteriorem canalis inguinalis tribus filamentis cum omento videbat concretum. Pari modo Dr. Simpson [11]) in foetu aencephalico testiculum dextrum absconditum lympha coagulata circumdatum observavit, quae cum integumento peritoneali fossae iliacae dextrae arcte cohaerebat. Item Jobert [12]) testem dextrum prope ante annulum inguinalem internum cum coeco concretum vidit. Curling [13]) deniqne testem sinistrum deminutum subter annulo abdominali cum omento coalitum animadvertit, et facile testem sinistrum viri propter descensum testiculi imperfectum curae medici traditi per annulum abdominalem promovere et ejus conjunctionem cum parte in testinorum detegere potuit, quae omnes situs testis mutationes sequebatur. His casibus e multis, qui ad sententiam nostram spectant, enarratis peritonitidem partialem saepe descensus impediti causam habendam esse satis nos demonstrasse credimus.

De viis, quas testis in descensu percurrere debet, J. Hunter [14]) praecipue ex angustia fissurae musculi obliqui abdominis externi annulum abdominalem conformantis testis in annulo abdominali remansionem repetendam esse, annuente Wilson [15]) censet. Huc quoque spectat casus a Delasiauve [16]) litteris traditus testis margine cruris externi annuli abdominalis jnsto magis prominente retenti, qua observatione haec J. Hunteri sententia satis adjuvatur.

Conditio testiculi aut omnino absconditi aut in descensu retardati majoris profecto momenti tum quoad physiologiam, tum quoad medicinam forensem, si de facultate aut impotentia generandi agitur, est. Secundum J. Hunter [17]) testiculi in abdomine retenti justo evolutionis gradu et secernendi facultate carent. Nihilo tamen secius ipse casum potentiae virilis perfectae vidit, qua cryptorchis gaudebat. Contra dubiam J. Hunteri opinionem Owen monet, testes plurium animalium viscera abdominalia per vitam totam esse et in iis, quibus descensus competit, testiculos absconditos magnitudine tantum et forma testibus in scrotum descensis cedere. Hinc verisimile est, situ testium in abdomine occulto quantitatem forsan secreti deminui, vix autem qualitatem ita perturbari, ut cryphorchides generandi facultate careant. Curling [18]) quidem in homine annos sedecim nato testem dextrum in abdomine absconditum eadem magnitudine et structura, quam infans secundum annum agens offert, vidit, quo J.

10) Observationes de testic. descensu. p. 229.

11) Contributions to intrauterine pathology, Edinburgh medical et surgical Journal No. CXXXVII and CXL.

12) Traité des maladies chirurgicals du canale intestinale. Tom. II, pag. 332.

13) Treatise on the deseases of the spermat. cord and scrot. pag. 52.

14) J. Hunters works p. 16. Vol. IV.

15) Lectures on the urinary and genital organs. pag. 405.

16) Revue medical. Mars 1840. pag. 363.

17) Libr. citat. pag. 18.

18) Treatise of the deseases of the spermat. cord and scrot. pag. 55.

Digitized by Google

Hunteri opinio adjuvare videtur. Attamen in hoc casu rariore testis cum coeco et processu vermiformi concretus erat, cui rei atrophia testis observata rectius, ni fallor, tribuenda. Etenim in omnibus monorchidismi casibus a Cloquet, Astley Cooper et Bright[19]) observatis, testes in scroto observati forma tantum et magnitudine testibus absconditis praestantiores, qui minores et aliquantulum complanati apparebant et semper tubulos seminiferos continebant.

Alia autem testis conditio in canali inguinali aut subter annulo abdominali retenti offertur, quam ad rem firmandam nonnullos tantum e multis, qui observati sunt, casibus enumeremus necesse est. Sic Cloquet[20]) in viro annos triginta nato testem sinistrum in canali inguinali justo minorem, omnino complanatum et atrophia mutatum invenit, ita, ut tactu solo detegi non posset. Epididymis sub teste sita vasculis tenuibus cum hocce conjuncta nullos tubulos seminiferos ostendit, quibus testis ipse etiam carebat. Pari modo in homine pthisi affecto Curling[21]) testem sinistrum in canali inguinali animadvertit hujusce conditionis: dimidium vix magnitudinis normalis exhibuit et ne rudimenta quidem tubulorum seminiferorum ostendit, quorum loco tela albida, fibrosa, tenuis se ostendit. Epididymis e paucioribus ligamentis constat et vas deferens justo minus est. Hydrargyrum injectione in vas deferens immissum epididymidis initium tantum assecutum est. Bis insuper auctor idem testem ante annulum abdominalem canalis inguinalis atrophicum invenit. Paletta[22]) etiam in monorchide vasa spermatica et vas deferens lateris sinistri usque ad exitum tantum canalis inguinalis cognoscere potuit, quo loco in filamenta membranacea commutabantur, quae quoque prope ad symphysin ossium pubis in telam cellulosam strictiorem transibant, quae fila subflava membranae propriae expertia continebat, rudimenta dico testis sinistri, licet vasa spermatica et vas deferens usque ad haecce fila non tenderent. Ceteroquin Petrequin testem in canali inguinali scirrhosum se vidisse contendit.

Ex iis, quae modo commemoravimus, patet, testem in canali inguinali aut ante annulum abdominalem rententum saepius atrophia affectum aut imperfecte evolutum inveniri, quam si in abdominis caro remaneat. Quare cryptorchismus nullas fere molestias exhibet et generandi facultas vulgo non deesse solet.

Si autem descensus testiculi in canali inguinali aut ante annulum externum canalis hujus retardatur, testis unoquoque fere musculorum abdominis motu, quin quaque femoris flexione fortiore premitur. Accedit quod organon tenerioris structurae his locis laesionibus mechanicis, ictibus, manipulationibus et, si de diagnosi agitur, bracheriorum pressioni magis expositum est. Quo fit ut dolores vehementiores alia-

19) Hospitals raporis. Vol. II, p. 258.

20) Recherches sur les causes et l'anatomie des hernies abdominales. pag. 23.

21) Libr. citat. pag. 57.

22) Nova gubernaculi testis etc. pag. 112.

Digitized by Google

que symptomata graviora testis situ hocce effici possint, qui modo mechanico repetitis vicibus laesus ad atrophiam aut ad structuram deviam perveniat.

Majoris momenti profecto descensus testiculi retardati sequalae. Cryptorchides perfecti enim non ita raro melancholiae sese tradunt qua ad suicidium provocantur, ut Curling[23]) de juvene medico refert, qui propter cryptorchidismum suicidio vitae finem imposuit. Quare sententiae, quam Pott[24]) proposuit non omnino consentire possumus, qui omnia situs testium abdominalis damna neget. Namque praeter vim nocivam cryptorchismi in animum cryptorchidis, morbi testis in abdomine absconditi aut in canali inguinali retenti, velut orchitis facile ad peritoneum et viscera eo circumdata transire possunt. Cujus rei exemplum diarium[25]) nosocomii London-hospital nominati affert. Puer decem annos natus omnia peritontidis gravioris universalis symptomata et collapsus initium ostendens in nosocomium receptus erat. Quatuor diebus ante pede condiscipuli ictum in regionem inguinalem dextram acceperat, quem statim dolores vehementes, sensim ingravescentes sequebantur. In canali inguinali dextro exploratio tumorem extensum, resistentiae gravioris ostendit; testis dexter in scroto deerat. Necroscopia peritonitidem totalem, abcessus duos in fossa iliaca dextra offerebat et prope ad aperturam externam canalis inguinalis dextri testis structurae omnino deviae in magna puris copia obsesvatus est. Tunica vaginalis propria adhuc usque ad peritoneum tendebat. Ictus igitur orchitidem suppurativam effecit, ex qua deinde peritonitis universalis orta erat. — Graviori dispositio ad herniarum ortum testiculi descensu imperfecto provocatur. Namque tum haece via visceribus ad ectopiam offertur aut intestina adhaesionibus cum teste conjuncta descensu hujus simul protrahuntur Exempla docent, intestina ante testem adhuc in cavo abdominis absconditum in canalem inguinalem intrare, aut testem, qui canalem jam permeavit, insequi aut secundum testiculum adhuc in canali inguinali retentum in scrotum descendere. Frequentior igitur haecce descensus testiculi imperfecti cum herniis complicatio. Hinc haud scio an quoties offeratur et hernia adnata et descensus testiculi retardatus simul cognosci possint, quod quidem in singulis, qui offerantur, casibus accuratiore investigatione indigeat.

Facilius testis in canali inguinali aut ante canalem inguinalem obvius cum hernia commutari potest. Saepe enim tumor velut hernia removeri potest et omissa pressione redit. Diagnosis difficilior adhuc, si complicatio testis in descensu retenti cum hernia aut hydrocele adnata adest, et magis dubia adhuc redditur, si propter vim allatam fluidum sanguinolens aut serosum scrotum explet et ne de testis praesentia certiores simus obstat, et insuper vomitus, alvi abstructio et tympanitis, pulsus celeritas et collapsus herniam incarceratam adesse simulant et diagnoseos errorem

23) Libr. citat. peg. 54.

24) Chirurgical works, edit. IV. pag. 352.

25) A. Curling in lib. lit. pag. 63 relat.

Digitized by Google

efficiunt, qui operatione instituta cognoscitur, ut Delasiauve [26]) narrat. In catibus sine complicationibus modo monitis tumoris magnitudo, forma et resistentia, qui tussi non movetur, de ejus natura certiores nos reddunt. Accedunt dolor lipothymicus, ut ita dicam, tactu provocatus, testis in scroto defectus, canalis inguinalis partim tantum intumefactus, quae omnia symptomata quidem ad diagnosin verificandam valent. — Quid si fluida scrotum implentia diagnosin difficiliorem redunt? Tumoris tamen durities insignis, dolorum in tactu etiam levissimo vehementia, tumoris forma denique, qui canalem inguinalem non aequabiliter sed trasversim magis extendit, aut, si ante aperturam externam canalis inguinalis apparet, angulum obtusum cum regione inguinali non offert, sed quasi annuli diametrum transversam aequat explorantis animum ad veram rei conditionem advertere possunt. Ita in casu testis inflammationis in canali inguinali cum sanguinis in scroto extravasatione copiosissima complicato, Pott [27]) haec testis signa sequens incarcerationis symtomata, quae acerbissimo in modo aderant, minoris momenti ratus, operationem non instituit, sed purgantium fortiorum usu tractus intestinalis permeabilitatem et testem inflammatum in descensu retardatum ostendit. Quae modo monebantur, casus sequens a me observatus testatur:

J. W. pusio anni quadrantes tres natus ita decidit, ut coxae articulatio valde flecteretur. Subito post clamorem edidit doloresque vehementes indicat simulac femoris flexio instituebatur. Contra quiete in dorso jacens nullum doloris signum edidit. Parentes perterriti infantem explorant et tumorem inveniunt, quem herniam esse arbitrati sunt. Horis quatuor post status hicce aderat: infans quietus in situ dorsali horizontali clamorem edit simulae musculi abdominis moventur aut corporis flexio antrorsum aut femoris flexio truncum versus instituitur. In annulo inguinali canalis inguinalis dextri tumor firmus, laevis, ovalis, nucis juglandis magnitudinem dimidiam aequans detegitur, magis symphysin ossium pubis quam scrotum versus tendens, qui jam tactu levissimo dolores vehementes excitat. Inter tumorem et abdominis cavum canalis inguinalis omnino non impletus videtur, nedum tumor ipse in cavum abdominis transire offertur. Cute normali tectus tumor connatibus taxis repetitis in canalem inguinalem premi potuit. Vomitus, alvi intumescentia aliaque herniae incarceratae symptomata nondum aderant, attamen infantis facies pallida, singulus ea non longe abesse satis demonstraverunt. Scroti exploratio testem sinistrum normali in loco detegit; testis dexter deerat. Hinc diagnosis testis in canali inguinali retenti et corporis commotione contusi et inflammati aperta. Taxis non ita difficilior, attamen non sensim tumoris circuitu paullatim, ut in hernia, deminuto perficitur, sed conditionem strictam, firmam, ovalem tumor retinens subito evanuit et in abdominis cavum reversus est. Taxi peracta incarcerationis symptomata subito desierunt, infans pluri-

26) Revue medicale pag. 381. Mars 1840.

27) Chirurgical works, edit. IV. pag. 352. case I.

Digitized by Google

bus diebus post adhuc sanitate perfecta gavisus nulla inflammationis in abdominis cavo praesentis vestigia ostendit.

Postquam nunc exposuimus testem in cavo abdominis retentum quoad functionem vulgo non laedi, eum autem in canali inguinali laesionibus variis expositum esse, facere non possumus, quin in casibus iis, qui testem inflammatum in canali inguinali exhibeant, repositionem indicationem unicam et congruam esse censeamus, praesertim quum constet, descensum rarissime perfectum fieri, nisi usque ad vitae annum decimum peractus sit. Repositioni symptomata subito cedere jam casu supra enarrato testari conati sumus. Alter casus idem testatur: F. K. annos viginti natus jam annos octo hernia inguinali lateris dextri se laborasse dicit, quae saepius dolores vehementes et tum omnia incarceratae herniae symptomata offerret. Testis sinister in scroto adest, testis dexter deest, cujus canalis inguinalis apertura externa tactu detegi non potest. In canali inguinali dextro prope ad ejus annulum abdominalem tumor durus, ovalis invenitur, qui pressione leviore dolores vehementes excitat, doloribus testis pressi similes. Qui tumor non modo pressione moveri potest, verum etiam nonnunquam sponte in abdominis cavum evanescit. Laesione mechanica intumescit et herniae incarceratae symptomata offert, quae repositione solum removeri possunt. Bracherio aegrotus usus, quo testis in abdomine perfecte retinetur, omnibus molestiis, quibus antea laborabat, liberatus est. Eandem curandi methodum Petrequin et Lawrence[28]) commendant.

Quaerendum tamen, num in infantibus bracherii usus quoque aptus censeatur repositione peracta. Vix autem dubitari potest hic quoque obturationem quasi canalis inguinalis remeduim optimum et unicum fore, quum experientia edocti simus, semper fere, si descensus ultra annum secundum retardetur, herniae ortum verisimilem esse, cujus evoluiionem adhaesiones cum intestinis etiam adjuvant. Ante anni secundi finem igitur descensui obstare ineptum videtur, nisi herniae praesentia hic quoque indicationem urgentem exhibeat. Testiculi repositi inflammationis propapatio ad peritoneum nen timenda, quum testis tali in casu repositio non magis peritonitidis insequentis periculum secum ferat, quam intestinorum incarceratione inflammatorum repositio, quam auctores omnes in hernia curanda commendant. Si autem repositio propter majorem intumescentiae inflammatoriae gradum institui non potest, methodo antiphlogistica, narcoticis et balneis tepidis primum utendum est. Quibus quoque frustra adhibitis, nil nisi partium incisio, quae testis stragulationem efficiunt, restat, quae secundum Francogallos subcutanea esse debet. Quibus e rebus, quas supra commemoravimus, nos de testis intestiorumque repositone et bracherii usu, quoties testiculi descentus incompletus cum hernia complicationem offerat, dubitare non posse, vidimus. Testis ante canalis inguinalis aperturam externam siti descensum vario modo perficere studc-

28) On hernia, pag. 571.

Digitized by Google

bant auctores. Quam ad rem efficiendam Malgaigne bracherium cum scuto concavo commendat, cujus ope testis in laesiones externas muniatur, descentus perficiatur et herniae ortui praecaveatur. Nihilo minus hujus bracherii effectus a chirurgis imperfectus et symptomaticus habetur. Fuere alii, qui operatione cruenta testis descensum perfectum talibus in casibus reddere conati sint. Talem operattonem Prof. Koch, monacensis, instituit, quam Rosenmerkel hisce verbis enarravit:

„*Der Patient war ein Mann von* 26 *Jahren, dessen rechter Hode erst im* 16*ten Lebensjahre vor der äusseren Oeffnung des rechten Leistenkanals erschien und bei Bewegungen solche Schmerzen erregte, dass diese gänzlich unterlassen werden mussten. Nach Spaltung der Haut durch Bildung einer Querfalte wurde von der Drüse in der rechten Leistengegend an bis zum Grund des Hodensackes ein Schnitt gemacht, die bedeckenden Theile gespalten, bis man eine geringe Fluctuation endeckte, worauf man eine kleine Oeffnung in der Scheidenhaut machte, aus der sich etwa eine Unze klaren Sermes ergoss. Der Hode war von beträchtlicher Grösse, aber weich. Als man ihn aus seiner Lage herabzog, fand man das* vas deferens *gewunden und varicös. Der Hode wurde nun in eine zu seiner Aufnahme vorbereitete Höhle eingelegt und durch eine in die Scheidewand des Sacks gelegte Naht befestigt, damit er nicht durch den* musculus cremaster *hinaufgezogen werde. Die Wunde heilte, aber der Hode zeigte eine Neigung in seine frühere Lage zurückzukehren und die Heilung erwies sich als lästig.*“

Quibus in casibus extremis nihil aliud quem testis in laesiones externas tutela et herniae praecautio effici potest, nisi propter molestias graviores castratio refugium ultimum adhibeatur necesse est.

Digitized by Google

THESES.

1) Conchae narium et valvulae Kerkringii organa similia.

2) Sectio bilateralis justa sectionis Celsianae interpretatio.

3) Sectio alta non omnino est rejicienda.

4) Suturae cruentae usus ad certiorem fistulae vesico-vaginalis curam cauterii applicatione praestantior.

Digitized by Google

1856. VII.
MEDIC. XV.

DE

CIRRHOSI IECORIS CONIUNCTA

CUM VITIO VALVULAE MITRALIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

EUGENIUS WILHELMUS ERNESTUS GOTTBURG

SLESVICENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVI.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *W. F. G. Behn,*

h. t. Decanus.

Digitized by Google

Etsi varii antehac scriptores varie interpraetati sunt cirrhosin, hoc tamen tempore in eam omnes fere convenerunt opinionem cirrhosin tela cellulosa effici neoformata, quae quum hepatitidis chronicae circum ramificationes capillarium jecoris ortae vi substantia telae cellulosae cum vasis in jecur intrans, exsudato imbuta egregio modo augentur,[1]) capillaria tandem jecoris et ductus biliferos comprimens, obliterans, ita jecur primum in stadio hyperaemiae tumidum diminuat functionibusque inhabile reddat. Jecur hac conditione abspectum praebet verrucosum et tuberculosum, singulis, ut ita dicam, lobulis constrictis prominentibus. In sequelas hujus jecoris atrophiae et descriptionem diligentiorem ejus conditionum symptomatumque ineundi, quia locus hic non est, hoc tantum omnibus notum commemorabimus, illustrissimum Rokitanskium nostrum duas statuisse species,[2]) quarum altera excessiva efficiatur dilatatione et evolutione ductuum biliferorum, vasa opprimentium et in formam verrucarum prominentium, altera ea, quam supra diximus, conditione telae cellulosae neoformatae. Rokitansky in hac re signum princeps, quasi pathognomonicum, superficiem jecoris esse asperam, verrucosam, tuberculasam ponit, itaque processus prorsus diversi generis uno „hepatis granulati" nomine complectitur. Secundum hanc opinionem formam quoque atrophicam hepatis myristicati[3]), quam saepe cum cirrhosi tela cellulosa neoformata in jecore effecta permisceri. Bamberger suspicatur[4]), sub eadem notione comprehendere nos oportet, quum in hac forma propter mechanica circulationis impedimenta sanguine venoso redundante parenchyma hepatis (quod ex colore flavo a vasis rubris distinguimus) plus minus compressum ad atrophiam duci itaque jecur substantia diminuta vasis prominentibus singulisque lobulis hyperaemicis adspectum praebere dicant asperum et verrucosum, qua conditione tunica serosa hepatis tela cellulosa neoformata crassata atque

1) Rokitansky, *Lehrbuch der pathologischen Anatomie.* *Wien* 1855. *Band* I. pag. 141 u. 142.

2) Rokitansky, *Handbuch der speciellen pathologischen Anatomie.* *Wien* 1842. *Band* II. pag. 334 u. ff.

3) Virchow, *Handbuch der speciellen Pathologie u. Therapie.* *Erlang.* 1855. *Band* VI, 1 (*Bamberger*) pag. 544.

4) Citato loco, pag. 567.

Digitized by Google

albicans appareat. Hanc formam eandem esse Bamberger suspicatur,[5]) quam rubram atrophiam Rokitanskii, quae paucis tantum ab hoc scriptore commemoratur[6]) quamque reliqui auctores speciem per se esse nondum statuunt. (Virchov, Wedl, Henoch, cet. rel.) Probabiluis quidem elucere videtur, formam atrophicam hepatis myristicati unam habendam esse cum cirrhosi, quum in hepate hyperaemico in duas partito substantias diverso colore imbutas, substantia jecoris paullatim obsolescente, hyperaemiae vi stasis denique efficiatur in vasis venosis capillaribusque dilatatis itaque paullatim tela cellulosa neoformata atrophia excitetur.

Qualiscumque autem sit haec res, summo tamen jure hoc positum artitramur, cirrhosin tela cellulosa neoformata effici. —

De caussis cirrhosis nondum satis convenit inter autores, nam etsi per se probabile apparet, vulgo caussas habendas esse diuturnas et frequentes hepatis hyperaemias, hoc de re tamen autorum opiniones in varias partes discedunt. Omnes quidem in aetiologia cirrhosis abusum alcoholis summi momenti esse concesserunt (quare „the gindrinkers liver" Brittannorum[7])) conveneruntque alcohole, quum ex tractu intestinali in venam portarum facillime diffundatur et in parenehyma hepatis transgrediatur, chronicam excitari hepatis inflammationem[8]). Momenti porro ab omnibus probati febres intermitentes sunt diuturnae et frequentes. Novissime Wedl[9]) neoformationem telae cellulosae in hepate atrophiamque ejus vi ortam ex his febribus progressam speciem per se nigricantem, statuere conatus esse videtur, attamen ipse casus paucos ab ipso observatos minime sufficere concedit, ex quibus aliquid majoris momenti deducatur.

Momentum testium a multis adductum, quod praecipue Francogalli[10]) omnes fere statuunt, novissime magis removetur, quin etiam in opere a Virchovio edito, a Bambergero prorsus negatur[11]) qui tabulas ab ipso collectas affert, quae quidem hanc opinionem defendunt quum triginta quatuor cirrhosis casuum nullum invenerit cum vitio cordis conjunctum et inter casus vitiorum cordis millies observatos duos tantum cirrhosis casus et hos quidem in potatoribus probatis. De iis quae ad hoc momentum constituendum tradiderint scriptores, suspicatur in iis, in quibus vitia cordis cum cirrhosi conjuncta apparuerint, casibus, formam atrophicam hepatis myristicati cum cirrhosi vera commutatam esse. Nostram de hoc atrophiae forma opinionem

5) Kochow, loco cit. pag. 544.

6) Rokitansky, *Handbuch der speciellen pathologischen Anatomie. Wien* 1842. *Band* II. pag. 314.

7) Cfr. Budd. etc. etc.

8) Magendie, C. Bernard et Beau, (Mem sur l'influ orce de l'ingestion de certains alimensirritans sur le developpement des maladies du foie, s. *Sitzung der* Societé méd. des hôpit. de Paris, 10. Avril 1850.

9) *Grundzüge der pathol. Histologie. Wien* 1853. pag. 513 u. ff.

10) Beiquerel (Arch. gener. 1840.)

11) Virchow, loco cit pag. 567.

Digitized by Google

supra jam professi sumus; non alienum autem huic caussae esse putamus contra hanc Bambergeri sententiam duos afferre casus in nosocomio academico hujus urbis observatos, in quibus vere cirrhosis vitio valvulae mitralis effecta esse videatur. —

CASUS PRIMUS.

H. St. juvenis duodeviginti annorum, mutilus et deformis, qui artem sartoriam exercens quaestum sibi parabat, secundo post Cal. Apriles die in nosocomium receptus est. Quamquam usque ad annum quartum decimum bona valetudine se fructum esse contendit, innumerae in collo cicatrices suppuratione scrophulosa glandularum lymphaticarum eum laborasse indicaverunt; in cornea sinistra, majorem partem explens, macula alba apparuit. Annos quatuordecim natum morbo se diuturno et cum vehementibus pectoris doloribus conjuncto, affectum esse, neque ab eo inde tempore bonam, quam antea, valetudinem unquam se recuperavisse sed spiritus angustiis cordisque palpitationibus se laborasse, aegrotus narravit. Abhinc annis duobus luteum oculorum colorem animadvertit; abhinc hebdomatibus nonnullis crura intumuerunt, postquam per longius jam tempus ventrem extensionem prae se tulit. Quaestio haec dedit signa: Colorem luridum integumentorum, colorem valde ictericum conjunctivarum, cutem siccam asperamque, crus utrumque oedemate tumidum, praeterea ventrem et aere et liquore in saccum peritonealem effuso extensum. Jecoris margo anterior manifeste penueris suc ultima costa spuria dextri lateris prominuit et scrobiculum cordis attigit. Lien admodum magnetudine auctus erat. Impulsus cordis tenuis animadvertebatur in spatio intercostali quarto. Regio cordis percussa sonum dedit obtusum fines normales excedentem. Regione impulsus cordis strepitus systolicus audiebatur, qui minus dilucide ramum a ortae supra distinguebatur. Sonus systolicus arteriae pulmonalis paullo auctus erat. Pulsus radiales parvi centeni fere numerabantur per singulas minutas. Pulmonum omnia inveniebantur catarrhi bronchialis signa. Aegrotus tussi vehementi et crebra vexabatur sputaque rara et spumosa expectorabat. Animi facultas turbatanon erat, neque aegrotus cibi capiendi cupidine sedibusque normalibus caruit. Faeces consistentiae luti abnormem colorem non praebuerunt. Urina per exigua pigmenti bilini vestigia continuit, albumen autem et acidum felleum nullum. Aegrotus aegre se commovens morosusque totum fere diem in lecto degit. Oleo terebinthinae adhibito copiosior urinae secretio effecta non est; urina per viginti quatuor horas secreta copiam viginti unciarum nunquam excessit, quum copia liquoris in abdomen congesti celerrime augeretur. Octavo post Idus Apriles die pilulae Heimii binae ter quotidie ordinabantur, per quas adhibitas copiosis sedibus serosis effectis, aegroti mala paullulum leniebantur, quum extensio abdominis diminueretur. Primo post Cal. Majas die oedema scroti accessit primaque liquoris in sinistrum pleurae saccum effusi symptomata observata sunt. Ultimo ante Idus Majas die pectoris latus sinistrum usque ad costam secundam sonum dedit plane obtusum corque ultra

Digitized by Google

dextrum sterni marginem propulsum distinxerunt jamque auscultatio quoque symptomata nonnulla cor spectantia mutata docuit, quum sonus diastolicus arteriae pulmonalis fortior nondum audiretur strepitusque systolicus dilucidissime regione ostii aortae ventriculique dextri discerneretur. Venae colli quarum antea nulla animadvertebatur dilatatio, extensiores apparuerunt et inter utramque sternocleidomastoidei dextri lateris originem venam jugularem internam, praecipue, quum aegrotus spiritum emitteret, pulsare cognitum est. Aegrotus quatuor vel quinque quotidie evacuationes dejecit, urinae autem parvam copiam excrevit. Postquam usque ad quintum post Idus Majas diem oedema pedum atque scroti extensioque abdominis paullum diminuta sunt copiaque liquoris in saccum sinistrum pleurae effusum usque ad costam quintam recessit, hoc die subito aegrotus in statum incidit comatosum et sequente die apnoea laborans repertus est. Maxime autem mirati sunt, quum scrotum pridie etiam valde tumidum oedemato vacuum abdomenque collapsum et molle invenirent, neque ulla liquoris copia percussione adhibita in abdomine discerni posset. Nox insequens mortem aegroto attulit. —

Obductio duodecim post mortem horas instituta haec dedit, quae sequuntur. Tunica cellulosa colli, extremitatum et pectoris sero infiltrata erat; multae apparuerunt sugillationes in tunica cellulosa subcutanea et in substantia musculari musculorum pectoralium majorum magnitudine lentis vel pisi. In pericardio modica affuit seri copia; cor modice magnitudine auctum, praecipue ventriculus dexter; tota cordis superficies maculis tendineis magnetudine lentis usque ad cerasi tecta. Substantia muscularis vix aucta; parietes cavorum cordis paullulum diametro amplificati; substantia muscularis fusca, pinguine infiltrata. Utrumque cordis cavum paullo dilatatum. Velum posterius angustum valvulae mitralis chordis tendineis inter se concretis et cum pariete ventriculi cohaerentibus facultate sese erigendi egens. Endocardium ventriculi sinistri variis locis parum dilucidum; in musculis papillaribus maculae exsudationibus effectae, quae colorem tendinum praebebant. Valvulae semilunaris et trienspidalis normalis. In sinistro pleurae sacco copia liquoris flavi, serosi quatuor fere librarum inveniebatur, quare inferior sinistri pulmonis lobus compressus, nec vacuus, lentus; lobus superior, sicut totus pulmo dexter oedemate oppletus. In cavo abdominali copia minor etiam reperta est liquoris subflavi. Splenis in triplum normalis volumen aucti tunica condensata, alba, parenchyma sanguine abundans, solidum.

Jecur, cujus marginem anteriorem, aegroto vivo, trium digitorum spatio marginem inferiorem costarum spuriarum superasse commemoravomus, nunc costis plane tectum, tota superficie anteriore peritoneo adhaerens dimidioque normali volumine diminutum inveniebatur. Omnes diametri minores erant, quam statu normali marginesque rotundati. Organum pressum magnam monstrabat consistentiam et colorem pallidum totamque superficiem asperam tumulosamque conspectui praebebat. Jecur

Digitized by Google

difficillime scalpellum immissum excipiens tumori fibroso duritie non cessit. Parenchyma exsangue erat. In iis, quae scalpello discindebantur partibus crassae tunicae cellulosae laminae oculo non armato discerni potuerunt, jecoris parenchymati colorem ictericum praebenti quasi rete candicans immixtae. Attamen planities vulneris scalpello effecti granulata non apparuit, sed plana erat at aequalis persiccaque. Microscopii auxilio adhibito fortes inveniebantur trabes telae cellulosae prorsus formatae. Cellularum jecoris pigmento bilino aliquantum imbutarum non paucae frequentes continuerunt pinguinis guttulas. Tunica mucosa vesicae felleae fluido impletae ullo colore egente, mucilaginoso, folliculos mucosos monstrabat granum milii magnitudine superantes. In mucosa ventriculi, ceterum formae normalis compluria erant extravasata majora. Intestinum tenue aere extensum liquorem continuit coloris albentis, integumentaque, quamquam crassa, facillime discerpere licuit. Ren uterque magnitudinem normalem superans, tunica propria facile remota, superficiem planam monstrabat. Parenchymati renis dextri sugillationes nonnullae inerant minores, superficiem prope sitae. Utriusque renis parenchyma, laxum, normali sanguinis impletum erat copia. Exploratio diligentior vasorum venosorum in cavo abdominali sitorum instituta non est. —

Hoc casu jam vivo aegroto ex cordis volumine paullo tantu mamplificato et ex vi seni dia stolici supra arteriam pulmonalem paullo tantum aucta cognoscere licuit, sanguinis per cor circulationem insufficientia valvulae mitralis non magnopere impeditam esse. Nam quamvis rem ita se habere venis integumentorum abdominis tumidis indicatum esset, attamen quum venae colli primum plane non tumuissent, factum illud circulationis vitio extra cor sito attribuendum erat. Certe enim vitium illud apparatus valvularum circulationem per venam cavam superiorem aeque impedivisset, ac per venam cavam inferiorem. Nimirum insufficientiam illam valvulae mitralis minoris tantum momenti fuisse in impedienda sanguinis circulatione, sectio ostendit. Falsam, vivo aegroto, de jecore acceperunt opinionem, quod quum trium digitorum spatio costarum spuriarum marginem superans margoque anterior antrorsum vergens manifestissime sentiretur, volumine aliquantum auctum esse opinati sunt. Liquore autem in sacco peritoneali subito tantopere diminuto, jecur marginem costarum spuriarum nondum suberabat, quin etiam post mortem normali magnitudini dimidio volumine cessit. Telae cellulosae ingenti copia per jecur formatae sanguinis circulationem per ramos venae portarum jecur perforantes summo modo impediri necesse erat, ex qua re egregia venarum integumenta abdominis percurrentium dilatatio prodiit et ascites. Venarum colli ante ipsam mortem tumidarum cor e situ normali hydrothorace lateris sinistri remotum caussam afferre licet, quum suspicari possimus, venae cavae hac deviatione compressioni alicui expositae evacuationem impeditam fuisse. Caussam situs abnormis jecoris volumine diminuti mutatique postquam liquor ex sacco peritoneali discessit situs, in parte superiore jecoris, tunicae peritoneali diaphragmatis tota

Digitized by Google

firmiter adhaerente, quaerere liceret. Sero enim in cavum abdominis effuso et hac de re abdomine in tantum volumen extenso totaque lamina parietali peritonei aliquantum distensa, quum cavum abdominis regionem minoris resistentiae versus, ergo antrorsum, volumine augeretur, partes peritonei parietem superiorem et posteriorem prope sitas hanc regionem versus loco moveri necesse erat, neque deesse potuit, quin jecur parti superiori peritonei hoc modo loco motae adhaerens cum progrediente cavi abdominalis extensione eandam subiret situs mutationem itaque antrorsum dislocatum manui palpanti facillime distinguendum se offerret. Neque enim alia ulla tam mirae jecoris dislocationis inveniri potuit caussa. Postquam brevi ante mortem serum resorptionis vi e cavo abdominali evanuit, vere jecur in situm volumini diminuto idoneum pone parietem costarum recessit neque jam digito palpante attingi potuit.

CASUS ALTER.

St. Sch. puella viginti tres annos nata, staturae procerae octavo die post Idus Julias poresi dimidii corporis dextri affecta et facultate loquendi egens in nosocomium apportata est. De anamnesi puellam mense Aprilis subito debilitate affectam esse nobis traditum est. Quamquam usque ad id tempus gravioribus laboribus rusticis functa est, attamen diutius infirmiore usa est valetudine. Aegrota bene nutrita erat; facies paullum tumida. Infra mamillam sinistram paulloque sterno propinquior impulsus cordis fortissimus animadvertebatur. Sonus obtusus regionis cordis percussae sursum cartilaginem costae tertiae, marginemque dextrum sterni digiti spatio superabat et sinistrorsum per spatium quatuor digitorum a processu ensiformi audiebatur. Affuit strepitus distinctus systolicus regione impulsus cordis, qui propagatus discernebatur supra ventriculum dextrum magnosque arteriarum truncos. Soni diastolici supra arteriam pulmonalem vis aucta erat.

Dum per menses insequentes debilitatis symptomata in extremitatibus diminuerentur aegrotaeque iis utendi facultas augeretur ipsa catarrhis saepe gastricis vexabatur. Praeterea commutationes pathologicae valvulae mitralis ortae intensitate crescebant, quod auscultatione persequi et statuere licuit. Primum supra ventriculum sinistrum duplex sonus diastolicus audiri videbatur, tum sonum diastolicum insequens, cocum quasi conjunctus strepitus audiebatur mox in systolicum transiens et mense Octobris regione impulsus cordis strepitus tantum, sonus nullus distinguebatur. In spatio intercostali sinistro tertio dilucide pulsus sentiebatur arteriae pulmonalis aegualis cum impulsu cordis et per tempus diastoles digitus juxta sterni marginem impositus impulsu brevi sed manifestissimo movebatur, quae res attribuenda est succussioni valvulis semilunaribus devolutis subitoque extensis tempore diastoles thoraci impertitae. Sonus diastolicus supra arteriam pulmonalem praecipue clarus erat, atque plaudens.

Digitized by Google

Per tempus hiemis valetudo aegrotae in deterius versa est; accesserunt jecur tumidum, color ictericus paullatim crescens cunctorum integumentorum magna pigmenti bilini copia in urina albumine tamen egente, oedema extremitatum inferiorum et ascites. Primis mensis Junii diebus anni MDCCCLIII. aegrotae subito prope collapsae e lecto surgendi facultas deerat; extremitates frigidae erant et brachia faciesque leviore intumuerunt oedemate. Functio cordis diminuta erat, a regula declinans, impulsus cordis sentiri vix potuit, sonus diastolicus supra arteriam pulmonalem minus distincte audiebatur, neque nonnullo a strepitu sonoro diastolico regione ostii venosi sinistri orto discerni vix potuit. Praeterea aegrota spiritus angustiis laborabat, respiratio frequentissima aeque exhalatus foetidissimus erat. Cibum aegre sumpsit aegrota. Quinto post Cal. Jun. die tussis accessit, quam copia subsecuta est haud exigua sanguinis subrubrae, glutinosae, minime spumosae. Ordinabatur pulvis herbae digitalis, quod remedium captum contractiones cordis insequebantur segniores sed fortiores. Duobus peractis diebus perspicuus inveniebatur impulsus cordis, pulsusque normales numerabantur nonageni per singulas minutas, praeterque strepitum diastolicum ab ostio venoso sinistro evadens, sonus distincte audiebatur diastolicus supra arteriam pulmonalem. Quibus commutationibus consentanea valetudo *quoque* aegrotae mutatam se praebuit; functio cutis aucta, oculi clari, somnus quietus erant, quin etiam aegrotam, ut pulmones explorarentur, in lecto erigere licuit. Dextra dorsi pars percussa sonum dedit obtusum defuitque crepitus respirationis; aliis locis raucam audierunt respirationem vesicularem. Decimo post Cal. Jun. die denuo spiritus angustiis laboravit aegrota pulsusque a norma deviaverunt; impulsus cordis minus distincte, quam pridie animadvertebatur. In spatio intercostali tertio per tempus diastoles succussio ex extensis orta arteriae pulmonalis valvulis semilunaribus nulla animadvertebatur, distincte autem sonus audiebatur diastolicus ex iis procedens. Supra ventriculum sinistrum strepitus systolicus audiebatur, diastolico multo clarior, per supremos tamen menses illum semper superante. Decimo tertio post Cal. Jun. die pectoris angustiae auctae sunt. Circum tempus meridianum, postquam vehementes subito accesserunt convulsiones, mortem obiit aegrota.

Obductio viginti post mortem horas instituta haec dedit: Cranio aperto minora inveniebantur apoplexiae cerebri signa. In cavo pectoris pericardii pars major pulmonibus tecta non erat; pulmo dexter thoraci adhaesit. In sinistro pleurae sacco serum multum affuit flavum; idem in pericardio, cujus planities interna justo modo laevis erat et candida. Arteria pulmonalis secundum sequebatur spatium intercostale sinistrum. Cordis volumen, praecipue dimidii dextri, quod prorsus antrorsum spectabat, admodum auctum erat. Atrium dextrum ventriculusque dexter sanguine coagulata extensa erant. Cavum cordis dextri admodum dilatatum, parietes amplificati. Valvulae tricuspidalis margines paullum justo crassiores erant. Valvulae semilunares arteriae pulmonalis aliquantum dilatatae normales. Ventriculus sinister non dilatatus, parietes paullum amplificati, substantia muscularis normalis. Valvula mitralis eximie

Digitized by Google

crassificata prorsus rigida erat concrementis calcareis ejus substantiae immersis. Utriusque veli margines inter se concreii erant ita ut lumini ostii ne summum quidem digitum immittere liceret. Praeterea fila tendinea valvulae adhaerentia inter se concreta erant, sicut musculi papillares ad ea pertinentes. Endocardium ventriculi sinistri raras monstrabat maculas opacas. Valvulae semilunares aortae normales. — Viae respirationis secreto impletae erant sanguinolento et spumoso; tunica mucosa injectionibus capillaribus rubefacta admodum tumida erat. Glandulae bronchiales magnitudine auctae magnum continuerunt pigmenti copiam. Pulmonis dextri lobo superiori oedemate infiltrato recens inerat infarctus haemorrhagicus diametri duorum digitorum. Loborum inferioris et medii inter se concretorum telae crebra ineraut extravasata minora. Scalpello lobo superiori pulmonis sinistri immisso, multum effluxit serum flavum, continuit praeterea infarctum haemorrhagicum magnitudine ovi columbae, medio maceratum, quare vastatio effecta erat gangraenosa telae pulmonis odorem cadaverosum emittentis. Lobi inferioris superficies minora monstrabat pleuritidis signa; parenchyma ubique normale. — E cavo abdominali aperto magna effluxit seri flavi copia. Jecoris quinque digitorum spatio marginem costarum superantis volumen haud exigue auctum; colorem pallidum praeterea monstrbat firmumque et durum erat. Tunica jecoris crassata, margines acres. Parenchyma jecoris, quod scalpello immisso adspectum praebuit radiorum alborum immixtorum fortibus impletum erat laminis telae cellulosae et sanguine abundabat. — Vesicae felleae copia exigua inerat bilis opacae glutinosaeque. Lienis magnitudinis normalis superficies cicatrices monstrabat. Tunica peritonealis crassata erat, parenchyma solidum, durum, exsangue. Tunicae mucosae ventriculi praecipue pars pylorica crassata et condensata; parenchymati mucosae extravasata inerant sanguinis. Inferioris intestini tenuis partis cujus lumen sanguinem monstrabat effusam, tunica mucosa haud exigue sanguine imbuta erat, quamquam laesio continui inveniri non potuit. Renes magnitudinis normalis, justo solidiores, cicatrices superficiales adspectui praebuerunt. Tunicam remotam particulae insequebantur parenchymatis. Parenchyma sanguine caruit; substantia corticalis scalpello immisso praevaluit. Microscopium adhibitum multam telam cellulosam formatam adesse, canaliculos autem uriniferos nullo modo mutatas esse docuit. In urina in vesica urinaria reperta magna epitelii a vesicae parietibus atque ex ureteribus dejecti copia, coagula autem fibrosa nulla distinguebantur, denique parvam in ea inesse cognoverunt albuminis copiam. —

Quod attinet ad casum primum nemini in mentem veniet, negare cirrhosin hepatis manifestissimam ex vitio cordis et circulatione hac re impedita ortam esse, quum alia caussa cirrhosis nulla se praebeat atque ex anamnesi utrumque malum inter se contineri eluceat, quum expresse commemoratum sit, ex morbo cum doloribus pectoris conjuncto graviores palpitationes cordis infirmamque valetudinem remanssise,

Digitized by Google

cui rei mox color ictericus se adjunxerit, etsi impedimentum circulationis ex vitio cordis ortum adeo non valuit, ut cirrhosi rejecta, symptomata circulationis venosae impeditae interpretari possemus.

Quod ad casum alterum attinet praeter vitium cordis omne aliud deest momentum aetiologicum processus in jecore hyperaemici et exsudativi et quidem impedimentum circulationis vitio cordis, insufficientia et stenosi valvulae mitralis, ortum gravius est. Ex eo, quod jecur sanguine abundans, tumidum neque exiguo modo volumine auctum erat, nemini processum cirrhosis negare licet, quum sumptoma secundum demum involutionem, primum autem hyperaemiam esse notum sit momentumque princeps cirrhosis, telae cellulosae neoformatae, hoc casu dilucidissime appareat.

THESES.

1) Cor sanguinis circulationis non sola est causa.

2) Sectio alta operandi methodus optima.

3) Mercuralia remedia sunt, quibus in sanandis morbis syphiliticis carere non possumus.

4) Symphysiotomia omnino rejicienda.

Digitized by Google

Digitized by Google

SCHRIFTEN

DER

UNIVERSITÄT

ZU

KIEL

aus dem Jahre 1857.

Band IV.

KIEL.

DRUCK VON C. F. MOHR.

1858.

Digitized by Google

Digitized by Google

INHALT.

I. **Index scholarum per semestre aestivum habendarum. Praefatus est Georgius Curtius de anomaliae cujusdam graecae analogia.**

II. **Verzeichniss der Behörden, Commissionen, Beamten, Institute, Lehrer und Studirenden im Sommersemester.**

III. **Index scholarum per semestre hibernum habendarum. Praefatus est Georgius Curtius de aoristi latini reliquiis.**

IV. **Verzeichniss der Behörden etc. Wintersemester.**

V. **Chronik der Universität.**

1) Personalnachrichten.

a) Anstellungen, Beförderungen und Ehrenbezeugungen.

b) Abberufungen, Todesfälle.

c) Habilitationen und Promotionen.

2) Von der Universität im Allgemeinen und von den Universitätsinstituten.

1) Zur Geschichte der Universität.

A. Die Professoren der juristischen Facultät in Kiel. (Fortsetzung.)

B. Rectoratsbericht 1856/58.

2) Die Universitätsbibliothek.

3) Das homiletische Seminar.

4) Das katechetische Seminar.

5) Anatomisches Theater und Museum.

6) Das physiologische Laboratorium.

7) Die medicinische Klinik im akademischen Krankenhause.

8) Die chirurgische Klinik im Friedrichshospitale.

9) Die Königl. Hebammenlehr- und Gebär-Anstalt.

10) Die pharmacognostische Sammlung.

11) Das philologische Seminar.

12) Die Münz- und Kunstsammlung.

13) Das pädagogische Seminar.

14) Das zoologische Museum.

15) Der botanische Garten.

16) Das mineralogische Museum.

17) Das chemische Laboratorium.

18) Das physikalische Institut.

19) Das Museum vaterländischer Alterthümer.

20) Der Kunstverein.

Digitized by Google

3) Vom Convict und den Stipendien.

a) Convictexamen.

b) Stipendien.

1) Schassisches Stipendium.

2) Vertheilung der vom Consistorio zu vergebenden Stipendien im Jahre 1857.

4) Chronik der Gelehrtenschulen.

5) Meteorologische Beobachtungen und Tabellen.

Anlage zur Chronik. Bericht über die Wirksamkeit des Kunstvereins 1857.

VI. Festreden, Memoiren etc.

1) Einladung zur Feier des Geburtstags Sr. Majestät des Königs Friedrich VII. Inest: Adolfi Michaelis dissertatio de auctoribus quos Horatius in libro de arte poetica secutus esse videatur.

2) Rede zur Feier des Geburtstages Sr. Majestät des Königs Frederik VII. an der Christian-Albrechts-Universität für den 6. October 1857 verfasst von Georg Curtius.

VII. Dissertationen.

Medic. 1) Edm. de Bartels, de corporis humani menciscis.

2) J. Mannhardt, de pseudarthrosi.

3) Aem. Storm, de febre sic dicta marchica.

4) C. C. T. Koch, de nutritionis vitiis in hominibus qui cordis affectibus laborant.

5) F. Schumacher, de Lemberti enteroraphia.

6) A. C. Schlüter, de struma cystica accessoria.

7) J. L. Ibsen, de genu articuli resectione.

8) J. Dührssen, de operatione fistularum vesico-vaginalium.

9) Dr. phil. E. L. Krüger, de mechanismo partus normalis.

10) T. F. Raben, de osteoide.

11) A. C. L. Block, de quantitate acidi sulphurici per urinam excreti apud hominem eo acido intoxicatum observata.

12) C. Hartmann, de hydrophobia.

[illegible]

Digitized by Google

1857. I.

INDEX SCHOLARUM

IN ACADEMIA

CHRISTIANA ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE AESTIVUM

A DIE INDE XV. MENSIS APRILIS

USQUE

AD DIEM XV. MENSIS SEXTILIS ANNI MDCCCLVII

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

PRAEFATUS EST GEORGIUS CURTIUS DE ANOMALIAE CUIUSDAM GRAECAE ANALOGIA.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

Digitized by Google

Digitized by Google

Quae inter veteres grammaticos diu multumque agitata est de analogia et anomalia controversia, eam nostro tempore nemo ita renovabit, ut in universo hominum sermone utra dominetur, denuo quaerendum esse existumet. Quis enim dubitabit, quin in hoc non minus quam in omnibus quae rerum natura procreat ratio valeat et aequabilitas? Verum longius etiamnunc distamus ab ea disciplinae grammaticae perfectione, qua fortasse sperari potest fore aliquando, ut pauca anomaliae vestigia remaneant. Quae nunc est vel earum linguarum, in quibus explorandis plurimum operae positum est, cognitio, multa restant ab inventis sermonis legibus ita excepta, ut causam exceptionis non assequamur, immo in ea, quam Quintilianus grammaticis commendat, quarundam rerum ignoratione nobis acquiescendum sit. Sed cum nihil sciamus tam difficile esse, quin quaerendo investigari possit, summo labore contendendum erit, ut, Anomalia, invisa Inscitiae filia, fortiter impugnata, Analogiae et quae eam generavit Veritatis regnum magis magisque augeatur. Quo in studio non uno semper conatu eo perveniemus, ut ipsam Analogiae speciem nullo velo obductam intueamur, sed interdum jam aliquid effecisse nobis videbimur, si vel in Anomaliae partibus umbram quandam aequabitatis et imaginem repercussam conspexerimus. Hoc autem quem in modum origine verborum explorata fieri possit, exemplo ex graecae grammaticae penetralibus desumpto illustrabimus.

Notissimum est geminatae litterae σ loco Boeotis una cum recentioribus Atticis geminatam τ in usu fuisse, ita ut utrique non ἀλλάσσω sed ἀλλάττω dicerent pro eo autem qui in reliquorum Graecorum dialectis audiebatur litterae ζ sono, in interiore voce posito, solos Boeotos geminata δ usos esse. Non enim ψηφίζω sed ψαφίδδω dicebant. Inde facile intellegitur, eandem inter σσ et ττ, quae fuit inter ζ et δδ, ratio-

Digitized by Google

nem intercessisse. Ac valet haec ratio per magnum numerum exemplorum, ut sibilans illa geminata ex tenui vel aspirata, mollior autem ζ litterae sibilus ex media littera originem ducat. Comparativi enim qui sunt ἧσσων, ἐλάσσων, κρεισσων superlativis ἥκιστα, ἐλάχιστος, κράτιστος, μείζων vero et ὀλίζων μέγιστος et ὀλίγιστος formis respondent. Θρῇσσα, Φοίνισσα, Κρῆσσα ex iis deducuntur stirpibus, quae in Θρηκός, Φοίνικος, Κρητός conspiciuntur, verborumque Φρισσω, βήσσω, λίσσομαι radices sunt Φρικ, βηχ, λιτ, eorum autem quae sunt κράζω et ὄζω κραγ et ὀδ. Quae omnia in libro de temporibus modisque scripto pluribus exposui. Ab hac vero lege, ut ex tenui littera et adspirata σσ, ex media ζ fiat, e comparativorum numero unus exceptus esse videtur, qui legitur uno Iliadis loco K 226

μοῦνος δ' εἴ πέρ τε νοήσῃ
ἀλλά τέ οἱ βράσσων τε νόος λεπτὴ δέ τε μῆτις.

Hanc enim formam veteres quidem glossographos a βραχύς derivasse, Aristarchum pro participio habuisse ex scholiis Venetis constat, nostri autem temporis grammatici fere omnes scholiorum minorum auctoritatem secuti ad positivum βραδύς pertinere existimarunt. Quibus quamquam olim adstipulatus sum tamen nunc fidem habere non possum. Primum enim est hoc aliquid, quod secundum scholiastam Venetum certe — nam paulo aliter Eustathius — vetusti illi glossarum interpretes βράσσων a βραχύς deduxerunt. Aristarchus autem ab his propterea tantum recessit, quod οὐδαμοῦ κέχρηται τούτῳ [τῷ βραχύς] Ὅμηρος. Nam ut universa Homeri carmina ad unam loquendi normam dirigebat, ita hoc nullo modo fieri posse putavit, ut hujus generis adjectivum, apud posteriores Graecos usitatissimum, in Homero semel legeretur. Qui si βράσσων ad βραδύς pertinere posse existimavisset Homero frequentatum, hanc explicationem haud dubie arripuisset. At non existimavit eamque ob causam ad eam sententiam confugit, ut βράσσων participium esse et βρασσόμενος ταρασσόμενος διὰ τὸ δέος significare diceret, quamquam ἅπαξ ἐνταῦθα κέχρηται τῇ λέξει. Nam audacior hujusmodi verbi usus facilius ei videbatur poetae uno in loco concedi posse. Nos vero aliter judicabimus et cum glossographis βράσσων ex βραχύς ut ἐλάσσων ab ἐλαχύς factum esse censebimus. Innumera enim cum apud Homerum inveniantur ἅπαξ εἰρημένα, in ea praecipue rhapsodia quam Pisistrati demum temporibus in reliquorum numerum receptam esse comperimus, non mirum est inveniri adjectivum, quod quin jam antiquissimo tempore exstiterit, propter Romanorum brevi-s (i. e. breg-u-i-s) dubium non

Digitized by Google

est. Ad sententiam autem hoc non minus accommodatum est, quam illud. Duo enim viri et celerius quid faciendum sit videbunt et consideratius quae facienda sunt exsequentur, unius ingenium et tardius erit et minus circumspectum. Eum autem qui minus considerate agit posteriores Graeci βραχυγνώμονα dicunt et βραχύτητα γνώμης Cleon apud Thucydidem III 42 contrarium esse censet τῆς εὐβουλίας.

Remoto igitur hoc vocabulo, quod falsam σσ litterarum ex δ ortarum speciem praebebat, manet haud parvus verborum numerus, in quibus eaedem ex gutturali quae vocatur media originem duxisse videntur. Perlustrantibus enim in copiosissimo, quod Lobeckio debemus, Rhematico verborum dentalium indicem, satis multa ocurrunt praesentia in -σσω exeuntia, quorum ut antiquorum grammaticorum vocabulo utar, character est littera γ. Sunt autem haec, primitiva ἄσσω (κατάσσω), μάσσω, ὀρύσσω, πήσσω πλήσσω, πράσσω, ῥήσω, σάττω, σφάττω, τάσσω, φράσσω, φρύσσω, derivata ἀλλάσσω, μαράσσω, μαρμαρύσσω, πλατάσσω, πτερύσσω, σαλάσσω. Nam quod olim (Tempora u. Modi p. 103), Pottium secutus, propter latinum mungo huc pertinere putavi ἀπο-μύσσω, hoc non cum sanscrito *mug'*, de cujus usu non satis constat, sed cum *muk'* radice, quae solvendi, abjicendi, effundendi significationem frequentissimo usu illustratam habet, comparandum esse, vocabulum quod est μύκος et Romanorum mûcus, mûcor, mûceo, mûcedo demonstrant. Quare primitiva radicis forma non *mug* fuit, sed *muk*, cujus gutturalem Romani eadem ratione molliorem fecerunt, qua ex ea quae antiquissimo tempore fuit radice *pik*, in Graecorum ποικιλος servata, pingendi verbum deduxerunt. Ex iis autem quae enumeravimus exemplis primum ea tractemus, quorum origo facillime indagari potest. Nam φράσσω quidem a latino *farcio* diversum non esse vel ii Lobeckio (Rhemat. p. 1803) credent, qui complures linguas comparantibus diffidere consuerunt. Itaque Romanos vetustiorem sonum conservasse, Lucianum autem aliosque scriptores non admodum vetustos (Lob. ad Buttm. II, 319) apud quos ἐφράγην invenitur, mediam pro tenui substituisse censebimus, praesentis formam φράσσω eodem modo ex antiquiore φραχ factam esse dicemus, quo φρίσσω ex φριχ ortum est. — μάσσω, quamquam jam in Platonis Theaeteto ἐμάγην legitur et substantiva μαγεύς μάγειρος, μᾶζα ab eodem μαγ derivanda sint, tamen plenior sonus auditur in μαχαίρα, βρῶμα ἐκ ζωμοῦ καὶ ἀλφίτων (Hesych.). A quo mâcerandi et mâcerescendi verba non longe absunt, quae in pane emolliendo et in salsamentis parandis proprium usum habent. Denique Lituani antiquorum verborum sonorumque tenacissimi, servarunt *mink-au*,

Digitized by Google

mank-szt-au, verba quorum illud idem significat quod graecum μάσσω, sive id quod nos dicimus *kneten*, hoc magis generalem molliendi notionem habet. Quamobrem non dubito, quin antiquissimo tempore jam exstiterit radix *mak*, in opere pistorio usitata nec quin Graecorum μάσσω ejusdem originis sit. Transimus ad πλήσσω. πέπληγον, ἐπλήγην, πληγή, aeolicum πλάζω, percutiendi verbum, et alterum illud πλάζω ἐπλάγχθην, ἀπεπλάγχθην, de quo in Philologi Vol. III, p. 2 egi, Romanorumque *plango* manifestissima γ litterae vestigia praebent (cf. Lob. Prolegg. p. 237). Sed κ conspicitur in vocabulo πλάξ πλακός et in iis quae inde nata sunt πλακερός, πλάκινος, πλακόω, πλακοῦς. Haec omnia ea significant quae plana sunt eamque ob causam proxime absunt a Romanorum *planca* (tabula plana), *plancus* (πλατύπους) et, in quo Jacobum Grimmium sequimur, ab adjectivo *plâ-nu-s* ex *plac-nu-s* mutato. Idem in sermonis Germanici historia (I. 347) veterum Germanorum flah comparat et Lituanorum *plasztaka* palmam manus significans, quorum utrumque indicat vetustissimam aliquam radicem *plak* exstitisse. Ab ea Lituani derivarunt adjectivum prorsus ejusdem quam latinum planus habet significatus *plokszt as*, cujus vocalem et sibilum Schleicherus in grammatica Lituanica explicavit (p. 46); ea inest in ejusdem sermonis verbis *plak-ti* (percutere) et *plekti* (verberare) et in substantivis *plek-is*, *plok-is*, *plak-a*, quae nihil aliud significant quam Graecorum πληγή, Romanorum plâga, nec separari possunt a majorum nostrorum flagelli nomine *flegila*. Itaque cum haec ad antiquissimam *plak* radicem, omnibus his gentibus priusquam in sedes suas discesserunt communem, probandam sufficiant, Graecorum πλήσσω non ex molliore quae postea invaluit forma sed ex pleniore deducemus. — Simili modo dicendum erit de verbo πράσσω. γ littera legitur in πέπραγα, πρᾶγος. Propter productam vocalem Lobeckius (Paralipp. 401) veteribus grammaticis assentitur, πράσσω a περάω derivantibus, ipse autem breviorem formam in ionico πιπρήσκειν πρῆσις et in eo quod apud Hesychium servatur ἔπρασεν ἐπραγματεύσατο subesse suspicatur. Ac comprobatur haec conjectura linguae sanscritae comparatione, in qua duplex radix *pṛ* invenitur, altera correpta atque ex *păr* orta, quae Westergaardio teste occupatum esse significat, altera producta et ex antiquiore *pâr* facta, quae eodem auctore negotii transigendi notionem habet. Utrumque non graecorum tantum de quibus diximus verborum sed etiam latini *parare* nos commonefacit. Jám vero *k* litteram brevioribus stirpibus haud raro ita additam videmus, ut ejus ope longiores inde formae deducantur. Qua de re cum aliis locis et dixerim et dicturus

Digitized by Google

sim, pauca exempla sufficient: ὤλε-σα et ὀλέ-κ-οντο κατα-πτή-την et ἔ-πτα-κ-ον, ἐρύ-ω et ἐρύκ-ω. Neque ad graecum tantum sermonem hoc pertinet, sed idem additamentum in reliquis conspicitur. Quare cum apud Lituanos exstet verbum *perk-u*, idem quod πι-πρά-σκ-ω significans *) hujus simile πρα-κ ex antiquiore πρα derivatum, inde praesentis formam πράσσω formatam, postea κ litterae sonum in γ mollitum esse conjicio.

In duobus verbis ipsa Graecorum lingua sibi non constitit. Nam a praesenti σάττω nec σάκος nec σάγη abest, quare nihil obstat, quo minus ab ea radice ortum esse dicamus, quae in priori inest. — ὀρύσσω utrum primitivum sit, an, ut Lobeckius voluit, derivatum, nondum exploratum est. Sed χ litteram in genetivo διώρυχος et in vocabulo διωρυχή antiquiorem esse quam eam quae postea usu venit γ, et in Aristophanis Avium v. 394 κατορυχησόμεσθα, non κατορυγησόμεσθα scribendum esse inter viros doctos convenit.

Aliorum usus non admodum antiquus est. Verbum τάσσω in Homeri carminibus, in quibus non deerat eo utendi occasio, non legitur, et ex iis quae ejusdem originis sunt nominibus unum ταγός correpta contra tragicorum morem paenultima in uno Iliadis versu (Ψ 160), in quo Aristarchi et Herodiani judicio rejecto nostri temporis editores οἵ τ' ἀγοί receperunt, ἄσσω et πήσσω non ante Augustum imperatorem inveniuntur pro ἄγνυμι, πήγνυμι, posita, ἐήσσω pro ἐήγνυμι dicti Lobeckius (ad Buttm. II. 287) Hippocratem antiquissimum auctorem affert, cujus crisis quam lubrica sit non ignoratur, φρύσσω vel φρύττω, quod olim in Theocriteis legebatur, novissimi editores inde excludunt, Lobeckius minus quam φρύγω atticum esse censet. Et hoc quidem mediam litteram nativam habere Indorum *bharg'*, Latinorum *frig-ĕre* documento sunt, quibus quamquam diversis vocalibus usi eandem rem significant. — σφάττω, in prosa Atticorum oratione inde a Platonis tempore usitatius est quam σφάζω, in quo utriusque syllabae sibilus atticis displicuisse videtur. Antiquiores hoc minime repudiant; et optime congruit cum σφαγεύς, σφαγή, ἐσφάγην, aliis. Ceterum si Kuhnium sequeremur hoc verbum cum Gothorum *slah-an* comparantem (*Zeitschr. f. vergl. Sprachf.* IV, 18) etiam in hoc tenuis antiquior esset quam media. Sed mihi quidem hac de re nondum constat.

*) Bohemorum prace, negotium, labor, pracovati negotium facessere, utrum ad breviorem stirpem, quae est *pra*, an ad *prak* pertineat, iis dijudicandum relinquo, qui slavicarum dialectorum me peritiores sunt.

Digitized by Google

Transimus ad ea quae quin ex nominibus derivata sint dubitari non potest. In his primum occurrit ἀλλάσσω, quod Lobeckius (Rhemat. 240) unum omnium paronymorum ab adjectivo oriundum esse dicit. γ littera ab Atticorum inde temporibus conspicimus in ἠλλάγην, ἀλλαγήσομαι, ἀλλαγή et in magno compositorum numero. Verum etiam hac tenuem antiquiorem fuisse conjicio. Eadem enim *k* littera, cujus ope a brevioribus radicibus novas stirpes propagari vidimus, in syllaba *ka* invenitur, qua in nominibus, adjectivis praecipue, derivandis omnes quae ad Indogermanorum familiam pertinent gentes saepissime utuntur. Huc referendum est illud κό-ς apud Graecos frequentissimum, quod in multis adjectivis ab adjectivis derivatis occurrit, qualia Lobeckius collegit in Pathologiae Prolegg. p. 327 et ad Phrynichum p. 228. Exemplo erunt βαρβαρ-ι-κό-ς a βάρβαρος, ἀρχα-ι-κό-ς ab ἀρχαῖος, Κορινθι-α-κό-ς a Κορίνθιος propagatum. Nec in cognatis linguis desunt quae comparentur. Ab eo adjectivo, quod graeco ἄλλος, latino alius respondet, *anja-s*, Indi *anja-ka-s* derivant, cujus in antiquissimis hymnis Vedicis usum a primitivi *anja-s* significatione fere non diversum, Petropolitani lexici auctores demonstrant. Inde analogia duce pervenimus ad obsoletum Graecorum adjectivum ἀλια-κο-ς sive ἀλλακο-ς, ab hoc rursus ad verbum ἀλλάσσω eadem ratione formatum qua φαρμάσσω ab eo quod est φάρμακον. In quo paenultimae syllabae alpha non negligendum esse videtur. Late enim patet haec linguae graecae analogia, ut in nominibus derivatis alpha post ι vocalem conservetur. Nam ab ἰατρό-ς derivatur ἰατρ-ι-κό-ς, a Κρόνο-ς Κρον-ί-δη-ς a μανία autem μανι-α-κό-ς, a ζῳδιο-ν ζῳδι-α-κό-ς, a Ταλθύβιο-ς Ταλθυβι-ά-δη-ς. Quare etiam in ἀλλάσσω quoddam ejus litterae vestigium remansisse videtur quam in illo ἀλια-κό-ς suum locum habuisse comparato vocabulo sanscrito manifestum fit. — σαλάσσω apud ipsos Graecos non modo σαλαγέω, sed etiam σάλαξ σάλακος et σαλάκων affinia habet. — De reliquorum origine nihil certi habeo quod proponam, sed pauca restant, in quibus quin eadem sibili ex *k* paragogico origo fuerit, equidem non dubito.

Quamobrem majore jam confidentia in universo hoc verborum genere γ litteram non genuinam esse et per totam linguam Graecam hanc legem valere contendimus, ut σσ non ex aliis litteris oriatur, quam ex κ, χ, τ, θ. Itaque praesentia φράσσω, μάσσω, πλήσσω, πράσσω, ἀλλάσσω, jam eo tempore formata esse dicemus quo κ in horum verborum radice audiebatur, nec aliter orta esse, quam φρίσσω ex eo quod fuit φρικ. Postea in quibusdam plenioris in locum mollior mediae litterae sonus suc-

Digitized by Google

cessit, ibi praecipue ubi medium inter duas vocales locum tenebat, ut in ἐΦράγην, πληγή. Confusa semel et perturbata pristina linguae analogia contagio ad alias quoque formas ita pertinuit, ut contra justam normam γ a geminato σ fere non longius quam κ vel χ abesse videretur.

Ceterum non in iis tantum quae a nobis tractata sunt verbis, sed etiam in aliis haud paucis eadem κ litterae in γ mutatio facta est. Nam qui Graecorum μίσγω, ἐμίγην cum Romanorum *misceo* et Indorum ejusdem significationis verbo *miçrajâmi*, i. e. *mikra-jâ-mi* comparat, quin μιγ ex μικ factum sit, non dubitabit. πήγ-νυ-μι, ἐ-πάγην, πάγ-ο-ς nec a *pan-go pe-pig-i* separari potest, nec ab eo, quod antiquos pro pactione usurpasse Festus (p. 250) tradit, *pac-io*. Eadem igitur radix est atque in sanscrito *paç* i. e. *pak*, quae ligare significat et in majorum nostrorum *fah-an*, cujus significatio proxime ad eam accedit quae est in Graecorum πάγη. ὀλίγο-ς recte cum sanscrito *liç* i. e. *lik* eoque comparatur quod inde deducitur *lêça-s* i. e. *laika-s* (parvus). ὄρτυξ quamquam in genetivo casu ὄρτυγος habet tamen diversum non est ab Indorum ejusdem avis nomine *vartikâ*. ἅρπαξ ἅρπαγος si a Romanorum rapax rapacis proprie diversum non fuisse statuimus, nemo nos nimiae audaciae arguet. Denique in ipsorum Graecorum sermone quis negabit ἀρήγω et ἀρωγή cum ἀρκέω et ἀλκή latinoque arcendi verbo cognatum esse, vel τήγανον a τήκω derivari? Democritum Abderitam διαθηγήν pro vulgari διαθήκην dixisse Lobeckius (ad Buttm. II. 401) Suidae et Hesychio credit, quamquam de hoc verbo alii aliter judicarunt. Quae exempla non ideo congessi, ut imperitorum hominum more nihil fere inter tenuem et mediam interesse et utriusque usum plane promiscuum fuisse statuerem. A nulla enim opinione longius absum. Immo si quis haec exempla perlustrabit, in omnibus fere κ aut medium inter duas vocales locum tenere aut prope nasalem litteram poni inveniet. Unum excipitur μίσγω, in quo γ aoristo μιγῆναι deberi videtur, sed huic affinis est altera praesentis forma μίγνυμι. Quare etiam in hac anomalia quandam analogiam deteximus.

Digitized by Google

Transimus ad ea quae quin ex nominibus derivata sint dubitari non potest. In his primum occurrit ἀλλάσσω, quod Lobeckius (Rhemat. 240) unum omnium paronymorum ab adjectivo oriundum esse dicit. γ littera ab Atticorum inde temporibus conspicimus in ἠλλάγην, ἀλλαγήσομαι, ἀλλαγή et in magno compositorum numero. Verum etiam hac tenuem antiquiorem fuisse conjicio. Eadem enim *k* littera, cujus ope a brevioribus radicibus novas stirpes propagari vidimus, in syllaba *ka* invenitur, qua in nominibus, adjectivis praecipue, derivandis omnes quae ad Indogermanorum familiam pertinent gentes saepissime utuntur. Huc referendum est illud κό-ς apud Graecos frequentissimum, quod in multis adjectivis ab adjectivis derivatis occurrit, qualia Lobeckius collegit in Pathologiae Prolegg. p. 327 et ad Phrynichum p. 228. Exemplo erunt βαρβαρ-ι-κό-ς a βάρβαρος, ἀρχα-ι-κό-ς ab ἀρχαῖος, Κορινθι-α-κό-ς a Κορίνθιος propagatum. Nec in cognatis linguis desunt quae comparentur. Ab eo adjectivo, quod graeco ἄλλος, latino alius respondet, *anja-s*, Indi *anja-ka-s* derivant, cujus in antiquissimis hymnis Vedicis usum a primitivi *anja-s* significatione fere non diversum, Petropolitani lexici auctores demonstrant. Inde analogia duce pervenimus ad obsoletum Graecorum adjectivum ἀλια-κο-ς sive ἀλλακο-ς, ab hoc rursus ad verbum ἀλλάσσω eadem ratione formatum qua φαρμάσσω ab eo quod est φάρμακον. In quo paenultimae syllabae alpha non negligendum esse videtur. Late enim patet haec linguae graecae analogia, ut in nominibus derivatis alpha post ι vocalem conservetur. Nam ab ἰατρό-ς derivatur ἰατρ-ι-κό-ς, a Κρόνο-ς Κρον-ί-δη-ς a μανία autem μανι-α-κό-ς, a ζῳδιο-ν ζῳδι-α-κό-ς, a Ταλθύβιο-ς Ταλθυβι-ά-δη-ς. Quare etiam in ἀλλάσσω quoddam ejus litterae vestigium remansisse videtur quam in illo ἀλια-κό-ς suum locum habuisse comparato vocabulo sanscrito manifestum fit. — σαλάσσω apud ipsos Graecos non modo σαλαγέω, sed etiam σάλαξ σάλακος et σαλάκων affinia habet. — De reliquorum origine nihil certi habeo quod proponam, sed pauca restant, in quibus quin eadem sibili ex *k* paragogico origo fuerit, equidem non dubito.

Quamobrem majore jam confidentia in universo hoc verborum genere γ litteram non genuinam esse et per totam linguam Graecam hanc legem valere contendimus, ut σσ non ex aliis litteris oriatur, quam ex κ, χ, τ, ϑ. Itaque praesentia φράσσω, μάσσω, πλήσσω, πράσσω, ἀλλάσσω, jam eo tempore formata esse dicemus quo κ in horum verborum radice audiebatur, nec aliter orta esse, quam φρίσσω ex eo quod fuit φρικ. Postea in quibusdam plenioris in locum mollior mediae litterae sonus suc-

Digitized by Google

cessit, ibi praecipue ubi medium inter duas vocales locum tenebat, ut in ἐφράγην, πληγή. Confusa semel et perturbata pristina linguae analogia contagio ad alias quoque formas ita pertinuit, ut contra justam normam γ a geminato σ fere non longius quam κ vel χ abesse videretur.

Ceterum non in iis tantum quae a nobis tractata sunt verbis, sed etiam in aliis haud paucis eadem κ litterae in γ mutatio facta est. Nam qui Graecorum μίσγω, ἐμίγην cum Romanorum *misceo* et Indorum ejusdem significationis verbo *miçrajâmi*, i. e. *mikra-jâ-mi* comparat, quin μιγ ex μικ factum sit, non dubitabit. πήγ-νυ-μι, ἐ-πάγην, πάγ-ο-ς nec a *pan-go pe-pig-i* separari potest, nec ab eo, quod antiquos pro pactione usurpasse Festus (p. 250) tradit, *pac-io*. Eadem igitur radix est atque in sanscrito *paç* i. e. *pak*, quae ligare significat et in majorum nostrorum *fah-an*, cujus significatio proxime ad eam accedit quae est in Graecorum πάγη. ὀλίγο-ς recte cum sanscrito *liç* i. e. *lik* eoque comparatur quod inde deducitur *lêça-s* i. e. *laika-s* (parvus). ὄρτυξ quamquam in genetivo casu ὄρτυγος habet tamen diversum non est ab Indorum ejusdem avis nomine *vartikâ*. ἅρπαξ ἅρπαγος si a Romanorum rapax rapacis proprie diversum non fuisse statuimus, nemo nos nimiae audaciae arguet. Denique in ipsorum Graecorum sermone quis negabit ἀρήγω et ἀρωγή cum ἀρκέω et ἀλκή latinoque arcendi verbo cognatum esse, vel τήγανον a τήκω derivari? Democritum Abderitam διαθηγήν pro vulgari διαθήκην dixisse Lobeckius (ad Buttm. II. 401) Suidae et Hesychio credit, quamquam de hoc verbo alii aliter judicarunt. Quae exempla non ideo congessi, ut imperitorum hominum more nihil fere inter tenuem et mediam interesse et utriusque usum plane promiscuum fuisse statuerem. A nulla enim opinione longius absum. Immo si quis haec exempla perlustrabit, in omnibus fere κ aut medium inter duas vocales locum tenere aut prope nasalem litteram poni inveniet. Unum excipitur μίσγω, in quo γ aoristo μιγῆναι deberi videtur, sed huic affinis est altera praesentis forma μίγνυμι. Quare etiam in hac anomalia quandam analogiam deteximus.

Digitized by Google

Digitized by Google

SCHOLAE PROFESSORUM ORDINARIORUM.

EX ORDINE THEOLOGICO.

Dr. *C. Lüdemann* 1) *publico* officio seminarii homiletici studia et exercitationes moderari perget singulis diebus Jovis, hh. X et XI; 2) *privatim* a) artis liturgicae et homileticae praecepta explicabit quaternis p. h. diebus, h. IV.; b) seminarii catechetici studiis et exercitationibus praeerit singulis diebus Mercurii hh. X et XI. — Vocis cantus liturgici legibus conformandae cura viro hujus artis peritissimo demandata est.

Dr. *N. Thomsen publice* Hebraeorum historiam diebus Mercurii et Saturni h. IV—V enarrabit. *Privatim* 1) historiam ecclesiae Christianae universalem per partem ejus tertiam tradet diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. III—IV; 2) theologiam symbolicam comparativam exponet quinquies per hebd., diebus Lunae, Martis, Veneris, Saturni h. XI—XII, quinta denique hora posthac definienda.

Dr. *Carolus Wieseler*, h. t. dec., *publice* historiam passionis Jesu Christi secundum quatuor evangelia binis scholis diebus Mercurii et Saturni h. X—XI exponet, privatim tria priora evangelia quae dicuntur synoptica, excepta historia passionis Jesu, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. X—XI interpretabitur et introductionem historico-criticam in libros Novi Testamenti diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XII—I tradet.

Digitized by Google

Dr. *G. Fricke privatim* 1) ethicen Christianam docebit quaternis diebus (Lunae, Martis, Jovis, Veneris) h. V; 2) vaticinia veteris testamenti Messiana, N. T. pariter atque V. T. contenta, interpretabitur quaternis diebus (Lun. Mart. Jov. Ven.) h. VII antemerid.; *publice* 3) historiam notionis dei inde a primo Christianismo usque ad nostram aetatem critice delineabit binis diebus (Merc. et Sat.) h. XII.

EX ORDINE IURIDICO.

Dr. *J. W. Planck*, acad. h. t. rector, *privatim* 1) jus criminale quinquies per hebd. h. XI tradet; 2) exercitationes practicas, quales in judiciis privatis hodie in usu sunt, moderabitur ternis scholis h. XII.

Dr. *Guilielmus Girtanner privatim* 1) institutiones et historiam juris Romani quaternis diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IX—XI docebit; 2) exercitationes juris civilis binis p. hebd. horis p. defin. instituet.

Dr. *C. Neuner*, h. t. decanus, *privatim* doctrinam Pandectarum (excepto jure hereditario) senis per hebd. diebus hh. X—XII explicabit duce libro: *Arndts, Lehrbuch der Pandekten, 2te Aufl., München* 1855.

EX ORDINE MEDICORUM.

Dr. *W. F. G. Behn*, h. t. dec., *privatim* 1) zoologiam quinquies p. h. h. XII docebit; 2) quaternis scholis h. III. systema nervorum et organa sensuum demonstrabit.

Dr. *C. C. Th. Litzmann privatim* 1) theoriae artis obstetriciae partem secundam tradet diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. VIII; 2) clinicen obstetriciam moderabitur diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora IX.

Dr. *E. F. Goetz privatim* 1) pathologiae et therapiae specialis partem primam docebit sexies per hebd. h. IX—X; 2) exercitationibus clinicis praeerit quotidie hora X—XII.

EX ORDINE PHILOSOPHORUM.

Dr. *H. Ratjen*, h. t. decanus, introductionem in historiam literariam tradet diebus Lunae et Jovis h. III—IV. Bibliothecam publicam aperiet diebus horisque constitutis.

Digitized by Google

Dr. *P. W. Forchhammer privatim* 1) geographiam antiquam tradet quaternis diebus Lun. Mart., Jov., Veneris h. XII—I; in societate Aristotelia Ethica Nicomachea disputando illustrabit diebus Lun. et Jov. hor. XI—XII; 3) exercitationes archaeologicas instituet hor. defin. Publico officio in seminario philologico interpretationi Theogoniae Hesiodeae praeerit singulis diebus Mercurii horis XI—I.

Dr. *C. Himly* 1) chemiam theoreticam docebit et experimentis illustrabit hora X—XI; 2) exercitationes chemicas practicas, et analyticas et pharmaceuticas, atque zoochemicas horis XI—II sueto more in laboratorio academico instituet.

Dr. *G. Karsten privatim* 1) de viribus electricis sive de electricitate frictionis, de galvanismo, magnetismo et electromagnetismo quaternis diebus Lun. Mart. Jov. Ven. h. IX. disseret; 2) mineralogiam et crystallographiam docebit quinquies dieb. Lun. Mart. Merc. Jov. Vener. h. XII; 3) exercitationes physices practicas sueto more instituet; privatissime sed gratis 4) colloquia physica moderabitur.

Dr. *H. M. Chalybaeus* 1) logicam et metaphysicam quaternis dieb. h. IX—X *privatim*, 2) religionis philosophiae capita praecipua ternis diebus (Lunae, Martis, Jovis) h. IV.—V *privatim* exponet; 3) de animae humanae natura *publice* disseret h. IX—X die Mercurii.

Dr. *Georgius Curtius privatim* 1) grammaticae graecae latinaeque comparatae partem priorem tradet d. Martis, Mercurii, Jovis, Saturni, h. X., 2) lyricorum Graecorum fragmenta ex Schneidewini „delectu poesis Graecorum elegiacae, iambicae, melicae" explicabit d. Veneris et Saturni h. XI; *publico* officio 3) in seminario philologico et T. Livii interpretationi et disputandi scribendique exercitationibus praeerit d. Martis h. XI., d. Veneris h. X.

Dr. *Guilielmus Seelig* artem financiariam dieb. Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora VII., oeconomiam politicam dieb. Martis, Mercurii, Jovis Veneris hora VIII. tradet. Idem *publice* de selectis capitibus politiae oeconomicae hora postea indicanda disseret.

Dr. *Karolus Müllenhoff privatim* grammaticam theodiscam quaternis, introductionem in philologiam theodiscam binis, Propertii elegias ternis per hebdomadem horis enarrabit; *publice* binis per hebdomadem horis exercitationes theodiscas moderari perget.

Dr. *Gustavus F. Thaulow privatim* diebus Martis, Mercurii, Jovis, Veneris 1) hor. VIII—IX. historiam philosophiae recentioris inde a temporibus Reformationis 2) hor. IX—X. ethicen docebit. Publico in seminario paedagogico de munere praeceptoris domestici die Mercurii disseret h. III—IV.

Digitized by Google

PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

IURIS.

Dr. *C. Christiansen privatim* 1) jus ecclesiasticum tradet diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. X—XI; 2) exercitationes juris civilis instituet diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris h. XI—XII.

MEDICINAE.

Dr. *F. Weber privatim* quinquies p. hebd. h. VII. anatomiam pathologicam generalem et specialem (exceptis organis abdominis) docebit; *publice*, ubi et quando id fieri poterit, sectiones et inde exercitationes patholog. histolog. instituet.

Dr. *G. P. E. Kirchner publice* demonstrationes pharmacognosticas die Mercurii h. p. VI—VII instituendas curabit. *Privatim* 1) partem organicam chemiae pharmaceuticae die Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. m. VIII—IX; 2) pharmacologiae partem generalem die Mercurii h. m. VIII—IX; die Saturni h. m. VII—IX docebit.

Dr. *P. L. Panum* 1) *privatim* physiologiam generalem et physiologiam functionum vitae animalis sexies p. h. hora p. IV—V docebit et experimentis illustrabit; 2) colloquia physiologica auditoribus semel p. h. *publice* habenda offert; 3) *privatissime* exercitat iones chemicas medicorum solito modo moderabitur diebus Lunae, Martis, Mercurii Jovis, Veneris h. IX—XII.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *E. F. Nolte publice* demonstrationes plantarum h. III d. Lunae et Jovis in horto botanico instituet, *privatim* botanicen docebit h. VII—VIII quinquies per hebdomadem, excursiones botanicas hor. postmerid. III d. Merc. aut Saturni instituet.

Dr. *K. W. Nitzsch privatim* 1) praecipuorum populorum respublicas quater per hebd. hora IV—V adumbrabit. 2) Antiquitates Romanas enarrabit ter per hebd. h. VIII—IX. *Publice* exercitationes historicas semel per hebd. die Veneris hora VI—VIII moderabitur.

Dr. *Fridericus Harms* tradet *privatim* philosophiam naturae bis per hebd. hora XI; historiam philosophiae inde a Kantio ternis p. h. diebus hora XII; methodologiam scientiarum bis p. h. hora XII; *publice* historiam philosophiae naturae semel p. h. hora XII enarrare perget.

Digitized by Google

Chr. K. F. Molbech publice 1) fabulas heroicas (*Heldensagen*) Scandinavorum singulis diebus Mercurii h. V—VII enarrabit; 2) ter per hebd. horis posthac definiendis exercitationes danicas solito more moderabitur; privatissimas linguarum danicae, suecicae, islandicae scholas offert.

Dr. *G. D. E. Weyer privatim* 1) algebram et analysin algebraicam docebit dieb. Lunae et Martis h. X—XI; 2) stereometriam et trigonometriam sphaericam tradet dieb. Mercurii et Jovis hor. III—IV; 3) calculum integralem dieb. Veneris et Saturni hor. VI—VII exponet. *Publice* astronomiam tradet dieb. Lunae et Martis h. VI—VII.

Dr. *A. Dillmann privatim* 1) legem Mosaicam, quae in Pentateucho continetur, diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora matutina posthac definienda interpretabitur; 2) linguae Sanscritae studiosos in literis Indicis instituere perget ter per hebd.; *publice* 3) linguae Aramaeae studiosis capita ex Onkelosi et Jonathanis Targumim selecta interpretanda proponet bis per hebdomadem.

DOCTORUM PRIVATORUM.

IURIS.

Dr. *Ernestus Friedlieb privatim* jus privatum germanicum quinquies per hebd. h. IX, juris encyclopaediam quaternis lectionibus h. X explicabit.

Dr *A. Voege privatim* jus privatum Germanicum commune et particulare Holsatiae sexies per hebd. h. X docebit; *publice* jus mercaturae cum jure cambiali et maritimo bis per hebd. horis posthac definiendis tradet. *Privatissime* cupientibus repetitoria offert.

MEDICINAE.

Dr. *P. Jessen publice* Psychologiam diebus Martis et Veneris hora IX—X docebit.

Dr. *F. Esmarch privatim* exercitationes clinicas tum chirurgicas tum ophthalmiatricas moderabitur quotidie h. XII—II, chirurgiae partem alteram docebit quotidie hora VIII—IX; ophthalmologiam docebit dieb. Merc. et Sat. hor. III—IV; *privatissime* operationibus chirurgicis, in cadavere instituendis, qualibet oblata occasione, praecerit nec minus cursum operationum ophthalmiatricarum offert, *publice* demonstrationes pathologicas histologicas habebit.

Digitized by Google

Dr. *Herm. Schwartz publice* medicinae forensis capita selecta bis per hebdomad. explicabit, *privatissime* de rebus obstetriciis colloquia moderabitur.

Dr. *Carolus Bartels* 1) *publice* theoriam percussionis et auscultationis docebit; 2) *privatim* de pathologia et therapia morborum venereorum disseret; 3) *privatissime* exercitationes practicas percussionis et auscultationis moderabitur.

Dr. *P. W. Jessen publice* de historia psychiatriae et de epidemiis psychicis diebus Lunae et Jovis hora IX—X disseret.

Dr. *M. Claudius*, prosector, collegia offert, *privatim* 1) de histologia c. h. una cum exercitationibus practicis, horis senis p. h. 2) de osteologia et syndesmologia c. h. horis ternis; *privatissime* anatomiam c. h. tradet.

Dr. *Adolphus de Thaden publice* semel per hebdomadem de luxationibus disseret, *privatissime* 1) artem fascias ligandi docebit, 2) de rebus chirurgicis colloquia moderabitur.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *P. Buttel privatim* 1) calculum differentialem ter per hebd. dieb. Martis, Merc. Sat. h. IX docebit; 2) mathesin elementarem bis per hebd. diebus Merc. et Sat. h. V. tractabit; *publice* 3) geometriam analyticam bis per hebd. diebus et horis posthac definiendis tradet.

Dr. *G. H. Handelmann privatim* historiam tradet temporis Caroli V. imperatoris et sacrorum instauratorum diebus Lunae, Martis et Mercurii h. XII—I, eadem hora, die Veneris, *publice* historiam aevi recentioris adumbrabit.

LECTOR LINGUAE ANGLICAE ET ARTIUM MAGISTRI.

S. Lubbren, lector linguae Anglicae, *publice* diebus Mercurii et Saturni hora VIII—IX exercitationes practicas anglice scribendi et legendi instituet. *Privatissimas* scholae anglicas quotidie habendas offert.

P. Guil. de Balle, publicus equitandi magister, practicas in arte equos subigendi exercitationes moderabitur atque per has scholas practicas simul theoreticas de externa forma equorum judicanda habebit.

Th. Rehbenitz, artis delineandi magister publicus, eorum, qui opera ejus uti velint, in delineandi et pingendi arte exercitationes moderabitur; item in armorum tractatione et gymnastica *M. Maack*, in saltatione *M. Wobeser-Rosenhain* operam suam pollicentur.

(L. S.)

Digitized by Google

Tabellarische Uebersicht der Vorlesungen

nach den Stunden geordnet.

Sommerhalbjahr 1857.

Stunde.	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
7—8	*Fricke*, Messian. Weissag. des A. T. *Weber*, pathol. Anatomie. *Nolte*, Botanik.	*Fricke*, Messian. Weissag. des A. T. *Seelig*, Finanzwissensch. *Weber*, pathol. Anatomie. *Nolte*, Botanik.	*Seelig*. Finanzwissensch. *Weber*, pathol. Anatomie. *Nolte*, Botanik.	*Fricke*, Messian. Weissag. des A. T. *Seelig*, Finanzwissensch. *Weber*, pathol. Anatomie. *Nolte*, Botanik.	*Fricke*, Messian. Weissag. des A. T. *Seelig*, Finanzwissensch. *Weber*, pathol. Anatomie. *Nolte*, Botanik.	*Kirchner*, allgem. Theil der Pharmacologie.
8—9	*Litzmann*, Entbindungsk. 2r Th. *Kirchner*, organ. Theil der pharm. Chemie. *Nitzsch*, Röm. Alterth. *Esmarch*, Chirurgie 2r Th.	*Litzmann*. Entbindungsk. 2r Th. *Seelig*. Nationalökonomie. *Thaulow*, Gesch. d. neuern Philosophie. *Kirchner*, organ. Theil der pharm. Chemie *Esmarch*, Chirurg. 2r Th.	*Seelig*. Nationalökonomie. *Thaulow*. Gesch. d. neuern Philosophie. *Kirchner*, allgm. Theil d. Pharmacol. *Nitzsch*. Röm. Alterthüm. *Esmarch*, Chir. 2r Th. *Lubbren*. prakt. Ueb. im Englischen.	*Litzmann*, Entbindungsk. 2r T. *Seelig*, Nationalökonomie *Thaulow*, Gesch. d. neuern Philosophie *Kirchner*. organ. Theil der pharm. Chemie. *Nitzsch*. Röm Alterthüm. *Esmarch*, Chir. 2r Th.	*Litzmann*, Entbindungsk. 2r Th. *Seelig*. Nationalökonomie. *Thaulow*, Gesch. d. neuern Philosophie. *Kirchner*. organ. Theil der pharm. Chemie. *Esmarch*, Chir. 2r Th.	*Kirchner*, allgem. Theil der Pharmacologie. *Esmarch*, Chir. 2r Th. *Lubbren*, prakt. Ueb. im Englischen.
9—10	*Girtanner*, Inst. u. Röm. Rechtsgesch. *Litzmann*, geburtsh. Klin. *Götz*, spec. Path. u. Ther. 1r Th. *Karsten*, Elektr.-Lehre. *Chalybäus*, Log. u. Metaph. *Panum*, chem. Uebung. *Friedlieb*, Dtsch. Privatr. *P. W. Jessen*, Gesch. d. Psychiatr. u. üb. psych. Epidemien.	*Girtanner*, Instit. u. Röm. Rechtsgesch. *Litzmann*, geburtsh. Klin. *Götz*, spec. Path. u. Ther. 1r Th. *Karsten*. Elektr.-Lehre. *Chalybäus*. Log. u. Metaph. *Thaulow*, Ethik. *Panum*, chem. Ueb. *Friedlieb*. Dtsch. Privatr. *P. Jessen*, Psychologie. *Buttel*, Differ.-Rechnung.	*Götz*, spec. Path. u. Ther. 1r Th. *Chalybäus*, üb. d. menschliche Seele. *Thaulow*, Ethik. *Panum*, chem. Ueb. *Friedlieb*. Dtsch. Privatr. *Buttel*, Differ.-Rechnung.	*Girtanner*, Inst. u. Röm. Rechtsgesch. *Litzmann*, geburtsh. Klin. *Götz*, spec. Path. u. Ther. 1r Th. *Karsten*, Elektr.-Lehre. *Chalybäus*, Log. u. Metaph. *Thaulow*, Ethik. *Panum*, chem. Ueb. *Friedlieb*, Dtsch Privatr *P. W. Jessen*, Gesch. d. Psychiatr. u. üb. psych. Epidemien.	*Girtanner*, Inst. u. Röm. Rechtsgesch. *Litzmann*, geburtsh. Klin. *Götz*, spec. Path. u. Ther. 1r Th. *Karsten*, Elektr.-Lehre. *Chalybäus*, Log. u. Metaph. *Thaulow*, Ethik. *Panum*, chem. Ueb. *Friedlieb*, Dtsch. Privatr. *P. Jessen*, Psychologie.	*Götz*, spec. Path. u. Ther. 1r Th. *Buttel*, Differ.-Rechnung.

Digitized by Google

Stunde.	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
10—11	*Wieseler*, die drei ersten synopt. Evang. *Girtanner*, Inst. u. Röm. Rechtsgesch. *Neuner*, Pand. ohne Erbr. *Götz*, med. Klinik. *Himly*, theor. Chemie. *Christiansen*, Kirchenr. *Panum*, chem. Ueb. *Weyer*, Algebra u. algebr. Analysis. *Friedlieb*, jur. Encyclop. *Vöge*, Deutsch. Privat- u. Holst. Recht.	*Wieseler*, die drei ersten synopt. Evang. *Girtanner*, Instit. u. Röm. Rechtsgesch. *Neuner*, Pand. ohne Erbr. *Götz*, med. Klinik. *Himly*, theor. Chemie. *Curtius*, vgl. Gramm. d. Gr. u. Lat. Sprache I. r Th. *Panum*, chem. Ueb. *Weyer*, Algebra u. algebr. Analysis. *Friedlieb*, jur. Encyclop. *Vöge*, Deutsch. Privat- u. Holst. Recht.	*Lüdemann*, catech. Semin. *Wieseler*, Leidensgesch. *Neuner*, Pand. ohne Erbr. *Götz*, med. Klinik. *Himly*, theor. Chemie. *Curtius*, vgl. Gramm. der Gr. u. Lat. Sprache I. r Th. *Christiansen*, Kirchenr. *Panum*, chem. Ueb. *Vöge*, Deutsch. Privat- u. Holst. Recht.	*Lüdemann*, homil. Semin. *Wieseler*, die drei ersten synopt. Evang. *Girtanner*, Inst. u. Röm. Rechtsgesch. *Neuner*, Pand. ohne Erbr. *Götz*, med. Klinik. *Himly*, theor. Chemie. *Curtius*, vgl. Gramm. der Gr. u. Lat. Sprache I. r Th. *Panum*, chem. Ueb. *Friedlieb*, jur. Encyclop. *Vöge*, Deutsch. Privat- u. Holst. Recht.	*Wieseler*, die drei ersten synopt. Evang. *Girtanner*, Inst. u. Röm. Rechtsgesch. *Neuner*, Pand. ohne Erbr. *Götz*, med. Klinik. *Himly*, theor. Chemie. *Curtius*, philol. Seminar. *Christiansen*, Kirchenr. *Panum*, chem. Ueb. *Friedlieb*, jur. Encyclop. *Vöge*, Deutsch. Privat- u. Holst. Recht.	*Wieseler*, Leidensgesch. *Neuner*, Pand. ohne Erbr. *Götz*, med. Klinik. *Himly*, theor. Chemie. *Curtius*, vgl. Gramm. der Gr. u. Lat. Sprache I. r Th. *Vöge*, Deutsch. Privat- u. Holst. Recht.
11—12	*Thomsen*, vergl. Symbolik. *Planck*, Criminalrecht. *Neuner*, Pand. ohne Erbr. *Götz*, med. Klinik. *Forchhammer*, Aristot. Gesellsch. Nicom. Ethik. *Himly*, chem. Ueb. *Christiansen*, civilist. Ueb. *Panum*, chem. Ueb. *Harms*, Naturphilos.	*Thomsen*, vergl. Symbolik. *Planck*, Criminalrecht. *Neuner*, Pand. ohne Erbr. *Götz*, med. Klinik. *Himly*, chem. Ueb. *Curtius*, philol. Seminar. *Christiansen*, civilist. Ueb. *Panum*, chem. Ueb.	*Lüdemann*, catech. Semin. *Planck*, Criminalrecht. *Neuner*, Pand. ohne Erbr. *Götz*, med. Klinik. *Forchhammer*, philol. Sem. Hesiod. Theog. *Himly*, chem. Ueb. *Panum*, chem. Ueb.	*Lüdemann*, homil. Semin. *Planck*, Criminalrecht. *Neuner*, Pand. ohne Erbr. *Götz*, med. Klinik. *Forchhammer*, Aristot. Gesellsch. Nicom. Ethik. *Himly*, chem. Ueb. *Christiansen*, civilist. Ueb. *Panum*, chem. Ueb. *Harms*, Naturphilosoph.	*Thomsen*, vergl. Symbolik. *Planck*, Criminalrecht. *Neuner*, Pand. ohne Erbr. *Götz*, med. Klinik. *Himly*, chem. Ueb. *Curtius*, Griech. Lyriker. *Christiansen*, civilist. Ueb. *Panum*, chem. Ueb.	*Thomsen*, vergl. Symbolik. *Neuner*, Pand. ohne Erbr. *Götz*, med. Klinik. *Curtius*, Griech. Lyriker.
12—1	*Wieseler*, hist.-krit. Einl. in das N. T. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, alte Geogr. *Himly*, chem. Ueb. *Karsten*, Mineralogie u. Krystallographie. *Harms*, Methodenlehre d. Wissenschaften. *Esmarch*, chir. u. ophthalmol. Klinik. *Handelmann*, Gesch. Carl V. u. d. Reform.-Zeitalt.	*Wieseler*, hist.-krit. Einl. in das N. T. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, alte Geogr. *Himly*, chem. Ueb. *Karsten*, Mineralogie u. Krystallographie. *Harms*, Gesch. der Philos. seit Kant. *Esmarch*, chir. u. ophthalmol. Klinik. *Handelmann*, Gesch. Carl V. u. d. Reform.-Zeitalt.	*Fricke*, Gesch. d. christl. Gottesbegriffs. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, philol. Sem. Hesiod. Theog. *Himly*, chem. Ueb. *Karsten*, Mineralogie u. Krystallographie. *Harms*, Gesch. d. Naturphilosophie. *Esmarch*, chir. u. ophthalmol. Klinik. *Handelmann*, Gesch. Carl V. u. d. Reform.-Zeitalt.	*Wieseler*, hist.-krit. Einl. in das N. T. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, alte Geogr. *Himly*, chem. Ueb. *Karsten*, Mineralogie u. Krystallographie. *Harms*, Methodenlehre d. Wissenschaften. *Esmarch*, chir. u. ophthalmol. Klinik.	*Wieseler*, hist.-krit. Einl. in das N. T. *Behn*, Zoologie. *Forchhammer*, alte Geogr. *Himly*, chem. Ueb. *Karsten*, Mineralogie u. Krystallographie. *Harms*, Gesch. d. Philos. seit Kant. *Esmarch*, chir. u. ophthalmol. Klinik. *Handelmann*, Gesch. der neuern Zeit.	*Fricke*, Gesch. d. christl. Gottesbegriffs. *Harms*, Gesch. d. Philos. seit Kant. *Esmarch*, chir. u. ophthalmol. Klinik.
1—2	*Himly*, chem. Ueb. *Esmarch*, chir. u. ophthalmol. Klinik.	*Himly*, chem. Ueb. *Esmarch*, chir. u. ophthalmol. Klinik.	*Himly*, chem. Ueb. *Esmarch*, chir. u. ophthalmol. Klinik.	*Himly*, chem. Ueb. *Esmarch*, chir. u. ophthalmol. Klinik.	*Himly*, chem. Ueb. *Esmarch*, chir. u. ophthalmol. Klinik.	*Esmarch*, chir. u. ophthalmol. Klinik.

Digitized by Google

Stunde.	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
3—4	*Thomsen*, allg. Kirchengesch. 3r Th. *Behn*, Nervensystem und Sinnesorgane. *Ratjen*, Einl. in die Liter.-Geschichte. *Müllenhoff*, Einl. in die Deutsche Philol. *Nolte*, Demonstrationen.	*Thomsen*, allg. Kirchengesch. 3r Th. *Behn*, Nervensystem und Sinnesorgane. *Müllenhoff*, Einl. in die Deutsche Philol.	*Thomsen*, allg. Kirchengesch. 3r Th. *Behn*, Nervensystem und Sinnesorgane. *Müllenhoff*, Properz. *Thaulow*, üb. d. Amt d. Hauslehrers. *Nolte*, botan Excursionen. *Weyer*, Stereom. u. Trig. *Esmarch*, Ophthalmol.	*Thomsen*, allg. Kirchengesch. 3r Th. *Behn*, Nervensystem und Sinnesorgane. *Ratjen*, Einl. in die Liter.-Geschichte. *Müllenhoff*, Properz. *Nolte*, Demonstrationen. *Weyer*, Stereom. u. Trig.	*Thomsen*, allg. Kirchen-Gesch. 3r Th. *Müllenhoff*, Properz.	*Müllenhoff*, DeutscheUeb. *Nolte*, botan.Excursionen. *Esmarch*, Ophthalmol.
4—5	*Lüdemann*, Liturgik und Homiletik. *Chalybäus*, Religionsphil. *Müllenhoff*, Deutsche Grammatik. *Panum*, Physiologie. *Weber*, path.-histol. Ueb. *Nitzsch*, allg.Verfassungs-Geschichte.	*Lüdemann*, Liturgik und Homiletik. *Chalybäus*, Religionsphil. *Müllenhoff*, Deutsche Grammatik. *Panum*, Physiologie. *Nitzsch*, allg.Verfassungs-Geschichte.	*Thomsen*, Geschichte der Hebräer. *Müllenhoff*, DeutscheUeb. *Panum*, Physiologie.	*Lüdemann*, Liturgik und Homiletik. *Chalybäus*, Religionsphil. *Müllenhoff*, Deutsche Grammatik. *Panum*, Physiologie. *Weber*, path.-histol. Ueb. *Nitzsch*, allg.Verfassungs-Geschichte.	*Lüdemann*, Liturgik und Homiletik. *Müllenhoff*, Deutsche Grammatik. *Panum*, Physiologie. *Nitzsch*, allg.Verfassungs-Geschichte.	*Thomsen*, Geschichte der Hebräer. *Panum*, Physiologie.
5—6	*Fricke*, christl. Ethik.	*Fricke*, christl. Ethik.	*Molbech*, nord.Heldensag *Buttel*, Element.-Mathem.	*Fricke*, christl. Ethik.	*Fricke*, christl. Ethik.	*Buttel*, Element.-Mathem.
6—7	*Weyer*, Astronomie.	*Weyer*, Astronomie.	*Kirchner*, pharmacogn. Demonstrat. *Molbech*, nord.Heldensag.		*Weyer*, Integral-Rechn. *Nitzsch*, histor.-krit. Ueb.	*Weyer*, Integral-Rechn.
7—8					*Nitzsch*, histor.-krit. Ueb.	

An später zu bestimmenden Tagen und Stunden:

Thomsen, vergl. Symbolik, für welche die fünfte Stunde später zu bestimmen ist. *Planck*, prakt. Uebungen, 3 Tage von 12—1. *Girtanner*, civilist. Uebungen, 2 Stund. *Forchhammer*, archäol. Uebungen. *Karsten*, prakt. physik. Uebungen; physik. Colloquia. *Seelig*, wichtige Fragen der Volkswirthschafts-Politik, 1 Stunde. *Weber*, Sectionen. *Panum*, physiol. Colloquia, 1 Mal wöchentlich. *Nitzsch*, Röm. Alterthümer, von 8—9, 3 Mal. *Molbech*, Dän. Sprachübungen, 3 Mal wöchentlich; Dän., Schwed., Isländ. Sprache. *Dillmann*, Pentateuch, 4 Mal in der Woche; Sanskrit, 3 Mal; Aramäisch, 2 Mal. *Voge*, Handels-, Wechsel- u. Seerecht, privatissima. *Esmarch*, chirurg. Operationen am Cadaver; Augenoperationen; pathol.-histol. Demonstrationen. *Schwartz*, ausgewählte Capitel der gerichtl. Medicin, 2 Mal wöchentlich; obstetricische Colloquia. *Bartels*, Theorie der Percussion u. Auscultation; Pathol. u. Therapie venerischer Krankheiten; prakt. Uebungen der Percussion u. Auscultation. *Claudius*, Histologie mit prakt. Uebungen, 6 Mal in der Woche; Osteologie u. Syndesmologie, 3 Mal; Anatomie. *Thaden*, über Verrenkungen, 1 Mal wöchentlich; Verbandcursus; chirurg. Repetitorium. *Buttel*, analyt. Geometrie, 2 Mal wöchentlich. *Lubbren*, privatissima über Engl. Sprache. v. *Balle*, Reitübungen. *Rehbenitz*, Uebungen im Zeichnen und Malen.

Digitized by Google

Digitized by Google

1857. II.

VERZEICHNISS

der

Behörden, Commissionen, Beamten, Institute, Lehrer und Studirenden

der Universität Kiel.

Sommersemester 1857.

KIEL.

Gedruckt bei C. F. Mohr.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. Behörden.

Curator.

Kammerherr, Obristlieutenant *H. A. F. Kauffmann*, Ritter vom Dannebrog und Dannebrogsmann, Oberdirector der Stadt Kiel, Amtmann der Aemter Kiel, Bordesholm und Cronshagen, Commissar für das Kloster Preetz und den benachbarten Güterdistrict.

Rector.

(Rescript vom 16. Juli 1839.)

Prof. Dr. *J. J. W. Planck*, R. v. D.

Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen*, R. v. D. und D. M., Prorector.

Consistorium academicum plenum.

(Reglement für das academische Consistorium vom 31. Juli 1801.)

Mitglieder: Sämmtliche ordentliche Professoren.

Protocollführer: Der Syndicus.

Consistorium arctius.

(Anordnung wegen Einrichtung eines Privat- oder engern Consistorii bei der Universität Kiel vom 19. December 1781. Declaration etc. vom 13. August 1792.)

Prof. Dr. *Planck*, R. v. D., als Rector.

Prof. Dr. *Wieseler*,
Prof. Dr. *Neuner*,
Prof. Dr. *Behn* (bis zum 24. Juni),
Prof. Dr. *Litzmann* (vom 24. Juni),
Etatsr. Prf. Dr. Ratjen (bis zum 24. Juni),
Prof. Dr. *Forchhammer* (vom 24. Juni),
} als Decane. (Vergl. S. 8, V.)

Protocollführer: Der Syndicus.

Universitäts-Gericht.

Nach Verschiedenheit der Gegenstände der Rector oder das Consist. arct. oder das Consist. plenum.

Syndicus der Universität.

(Instruction für den Syndicus vom 29. August 1788.)

E. F. Christensen.

Digitized by Google

II. Academische Neben-Aemter und Commissionen.

1. Examinations-Collegium für das Convict-Examen.

(Kanzleipatent über die angeordneten Prüfungen etc. vom 3. Febr. 1799; Rescript vom 5. Aug. 1837.)

Sämmtliche ordentliche Professoren der philosophischen Facultät.

Das Convict steht unter Aufsicht des Consist. academ.

2. Commission für das Stipendium Schassianum.

(Rescript vom 13. Nov. 1804 [Chronol. Samml. 1840 Anhang] und Bekanntmachung vom 1. Dec. 1804.)

Nach § 6 der Verfügung vom 13. November 1804:

Der ordentliche Professor der Beredtsamkeit Dr. *Curtius*.

Nach Rescript vom 19. Juli 1855:

Prof. Dr. *Forchhammer*.

Prof. Dr. *Thomsen*.

Prof. Dr. *Nenner*.

Die Stipendien werden vom Consist. academ. vergeben.

3. Commission für das Stipendium philologicum.

(Regulativ, betreffend die künftige Verwendung des Königl. philol. Stipend. vom 10. April 1810.)

Prof. Dr. *G. Curtius*.

Prof. Dr. *K. W. Nitzsch*; const.

Prof. Dr. *G. Karsten*; const. für das zweite und dritte Examen.

4. Commission für das Schulamts-Examen.

(Regulativ vom 10. April 1810, § 11; Rescript vom 8. Juli 1820; Bekanntmachung vom 6. Februar 1844.)

Die Mitglieder der vorigen Commission, ein jedesmal vom Consist. zu deputirender Professor der Theologie und ein oder zwei Professoren der Philosophie.

5. Richardi'sches Stipendium.

(Bestätigung des Stiftungsbriefes vom 6. Januar 1786 und Interpretation vom 22. März 1831.)

Wird vom Consist. academ. conferirt.

6. Herzoglich Oldenburgisches Stipendium.

(Rescripte vom 12. November 1814 und 9. Januar 1816, sowie Interpretation vom 22. März 1831.)

Wird vom Consist. academ. conferirt.

7. Administration der Convict- und Stipendiengelder.

Der Quästor.

Digitized by Google

8. Honorarienstundungs-Verein.

Geschäftsführer: Prof. Dr. *Weber.*

9. Deputirter der Universität zum Armendirectorium.

(Resolution vom 24. Mai 1793.)

Prof. Dr. *G. Karsten.*

10. Revisoren der Universitäts-Rechnungen.

(Instruction für den Quästor vom 17. September 1783, § 13.)

Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen.*
Prof. Dr. *J. W. Planck.*

11. Administration der Professoren-Wittwenkasse.

(Fundation vom 11. November 1785 und Instruction vom 24. Februar 1786.)

Der Quästor.

12. Bibliotheks-Commission.

(Instruction vom 18. November 1826.)

Als Bibliothekar: Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen.*
Von der theologischen Facultät: Prof. Dr. *Thomsen.*
Von der medicinischen Facultät: Prof. Dr. *Litzmann.*
Von der philosophischen Facultät: Prof. Dr. *Curtius.*

13. Spruch-Collegium.

(Rescript vom 30. Juli 1777 und Reglement vom 19. November 1783.)

Ordinarius: Prof. Dr. *J. W. Planck.*

14. Commission für die Druckschriften der Universität.

Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen.*
Prof. Dr. *P. W. Forchhammer.*
Prof. Dr. *G. Karsten.*

Digitized by Google

III. Officianten der Universität und Universitäts-Verwandte.

Quästor der Universität.

(Instruction vom 17. September 1783.)

Syndicus *E. F. Christensen*, Wasserallee No. 107.

Aedil der Universität.

(Rescript vom 27. April 1792.)

Syndicus *E. F. Christensen*, Wasserallee No 107.

Universitäts-Copiist.

Ch. Spetmann, Sophienblatt No. 378.

Pedelle.

C. Conräder (quies.), kl Kuhberg No. 223.
D. Biel, Klosterkirchhof No. 104.
H. Jäger, Wasserallee No. 107.

Auditorienwärter.

Johann Feldmann, Kattenstrasse No. 133.

Universitäts-Buchhändler: *C. G. L. v. Maack*, Schuhmacherstrasse No. 86.
Universitäts-Buchdrucker: *Mohr's* Erben, Flämischestrasse No. 33.
Universitäts-Buchbinder: *J. G. L. Castagne*, Schuhmacherstrasse No. 46.

IV. Universitäts-Institute.

1. Universitäts-Bibliothek.

Bibliothekar: Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen.*
Hülfsarbeiter: Der Studirende der Philologie *Burmester.*

(Die Bibliothek befindet sich im Schlosse und ist Mittwochs und Sonnabends Nachmittags von 3—5, an den übrigen Wochentagen von 11—1 Uhr geöffnet.)

2. Homiletisches Seminar.

Director: Kirchenrath Prof. Dr. *C. Lüdemann.*

(Der von den Mitgliedern des Seminars wöchentlich gehaltene, mit den kirchlichen Anzeigen im Wochenblatt vorher publicirte Gemeinde-Gottesdienst findet statt: Donnerstags von 10—11 Uhr in der Klosterkirche, die Beurtheilung der homiletischen und liturgischen Leistungen: Donnerstags von 11 Uhr an im Auditorium No. 1.

Die Bibliothek des Seminars ist in der Wohnung des Directors und steht zur Benutzung täglich offen.)

Digitized by Google

3. Katechetisches Seminar.

Director: Kirchenrath Prof. Dr. *C. Lüdemann.*

(Der von den Mitgliedern des Seminars einer Abtheilung von Knaben aus den Oberklassen der Freischule wöchentlich ertheilte Religionsunterricht findet statt: Mittwochs von 10—11 Uhr im Audit. No. 1, die Beurtheilung der katechetischen Leistungen Mittwochs von 11 Uhr an.)

4. Anatomisches Theater und Museum.

Director: Prof. Dr. *W. F. G. Behn.*
Prosector: Dr. *Claudius.*

5. Physiologisches Laboratorium.

Director: Prof. Dr. *P. L. Panum.*

6. Pathologische Klinik im academischen Krankenhause.

Vorsteher: Prof. Dr. *E. F. Götz.*
Assistenzarzt: Dr. *A. Ritter.*
Rechnungsführer: Secretair *M. Bartel.*
Oeconom: *F. Rath.*

(Die Klinik wird von 11—4 Uhr gehalten.)

7. Chirurgische Klinik im Friedrichshospitale.

Interimistischer Vorsteher: Dr. *F. Esmarch.*
Assistenzarzt: Dr. *Philippsen.*
Rechnungsführer: Secretair *M. Bartel.*
Oeconom: *H. J. Hancke.*

(Die Klinik wird von 8—10 Uhr Morgens gehalten.)

8. Geburtshülfliche Klinik in der Hebammenanstalt und dem Entbindungshause.

Vorsteher: Prof. Dr. *C. C. Th. Litzmann.*
Assistenzarzt: Dr. *H. Schwartz.*
Oberhebamme: *M. C. Schwarz.*

(Die Klinik wird von 10—11 Uhr Morgens gehalten.)

9. Philologisches Seminar.

Director: Prof. Dr. *G. Curtius.*

10. Münz- und Kunst-Sammlung.

Vorsteher: Prof. Dr. *P. W. Forchhammer.*

Digitized by Google

11. Pädagogisches Seminar.

Director: Prof. Dr. *G. Thaulow.*

(Montags von 8—10 Uhr im Auditorium No. 3.)

12. Zoologisches Museum.

Director: Prof. Dr. *W. F. G. Behn.*
Assistent: Stud. *Höpfner.*

13. Botanischer Garten.

Director: Prof. Dr. *E. F. Nolte.*
Rechnungsführer: Der Quästor.
Gärtner: *Bader.*

(Der botanische Garten ist im Sommer für Studirende an allen Wochentagen von 7—12 und 1—7 Uhr geöffnet. Für das Publicum ist der Garten vom Juni bis September Dienstags und Freitags Nachmittags von 4—7 Uhr zugänglich.)

14. Mineralogisches Museum.

Director: Prof. Dr. *G. Karsten.*

(Das Museum ist Mittwoch und Sonnabend von 12—2 Uhr geöffnet.)

15. Chemisches Laboratorium.

Director: Prof. Dr. *C. Himly.*
Assistent: Stud. *Gänge.*

16. Physikalisches Institut.

Director: Prof. Dr. *G. Karsten.*
Assistent: Dr. *L. Matthiessen.*

17. Museum vaterländischer Alterthümer.

(Pertinenz der Universitäts-Bibliothek nach den am 27. Mai 1834 Allerhöchst bestätigten Statuten.)

Director: Prof. Dr. *K. Müllenhoff*, als Mitglied des Vorstandes der Gesellschaft für vaterländische Alterthümer. Den Vorstand bilden Etatsrath Prof. Dr. *Ratjen*, Prof. Dr. *Müllenhoff* und Universitäts-Zeichnenlehrer *Rehbenitz.*

(Das Museum ist regelmässig an den Hauptmarkttagen für das grössere Publicum geöffnet; ausserdem nach vorgängiger Meldung beim Director zu besichtigen.)

V. Facultäten.

Decan der theologischen Facultät:
Prof. Dr. *C. G. J. Wieseler.*

Digitized by Google

Decan der juristischen Facultät:
Prof. Dr. *C. Neuner.*

Decan der medicinischen Facultät:
Prof. Dr. *W. F. G. Behn* bis zum 24. Juni.
Prof. Dr. *C. C. Th. Litzmann* vom 24. Juni.

Decan der philosophischen Facultät:
Etatsrath Prof. Dr. *H. Ratjen* bis zum 24. Juni.
Prof. Dr. *P. W. Forchhammer* vom 24. Juni.

VI. Lehrer-Personal.

1. In der theologischen Facultät.

C. P. M. Lüdemann, R.*, Dr. theol. und philos., Kirchenrath, Prediger an der heiligen Geist- und Garnisonskirche, o. P.; Klosterkirchhof No. 12.
C. N. T. H. Thomsen, Dr. theol. und philos., o. P.; Fischerstrasse No. 89.
C. G. J. Wieseler, Dr. theol., o. P.; neue Dänischestrasse No. 149.
G. A. Fricke, Dr. theol. und philos., o. P.; Fleethörn No. 21.

2. In der juristischen Facultät.

J. J. W. Planck, R.*, Dr. jur., o. P.; Küterthor No. 52.
W. Girtanner, Dr. jur., o. P.; Wasserallee No. 107.
C. Neuner, Dr. jur., o. P.; Sophienblatt No. 360.
B. C. S. Christiansen, Dr. jur., a. P.; Sophienblatt No. 43.
E. S. H. Friedlieb, Dr. jur., Priv. D.; Holstenstrasse No. 128.
A. Voege, Dr. jur., Priv. D.; Faulstrasse No. 41.
Burchardi, Dr. jur., Priv. D.; Sophienblatt No. 360.

3. In der medicinischen Facultät.

W. F. G. Behn, Dr. med. und chir.; Schlossstrasse No. 73 a.
C. C. Th. Litzmann, Dr. med. und chir., o. P.; Fleethörn No. 249.
E. F. Götz, Dr. med., o. P.; Prüne No. 91.
F. Weber, Dr. med. und chir., a. P.; Sophienblatt No. 374.

Digitized by Google

P. L. Panum, R.*, Dr. med., a. P.; Kehdenstrasse No. 73 a.
G. P. E. Kirchner, Dr. med. und chir., a. P.; kl. Kiel No. 436 a.
P. Jessen, Dr. med. und chir., Priv. D.; Hornheim.
P. W. Jessen, R.*, Professor, Dr. med. und chir., Priv. D.; Hornheim.
H. Schwartz, Dr. med. und chir., Priv. D.; Fleethörn No. 294.
F. Esmarch, Dr. med. und chir., Priv. D.; Vorstadt No. 7.
C. Bartels, Dr. med. und chir., Priv. D.; Kehdenstrasse No. 75 a.
M. Claudius, Dr. med. und chir., Priv. D.; Brunswieck No. 27.
v. Thaden, Dr. med. und chir., Priv. D.; Vorstadt No. 9.

4. In der philosophischen Facultät.

H. Ratjen, R.* und D. M., Etatsrath, Dr. jur. und phil., o. P.; Faulstrasse No. 99 b.
P. W. Forchhammer, Dr. phil., o. P.; neue Dänischestrasse No. 147.
C. F. A. Himly, Dr. phil., o. P.; Sophienblatt No. 42.
G. Karsten, Dr. phil., o. P.; Küterstrasse No. 99.
H. M. Chalybäus, Dr. phil., o. P.; kl. Kiel No. 441.
G. Curtius, Dr. phil., o. P.; Neuestrasse No. 386.
F. Seelig, Dr. phil., o. P.; Düsternbroocker Weg No. 85.
K. V. Müllenhoff, Dr. phil., o. P.; kl. Kiel No. 436 a.
G. F. Thaulow, Dr. phil., o. P.; Dänischestrasse No. 24.
E. F. Nolte, Dr. med., a. P.; Prüne No. 91.
K. W. Nitzsch, Dr. phil., a. P.; Kehdenstrasse No. 73 a.
F. Harms, Dr. phil., a. P.; kl. Kiel No. 458.
G. K. F. Molbech, a. P.; Brunswieck No. 1.
G. D. E. Weyer, Dr. phil., a. P.; Holstenstrasse No. 128.
A. Dillmann, Dr. phil., a. P.; Pfaffenstrasse No. 4.
G. H. Handelmann, Dr. phil., Priv. D.; Brunswieck No. 77.
P. Buttel, Dr. phil., Priv. D.; Hassstrasse No. 119.
S. Lubbern, Lector; Brunswieck No. 5 c.

Lehrer der Reitkunst: Kriegsrath *P. W. v. Balle*, R.*; Kattenstrasse No. 106 b.
Lehrer der Tanzkunst: *A. v. Wobeser-Rosenhain.*
Lehrer der Zeichnenkunst: *Th. Rehbenitz*; am Wall No. 159.
Lehrer der Fechtkunst: *J. J. C. Mauck*; Schlossstrasse No. 125.

Digitized by Google

VII. Verzeichniss der Studirenden.

Name.	Geburtsort.	Studium.	Inscribirt. Ostern.	Mich.	Wohnung.
Ackermann, E.	Lütjenburg.	Medicin.	55.	—	Mordhorst, kl. Kuhberg.
Asmussen, E.	Pellworm.	Theologie.	57.	—	Wolters, Schlossstrasse.
Babin, G. A. H.	Friedrichstadt.	Pharmacie.	57.	—	Bode, Langereihe.
Bagge, O. B.	Kiel.	Jura u. Cam.	56.	—	Bargum, Exercierplatz.
Banck, J.	Schleswig.	Medicin.	57.	—	Geerdts, Neuestrasse.
Behrns, H. C. J.	Maasleben.	Philosophie.	56.	—	Brandis, Faulstrasse.
Bentink, W. G. F.	Knipharsen.	Jura.	56.	—	Heuer, Schülperbaum.
Binzer, J. v.	Schwarzenbeck.	Jura.	—	56.	Troest, Markt.
Blieffert, J.	Itzehoe.	Medicin.	56.	—	Bode, Langereihe.
Block, A. C. L.	Pötrau (Lauenburg).	Medicin.	—	53.	Will, Waisenhofstrasse.
Bolten, J. A. H.	Bünstorff.	Theologie.	—	56.	Baumann, Schlossstrasse.
de Boor, F.	Dorkenhuden.	Medicin.	51.	—	Thiessen, Vorstadt.
Boysen, J. G. W.	Glückstadt.	Theologie.	—	56.	Krüger, Vorstadt.
Boysen, J. W.	Neuenkirchen in Norderdithmarschen.	Philologie.	—	54.	Jaacks, am Wall.
Braasch, C.	Meldorf.	Theologie.	—	53.	Mau, Flämischestrasse.
Brandt, H. G.	Ahrensböck.	Jura.	57.	—	Engel, kl. Kuhberg.
Breier, J.	Eutin.	Theologie.	57.	—	Petersen, Flämischestrasse.
v. Bremen, H.	Freiburg.	Medicin.	—	56.	Hanke, Flämischestrasse.
Brockenhuus, W. A.	Schleswig.	Medicin.	53.	—	Christensen, am Hafen.
Caspersen, H. C. C. F.	Crempe.	Pharmacie.	57.	—	Klopp, Hülstenstrasse.
Christensen, A.	Schleswig.	Philologie.	52.	—	Christensen, Brunswieck.
Christern, J. W.	Reinbeck.	Medicin.	57.	—	Langenbuch, Kehdenstrasse.
Cornils, E. P.	Süderstapel.	Theologie.	57.	—	Wwe. Hüllmann, Dän. Str.
Dühnhardt, J. C. H.	Garding.	Jura.	—	56.	Mordhorst, kl. Kuhberg
David, H.	Heilshoop.	Theologie.	57.	—	Wwe. Fiege, Markt.
Delfs, Chr.	Schleswig.	Theologie.	—	53.	Werneburg, Faulstrasse.
Dreessen, H.	Hochdonn (Süderdithm.).	Medicin.	56.	—	Stuhr, Brunswieck.
Dührssen, J.	Tellingstedt.	Medicin.	—	53.	Thormählen, Neuestrasse.
Dührssen, W. E.	Meldorf.	Jura.	56.	—	Mau, Flämischestrasse.
Eckard, Chr.	Glückstadt.	Jura.			Thiessen, Vorstadt.
Fick, F. E. H.	Hassendorf.	Philos. Theol.	53.	—	Fick, Hasstrasse.
Fiencke, H.	Ploen.	Theologie.	57.	—	Hintz, Küterstrasse.
Flebbe, C. C. P.	Neuenbroock.	Mathematik.	55.	—	Bitterling, kl. Kuhberg
Freese, H. J. L.	Kiel.	Pharmacie.	56.	—	Locht, Dänischestrasse.
Friese, G.	Wevelsfleth.	Medicin.	—	54.	Ziesemer, Rosenstrasse.
Gänge, C.	Kiel.	Chemie.	55.	—	Gänge, Schuhmacherstrasse.
Gerling, Th. B.	Süderrade.	Jura.	57.	—	Schnobel, Flämischestrasse.
Germar, C. H.	Heide.	Jura.	55.	—	Christensen, Hafen.
Goos, C. A. F.	Krummendieck.	Medicin.	—	56.	Krayenhagen, Langereihe.
Grantz, A.	Eutin.	Theologie.	—	53.	Mau, Neuestrasse.
Groth, H.	Bornhöved.	Medicin.	57.	—	Klein, Schlossstrasse.
Gülich, O.	Pinneberg.	Jura.	57.	—	Rheder, Schlossstrasse.
Haase, G. L. C.	Kiel.	Theol. u. Phil.	—	56.	Clasen, gr. Kuhberg.

Digitized by Google

Name.	Geburtsort.	Studium.	Inscribirt. Ostern.	Mich.	Wohnung.
Hansen, B. F.	Fahretoft.	Medicin.	—	55.	Volbehr, Faulstrasse.
Hansen, C. J.	Barlt.	Theologie.	—	52.	Wichmann, Dänischestr.
Hansen, Chr. L.	St. Margarethen.	Jura u. Cam.	—	54.	Biller, Fischerstrasse.
Hansen, L.	Wilster.	Jura.	53.	—	Rehm, Schevenbrücke.
Hansen, O.	Flensburg.	Jura.	—	56.	Siegmund, Schuhmacherstr.
Hansen, P.	Bredebroe.	Jura.	53.	—	Wwe. Bünsow, Hasstrasse.
Hansen, Th. H. F.	Kiel.	Theologie.	56.	—	Jepsen, Vorstadt.
Hartz, J. C. E.	Hohenstein.	Theologie.	—	47. 56.	Boldt, Exercierplatz.
Hass, W.	Rendsburg.	Medicin.	53.	—	Mordhorst, kl. Kuhberg.
Hasse, F.	Itzehoe.	Jura.	—	55.	Walsleben, gr. Kuhberg.
Heidenreich, J. H.	Eutin.	Philologie.	—	56.	Eckermann, Fischerstrasse.
Hellborn, H. C. Th.	Rendsburg.	Jura.	—	54.	Niehuus, kl. Kuhberg.
Hillebrandt, H. A.	Hamburg.	Philologie.	57.	—	Petersen, Flämischestrasse.
Hirschfeld, A. E.	Georgenthal.	Chemie.	57.	—	Hirschfeld, Neumühlen.
Höpfner, G.	Kiel.	Medicin.	55.	—	Anatomie, Dänischestrasse.
v. Hollen, H.	Schönweide.	Jura.	57.	—	Naeck, Dänischestrasse.
v. Holstein, N.	Schleswig.	Jura.	54.	—	Agedon, gr. Kuhberg.
Hornbostel, G.	Ratzeburg.	Jura.	56.	—	Lüthge, Sophienblatt.
Jensen, W.	Heiligenhafen.	Medicin.	—	56.	Moldenhawer, Brunswieck.
Jessen, J.	Marne.	Pharmacie.	57.	—	Siegmund, Schuhmacherstr.
Jessien, J.	Kiel.	Pharmacie.	—	56.	Jessien, Küterstrasse.
Johannsen, J.	Bordesholm.	Jura.	—	53.	Hadre, Hassstrasse.
Kähler, O.	Heiligenhafen.	Theologie.	57.	—	Schnobel, Flämischestrasse.
Karstensen, J.	Niebüll (Amts Tondern).	Medicin.	—	53.	Eisele, Faulstrasse.
Kauffmann, J.	Rendsburg.	Jura.	56.	—	Pieper, Sophienblatt.
Kier, P. O.	Hadersleben.	Theol.u.Phil.	57.	—	Bitterling, kl. Kuhberg.
Königsmann, G. H.	Haseldorf.	Jura.	54.	—	Ehmsen, Vorstadt.
Köster, J. H. F.	Gr. Flintbeck.	Theol.u.Phil.	—	56.	Ww. Niehuus, kl. Kuhberg.
Krah, A. J. Th.	Neustadt.	Jura.	55.	—	Lüthge, Sophienblatt.
Krüger, H.	Schleswig.	Pharmacie.	57.	—	Feldt, Holstenstrasse.
Lehmann, E.	Rendsburg.	Medicin.	—	55.	Lehmann, Kehdenstrasse.
v. Levetzow, C. D.	Ehlerstorff.	Jura.	55.	—	Jungjohann, Vorstadt.
Levsen, A.	Bredstedt.	Medicin.	55.	—	Dohse, Markt.
Lienau, W.	Neustadt.	Medicin.	57.	—	Lehmann, kl. Kiel.
Lienau, R.	Neustadt.	Pharmacie.	—	56.	Lehmann, kl. Kiel.
Lorenzen, F. H. W.	Segeberg.	Jura.	56.	—	Walsleben, gr. Kuhberg.
Lucks, J.	St. Michaelis-Donn.	Medicin.	57.	—	Blunck, Schlossstrasse.
Lüders, C. C.	Glückstadt.	Jura.	53.	—	Lüders, Düsternbroock.
Lühr, C. O. F.	Heide.	Theologie.	—	55.	Krayenhagen. Langereihe.
Lund, Th. J.	Hohn (Hzgth. Schleswig).	Theologie.	54.	—	Klindt, Bergstrasse.
Magens, H.	Neuendorf.	Philologie.	55.	—	Wriedt, Exercierplatz
Mahlstedt, C. J. H.	Poppenwurth (Dithm.).	Jura.	—	54.	Hintz, Küterstrasse.
Mannhardt, G.	Hanerau.	Medicin.	57.	—	Seiffert, am Wall.
Martens, D.	Schönhorst.	Theologie.	—	54.	Brocks, kl. Kuhberg.
Martens, J.	Neustadt.	Jura. u. Cam.	54.	—	Jackel, Langereihe.
Mathon, M. N.	Graubünden.	Philologie.	57.	—	Wwe. Michael, Flämischestr.
Mensiga, W. P. J.	Sybecarspel (Holland).	Medicin.	56.	—	Wwe. Brandis, Faulstrasse.
Meyer, A.	Glückstadt.	Medicin.	—	55.	Klein, Vorstadt.
Meyer, J.	Wilster.	Theologie.	—	54.	Zieger, Faulstrasse.
Michaelis, A. T. F.	Kiel.	Philologie.	53.	—	Michaelis, Küterthor.
Mohr, H. M. Th.	Wesselburen.	Cameral.	56.	—	Vollbehr, Dänischestrasse.

Digitized by Google

Name.	Geburtsort.	Studium.	Inscribirt. Ostern.	Mich.	Wohnung.
Nissen, C.	Hadersleben.	Medicin.	54.	—	Schmidt, Vorstadt.
Nissen, H.	Hadersleben.	Philosophie.	—	56.	Jaacks, am Wall.
Petersen, J. P. J.	Kliplev.	Philosophie.	54.	—	Wwe. Möller, Kehdenstr.
Petersen, W.	Kellinghusen.	Jura.	55.	—	Tiedemann, Vorstadt.
v. Prangen, L.	Glückstadt.	Jura.	—	53.	Mordhorst, Langereihe.
Rathlev, A.	Kiel.	Jura.	—	53.	Rahtlev, Schlossstrasse.
zu Rantzau, A. Graf.	Sonderburg.	Jura.	56.	—	Wwe. Hartmann, Faulstr.
Ratjen, Chr. C. A.	Kiel.	Jura.	57.	—	Ratjen, Faulstrasse.
Reinecke, L. O. H.	Kirchhorst in Hannover.	Medicin.	57.	—	Vogel, Neuestrasse.
Reuter, Th.	Apenrade.	Theologie.	—	55.	Wolters, Schlossstrasse.
v. Reventlow, A. L. Chr. Graf.	Schleswig.	Jura.	57.	—	Gr. Rantzau, Düsternbr. Weg.
Rönnau, E. C. Th.	Nordstrand.	Theologie.	—	55.	Bargum, Exercierplatz.
Rolffs, F. W. L. J.	Meldorf.	Cameralia.	57.	—	Hansen, Vorstadt.
v. Rosen, J.	Segeberg.	Jura.	—	54.	Mordhorst, kl. Kuhberg.
Ross, Th.	Karlsruhe in Baden.	Jura.	57.	—	Datz, Flamischestrasse.
Rüdel, C.	Kiel.	Pharmacie.	—	54.	Rüdel, Danischestrasse.
Schickedantz, G.	Oelsnitz in Sachsen.	Theol. u. Phil.	—	56.	Brüning, Dammstrasse.
Schlemm, A. L. E.	Altona.	Medicin.	57.	—	Bitterling, kl. Kuhberg.
Schmidt, G. C. P.	Neuendorf.	Theologie.	51.	—	Ledig, Burgstrasse.
Schröder, L.	Plön.	Medicin.	55.	—	Blunck, Schlossstrasse
Schütt, H. F.	Burg in Dithmarschen.	Jura.	55.	—	Ledig, Burgstrasse.
Schüler, C.	Darmstadt.	Jura.	57.	—	Troest, Markt.
Schumacher, A. H.	Petersdorf auf Fehmarn.	Theologie.	57.	—	Arp, Walkerdamm.
Seeger, C.	Schleswig.	Medicin.	53.	—	Schlichting, Holstenstrasse.
Seeger, G.	Schleswig.	Theologie.	—	55.	Schlichting, Holstenstrasse.
Spliedt, A. F. F.	Sierversstedt (Schleswig).	Medicin.	—	53.	Hospital, Prüne.
v. Stemann, C.	Tolthund.	Jura.	—	56.	Ramm, Sophienblatt.
Tadey, H. Th. J.	Friedrichstadt.	Theologie.	54.	—	Tadey, Schülperbaum.
Tagg, H.	Wilster.	Philologie.	—	56.	Baumann, Schlossstrasse.
Tagg, J.	Wilster.	Medicin.	—	53.	Zornig, Fischerstrasse.
Timm, A.	Altona.	Medicin.	56.	—	Klein, Schlossstrasse.
Toft, H. H.	Flensburg.	Theologie.	—	55.	Horns, Katlenstrasse.
Trede, C. Chr. Th.	Schmalstede (Bordesh.).	Theologie.	—	52.	Mordhorst, Langereihe.
Trede, E. J. H. J.	Hohenwestedt.	Philologie.	56.	—	Brndtfeldt, Dänischestrasse.
Vester, P. J. G.	Wöhrden (Süderdithm.)	Medicin.	—	56.	Jaacks, am Wall.
Vogel, H. C. J.	Flensburg.	Theologie.	54.	—	Wwe. Brandis, Faulstrasse.
Voigt, H. F.	Weddingsted.	Theologie.	—	56.	Wichmann, Dänischestrasse.
Westphal, E.	Itzehoe.	Jura.	54.	—	Bode, Langereihe.
Wiechers, C.	Altona.	Jura.	—	53.	Wwe. Brandis, Faulstrasse.
Wiencke, O. F. R. A.	Seelent.	Theologie.	56.	—	Wwe. Brandis, Faulstrasse.
Willhöft, H.	Brunsdorf.	Jura.	—	56.	Lüthge, Sophienblatt.
Witt, C. G. J.	Collmar.	Medicin.	—	54.	Arp, Walkerdamm.
Witt, J. E. G.	Collmar.	Theologie.	—	51.	Arp, Walkerdamm.
Wittrock, Ph. Chr. H. L. E.	Osterbyegaard (Schlesw.).	Jura.	—	54.	Perbs, Küterstrasse.
Wolff, Chr. Th.	Husum.	Medicin.	—	55.	Eisele, Faulstrasse.
Wulff, H.	Stein.	Jura.	57.	—	Reinhold, Schuhmacherstr.
Wyncken, F.	Lütjenburg.	Medicin.	56.	—	Klein, Vorstadt.
Zahn, C. H. Th.	Wohlau in Schlesien.	Medicin.	55.	—	Baumann, Schlossstrasse.

Digitized by Google

Theologie Studirende	30	
Theologie und Philologie	4	
Theologische Facultät		34
Jura	41	
Jura und Cameralia	3	
Cameralia	2	
Juristische Facultät		46
Medicin	38	
Medicinische Facultät		38
Philosophie	2	
Philologie	10	
Philologie und Theologie	1	
Mathematik	1	
Pharmacie	8	
Chemie	2	
Philosophische Facultät		24
		142 Studirende.

Digitized by Google

1857. III.

INDEX SCHOLARUM

IN ACADEMIA

CHRISTIANA ALBERTINA

PER

INSTANS SEMESTRE HIBERNUM

A DIE INDE XV. MENSIS OCTOBRIS ANNI MDCCCLVII

USQUE

AD DIEM XV. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLVIII

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

PRAEFATUS EST GEORGIUS CURTIUS DE AORISTI LATINI RELIQUIIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

Digitized by Google

Digitized by Google

In linguarum originibus indagandis cum vel acutissimi viri usque ad nostri saeculi initium prorsus a vero aberraverint, Germanorum imprimis hominum ingenio et industria nunc demum effectum est, ut quae sit sermonis humani natura, quae gentibus ad imperium orbis terrarum destinatis in verbis verborumque formis antiquitus communia fuerint, aliquanto nobis accuratius cognovisse videamur. Quare nemo nunc erit paulo eruditior, qui formas sermonis grammaticas hominum acumine et cogitandi subtilitate paulatim inventas esse putaverit. Omnes concedunt temporibus ab omni hominum memoria remotis ex ingenio humano, quasi ex agro inculto quidem sed sua natura fertilissimo, uberrimam verborum dicendique formarum copiam naturali quadam vi esse progenitam, quae cum per longam saeculorum seriem accurate conservata esset, aetate longe posteriore eum usum invenerit, quem in Graecorum maxime Romanorumque scriptis admiramur. Quae cum ita sint, formas grammaticas, quibus Graeci Romanique magis quam nos abundant, Graeci rursus Romanis praestant, non ab his fictas et excogitatas, sed servatas atque ad certam utendi normam directas esse censebimus. Itaque quae olim solius Graecorum sermonis propriae esse videbantur, dualis, optativi, aoristi formae, earum vestigia jam non tantum apud Indos, sed etiam apud alias ejusdem originis gentes inventa sunt. Nam ut optativum praetercam, qui nulli earum de quibus dico linguarum prorsus deest, aoristo Graecorum quae respondeant, et in lingua sanscrita et in vetustissima Slavonum dialecto reperiuntur, et a quibusdam vel in Germanorum sermone antiquiore remansisse putantur. Jam vero cum plane exploratum sit Italicarum gentium proavos longe diutius cum Graecorum, quam cum aliarum nationum majoribus vitae sermonisque communione fuisse conjunctos, mirandum fere esset, nisi quaedam certe etiam in Italorum linguis servarentur vestigia earum formarum, quas grammatici graeci communi aoristorum nomine comprehendere solent.

Digitized by Google

Nec defuerunt, qui linguae latinae aoristum vindicarent. Sagacissimus enim ille vir, qui totam hanc comparandarum linguarum rationem primus constituit, Boppius et qui eum secuti sunt Benaryus, Aufrechtius, alii, perfecti latini formas aut omnes aut quasdam aoristis graecis respondere existimant. Cui opinioni quid et in formis perfecti latini et in earum usu obstet, cum in censura grammaticae comparativae Boppianae *(Zeitschr. f. d. Alterthumsw.* 1843 *p.* 876*)* et in libro de graeci latinique verbi temporibus et modis edito pluribus exposuerim, ad hanc quidem quaestionem vel propterea non rediturus sum, quod et complures viros doctos mihi assentientes inveni et nuperrime eum, qui meus eorumque qui in Austria me audiverunt acerrimus censor exstitit, Ludovicum Langium *(Zeitschr. f. d. österr. Gymn.* 1857 *p.* 149*)*. Cum hoc igitur viro doctissimo idem nunc probo quod annis abhinc quattuordecim proposui, perfectorum latinorum genera omnia, nullo excepto, cum Graecorum, Indorum, Germanorum perfectis, non cum aoristis esse comparanda.

Verum alibi, ni fallor, quaerenda sunt quae in Romanorum sermone cum aoristis graecis possint conferri. In quo num fortasse formae resederint eorum aoristorum similes qui cum primi vocari soleant rectius compositi vel sigmatici dicuntur, nunc omittam, ea tantum curabo, quae ad alterum aoristi genus, simplex illud et antiquius eorum qui secundi audiunt, pertinere videantur. Hujus generis proprium est, ut aoristi formae non peculiari aliqua temporis nota ab iis differant quae praesentis vel imperfecti sunt, sed ea ipsa re, quod additamentis illis carent, quibus aucta multorum verborum praesentia et imperfecta quoddam pondus et majorem gravitatem ad durántis actionis vim accommodatissimam in se recipiunt. Ita enim inter se distingui φύγω et φεύγω, τέκοι et τίκτοι, βάλλειν et βαλεῖν, γιγνώσκων et γνούς, ἐλάμβανε et ἔλαβε non est quod exponam. Jam vero apud Latinos in quibusdam verbis simile inter breviores formas et magis productas invenitur discrimen. Compertum est apud vetustiores Romanos *pagunt*, *tagit*, *attigat* in usu fuisse. Quorum ratio non haec est, ut antiquiore tempore eae formae quae littera nasali carent solae usurpatae fuerint, postea ampliores, quae sunt *pangunt*, *tangit*, *attingat*, in breviorum locum successerint. Nam Attius poeta v. 231 (Ribbeck) dicit

Egone Argivum imperium *attingam?*

idem v. 304

Age, age, amolire, amitte, cave vestem *attigas,*

Plautus Mercat. v. 32

quae nihil *attingunt* ad rem, nec sunt usui,

Digitized by Google

idem Mostellar. v. 468

Aedis ne *attigatis*, tangite

et Bacch. 445, Trucul. II 2, 21, Epid. V 2, 58, Turpilius v. 106 *ne attigas*. Nec quisquam harum rerum paulo peritior in mentem inducat, formam ampliorem tum demum natam esse, cum jam ‚Musa pinnato gradu' bellicosam in Romuli gentem feram se intulisset, cum satis constet similis nasalis additamento apud Indos Graecosque praesentis formas ab iis distingui quae ex ipsa radice pullulaverint. Itaque quoniam eodem tempore et apud eosdem scriptores utriusque generis formas invenimus, fere cogimur ut *attingam* cum Graecorum προσθιγγάνω, Attianum autem illud et Plautinum *attigas* cum graeco προσθίγῃς comparemus. Simplex verbum sine nasali littera legitur in duobus Pacuvii versibus

v. 165 at non cernam, nisi *tagam*

v. 344 ut ego, si quisquam me *tagit*

quorum posterior demonstrat, etiam indicativum *tago* in usu fuisse, qui cui ex graeca lingua comparetur, non habet. Ejus prima persona in Turpilii comici fragmento (v. 131) a Ribbeckio recepta est

Erum, si forte, quasi alias, vini *tago*

quod quomodo scribatur et explicetur non satis exploratum est. Ejusdem est generis quod in vetusta legis formula liber II ad Herennium c. 13 servavit: rem ubi *pagunt*. Ad aliam verborum classem pertinet *gigno*, quod quin ex *gi-gen-o* ortum sit prorsus eodem modo quo graecum γί-γη-σ-μαι ex γι-γεν-σ-μαι dubium non est. Itaque vetusta forma, quae est *gen-ere* eodem jure cum graeco γενέσθαι, quo *gign-ere* cum γίγνεσθαι comparari potest. Quamquam in usu breviorum formarum (Varro ap. Prisc. p. 499 Kr., Lucret. III 795, Varro r. r. II 6, 3) nihil est quod a longioribus alienum sit, nisi quod *genitur* saepius in testamentorum formulis de futuro tempora dicitur: ‚si mihi filius *genitur*' (Cic. de Orat. II 32, 141, de Invent. II 42, 122). — Praeterea ut apud Graecos haud pauca verba inveniuntur, in quibus varia tempora non e stirpibus litterularum quarundam defectu vel additamento inter se distinctis, sed e radicibus prorsus diversis propagata sunt, ita apud Romanos quaedam certe verba exstant, quorum tempora non ex uno eodemque fonte manarunt. In quibus prae ceteris *fero* et *sum* notanda sunt. Non enim casu factum esse putabimus, ut in utraque lingua, ex ea radice quae praesenti *fero* subest, praesentis tantum et quae cum hoc artissime cohaerent formae originem ducerent. Earum apud Romanos etiam futurum est, quod cum in hoc verborum genere optativo Graecorum respondeat eique praesentis tem-

Digitized by Google

poris, ex alio fonte derivari non potest. Quare ut fero et *Φέρω*, feramus et *Φέρωμεν*, sic feremus et *Φέρομεν* inter se congruunt. Sed nec Graeci *πέφορα*, nec Latini feferi vel feri, vel simile quid, unquam finxerunt. Immo ne huic verbo perfectum deesset, utrique radice usi sunt prorsus alia. Graeci perfectum et aoristum ex ea formarunt stirpe quae est *ἐνεγκ*; Romanorum *te-tul-i*, cui posteriore tempore prima syllaba detracta est, ejusdem atque *tollo*, *tolero*, Graecorum *τλῆ-ναι*, *τέ-τλη-κα*, *τάλ-ας*, *τόλ-μα* originis esse constat. Haec enim verba graeca cum habeant vim a sensibus paulo remotiorem, propriam ferendi notionem *τελαμών* atque *τάλαντον* servarunt. Nec multum absunt Indorum *túl-â-mi* vel *tul-j-â-mi*, pondero, *tul-â* libra, *tól-â-mi* tollo, Gothorum *thu'-a* tolero. Quae cum ita se habeant, apertum est similem inter *fer* et *tul* atque inter Graecorum *φερ* et *ἐνεγκ* rationem intercedere, quae cum *pang* et *pag*, *tang* et *tag* radicum inter se discrimine quodammodo comparari potest. Quapropter quod apud Pacuvium legitur v. 228

ne vim qui *attulat* neve attigat

et apud Novium v. 87

dotem ad vos nullam *attulat*

et quod Diomedes grammaticus p. 376 P. affert ‚aulas *abstulas*' possunt haec in aoristi reliquiis numerari, quia ab afferat, auferas non minus diversa sunt, quam *προσενέγκῃ*, *ἀπένεγκον* a *προσΦέρῃ*, *ἀπόΦερε*. Atque notionis quoque differentiam quandam apud Romanos fuisse inter utramque radicem propterea veri non dissimile esse videtur, quod *suffero* certe et *sustuli* non ejusdem significationis sunt. Nam sufferendi verbum eam vim non habet, ut idem quod tollo vel de medio tollo significet, eaque causa fuit cur grammatici sustuli et sublatum cum praesenti tollo ad unius verbi communionem conjungerent. Simillima sibi sunt *διαΦέρω* et *differo* etiam in eo, quod utrumque verbum neutralem usum habet a distandi notione fere non diversum. Verum non idem videtur perfecti quod est *distuli* usus; certe non invenio locum, in quo hoc idem quod ‚diversus fui' significat, quamquam Graecorum *διήνεγκον*, *διενήνοχα*, *διοίσομαι* hujus notionis non sunt expertia.' — Transeamus ad verbum quod dicitur substantivum. In eo nec apud Graecos nec apud Italos perfectum exstat, quod cum praesenti *εἰμί* i. e. *ἐσ-μι*, sum vel es-u-m comparari possit, eamque ob causam Graeci quasi supplementis utuntur perfectis quae sunt *γέγονα*, *πέφυκα*, iidem saepissime *Φῦναι* substituunt, ut aoristi a verbo *εἰμί* formati vice fungatur. Quare mirum sane est, quod formulam illam homericam *ἐν δ' ἄρα οἱ Φῦ χειρί* plerique interpretes ita inflectere solent, ut salutantis manum cum manu salutati quasi concrescentem sibi fingant (‚er wuchs ihm in die Hand'),

Digitized by Google

cum idem fere a poeta significetur atque *ἐγένετο ἐν χειρί (er kam ihm in die Hand)*, ut dicitur *ἐγένετο ἐν ἑαυτῷ (er kam zu sich selbst)*, *ἐγένετο ἀπὸ δείπνου*. Apud Romanos *fui, futurus, fore* adeo omnem nascendi vel gignendi notionem abjecerunt, ut a *sum, ero, esse* temporis tantum ratione differre videantur. Ejusdem propaginis praesens quod est *fuo* vetustiori Latinorum sermoni concedi solet; sed nihil invenitur praeter conjunctivum *fuam*, quem Nonius Marcellus p. 111, 5 ‚*sim vel fiam*' significare dicit. Hujus conjunctivi tres personae singularis et tertia pluralis passim leguntur apud veteres tragicos et comicos, tertia singularis praeterea non tantum Lucretius, sed etiam Virgilius Aen. X 103 semel usus est. Eas igitur formas cum aoristi Graecorum formis quae sunt *φύω, φύῃς, φύῃ, φύωσι*, conferre possumus. Atque locis in quibus leguntur accurate inspectis mihi quidem veri simile est, *fuam* et *sim* sive *siem* non prorsus idem significasse, immo in priore aliquid inesse, propter quod magis cum graeco *γένωμαι* vel *γενοίμην* quam cum *ὦ* vel *εἴην* comparetur, ut nec Nonius cum fuam ‚sim vel fiam' explicaret, nec Servius, cum fuat idem quod ‚fuerit' significare diceret, multum a vero aberraverint. Nam quod in Plauti Milite v. 299 legimus

Quid *fuat* me, nescio

non potest aliter in graecam linguam converti nisi sic, *τί γένωμαι* vel *τί γενήσομαι, οὐκ οἶδα* et fere idem est atque quod vulgo dicitur quid me fiet? Eodem modo Trucul. IV 1, 11 ‚meis quid fortunis *fuat*.' In Bacchidum v. 155 Pistocleri verbis, quae sunt

Fiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem Linus

Lydus respondet

Pol metuo magis, ne Phoenix tuis factis *fuam*.

In Trinummi versu 267 ‚Amor amicus mihi ne *fuas* unquam' ne fuas est *μὴ γένοιο*. Inspice praeterea Afranii v. 280 (Ribb.)

cave ne pendeas

Si *fuas* in quaestione

et Plauti Pers. v. 51 cave *fuas* in quaestione, Pacuv. v. 116

mandat ne matri *fuat*

Cognoscendi unquam aut contuendi copia

legisque formulam a Censorino c. 24 servatam: praetor urbanus qui nunc est quique posthac *fuat* (inss. fiat), ubique aliquod futuri temporis indicium deprehendes. Reliqui loci, quos in universum viginti quinque collegi, non omnes quidem id quod proposui manifestum faciunt, neque tamen, ni fallor, hoc refutant. Quare hos indicasse satis erit: *fuam* Titin. 33, *fuas* Plaut. Capt. 431, 443, Liv. Andron. 21, *fuat* Enn. Trag.

Digitized by Google

203 (Vahlen), incogn. trag. 122, Plaut. Capt. 260, Mercat. 845 (Ritschl), Aulul. II 2, 56, Mil. 595, Amphitr. 985, Terent. Adelph. V 4, 1 (Bentl.), Hec. IV 3, 4, Lucret. IV 638, *fuant* Plaut. Epid. V 1, 13, Pseud. 1029. — Jam vero, ut opinor, magis perspicuum fiet, unde in infinitivum qui est *fore* futuri temporis notio irrepserit, quae nec a *forem* aliena est. Nam cum alibi stirpium breviorum atque aoristis similium formae futurum tempus indicant, tum *πίομαι* et *ἔδομαι* luculenta hujus usus exempla sunt. Eandem vim apud Slavones praesentia eorum verborum in se recipiunt, quae cum perfectiva vocentur, summam cum Graecorum aoristis similitudinem habere demonstratum est. Ac prorsus similem in modum Gothos in quorundam verborum praesentia futuri temporis notionem intulisse Schleicherus nuper exposuit in Kuhnii Annalibus (IV, 194). Quin eadem verbi radix ex qua latinum *fo-re* ortum est in praesentis forma slavonica quae est *ba-d-ą* et in Anglosaxonum *beo-m* futurum tempus significat. Neque hoc in nostra quaestione praetermittendum est, quod pleraeque de quibus egimus conjunctivorum formae latinae saepissime cum prohibendi particula quae est *ne* conjunctae inveniuntur; cum hac enim *attigas* septies, *attulat* bis, *fuas*, *fuat* ter conjungitur. Constat autem Romanos raro tantum ne facias, ne feras dixisse, longe frequentius ne feceris, ne tuleris, Graecos in vetandi modo a *μὴ προσθιγγάνῃς*, *μὴ ἅψῃς* prorsus abstinuisse et tantum *μὴ προσθήγῃς*, *μὴ γένῃ* sibi concessisse. Et quis ignorat, vetustas verborum reliquias facillime in certis quibusdam loquendi formulis vulgari consuetudine sancitis adservari? Quare fortasse ne hoc quidem casu factum est, quod oscum *fuid*, a latino *fuat* significatione non diversum, bis tantum (tab. Bantin. l. 28, 29) post *ni* particulam legitur, quae eandem atque *nē* vim habet.

Denique pauca dicenda sunt de iis verbis, quorum praesentia apud Romanos verbi radicem i littera auctam exhibent, a reliquis temporibus aliena. *Cap-i-o* enim, *par-i-o*, *fod-i-o*, alia quae tertiae vulgo dicuntur conjugationis verba cum iis Graecorum verbis comparanda esse, quae radicis eadem littera auctae vestigia satis manifesta ostendunt, ut *κτείν-ω* i. e. *κτεν-ι-ω*, *βάλλω* i. e. *βαλ-ι-ω*, omnibus qui his in rebus aliquid intellegunt exploratissimum est. Quare quae a pariendi verbo nobis servatae sunt duae participii formae *par-i-ens* et *par-ens*, inter has ea ipsa ratio intercedit quae inter *κτείν-ων* i. e. *κτεν-ι-ων* et *κταν-ών*, *βάλλων* i. e. *βαλ-ι-ων* et *βαλών*. Illa praesentis speciem prae se fert, haec aoristi. Atque in hoc quidem exemplo ad formandi differentiam accedit usus discrimen, et id quidem certissimum, nam *pariens* est *ἡ τίκτουσα*, *parens ἡ τεκοῦσα*, *parentes* sunt *οἱ τεκόντες*. Id igitur num fortuito factum esse dicemus? Haud ignoro apud poetas Graecos praesentis forma *ἡ τίκτουσα* interdum non puerperam sed

Digitized by Google

matrem significari, quamquam hoc ibi tantum fit, ubi plusculum ponderis significationi adjicitur (Soph. Elect. 342 Schneidew.). Quare non negabo fieri potuisse, ut parens a pariente eo tantum differret, quod priori formae i littera subtracta esset. Et sic eam explicavit Pottius *(Etymolog. Forsch. I,* 116), qui eandem litteram in *beneficentior, magnificentia* similiter elisam esse censet. Atque exspectamus sane beneficientior, magnificientia. Quamquam horum verborum ratio paulo diversa est propterea, quod nec beneficio sed bene facio in usu erat, nec positivi qui sunt beneficus, magnificus in hac quaestione neglegi possunt. Itaque illa quae Pottius attulit prope quidem accedunt ad participiorum figuram, sed verae participiorum formae non sunt; et cum non modo in iis participiis quae verbalem notionem retinent, qualia sunt *cap-i-ens, fŏd-i-ens,* sed etiam in iis quae in adjectivorum et substantivorum ordinem transire solent, cujus generis sunt *pat-i-ens, sap-i-ens* i littera praesentis propria manserit, veri simile quidem non est eandem in hoc vocabulo casu quodam periisse. Verum possit aliquis rursus in aliam viam nos deflectere. Scimus enim in antiquiore Romanorum sermone *i* litteram non tantum in *pario* et *pariam* et *pariebam* auditum esse, sed etiam in infinitivo, qui legitur in Ennii Annal. 10

Ova *parire* solet genus pinnis condecoratum

et in futuro, quod in Pomponii Bononiensis v. 20 servatur

si praegnans

Non es, *paribis* numquam.

Quare *par-i-o, pe-per-i, par-tum, par-i-re* illo quidem tempore non cum *cap-i-o, cĕp-i, cap-tum, cap-e-re,* sed cum *ven-i-o, vĕn-i, ven-tum, ven-i-re* ejusdem notae fuit; eamque ob causam dixerit aliquis hanc inter breviorem et ampliorem stirpem differentiam non ad temporum, sed ad verborem formandorum rationem pertinere, et *pariens* atque *parens* ita fere distingui ut *sonant, lavare* ab iis quae antiquioris usus sunt *sonunt, lavere,* praeterea a simillimo veniendi verbo formari *e-ven-at* (Enn. Trag. 238, Plaut. Curcul. I 1, 39, Pompon. 35) *ad-ven-at* (Plaut. Pseud. 1030), a potiendo non tantum *pot-i-tur* et *pot-i* et *pot-e-re-tur* sed etiam *pot-ens.* Nam hoc quidem qui a *possum* derivant, ex participiis quae sunt *prae-sens, ab-sens* non didicerunt, quomodo participium verbi ‚esse' formandum esset. At *pot-ens* quoque aliud atque *pot-iens* significat; nam ut parens ea mulier vocatur quae peperit, sic potens qui potitus est vel ad potentiam pervenit, et formatio verborum saepissime in ipsa flexione sedem habet. Quamobrem qui par-i-o et ven-i-o ad aliud atque cap-i-o verborum genus pertinere existimat, ab eo nihilo minus concedi potest, in parentis nomine aliquid aoristi

Digitized by Google

simile relictum esse, cum praesertim apud Graecos κτυπ-έ-ω aoristum habent ἔ-κτυπ-ο-ν, γραφ-ω ἔ-γρα-ψ-α. Accedit nomen substantivum a participali forma derivatum *sententia*, in quo Pottius rursus i litteram mero casu elisam esse statuit, quamquam eadem in simillimis nominibus *experientia*, *sapientia*, *audientia*, *convenientia* intacta remansit. Quidni igitur hic quoque significandi aliquam rationem diversae formae ansam dedisse conjiciamus? ‚Sententiam', inquit Quintilianus VIII 5 in. ‚veteres quod animo *sensissent*, vocarunt', et qui in senatu sententias dicebant sensa sive τὰ δόξαντα, τὰ γνωσθέντα potius, quam τὰ δοκοῦντα in medium proferebant. Id certe constat in hoc vocabulo vetusti alicujus participii quod est *sentens* memoriam servari, quo nullum magis cum parens conferri possit. Nec pauca exstant in sermone latino nomina ex genere eorum quae a veteribus grammaticis μετοχικά vocantur, in his quaedam cum aoristorum participiis καμόντες, θανόντες, φθίμενοι, κτάμενοι comparanda, quorum naturam Io. Classenius, praeceptor meus dilectissimus, in programmate gymnasii Francofurtensis a. 1855 edito (p. 8) illustravit.

Sed non diutius commorabor in loco admodum lubrico, in quo non facile est ab omnibus conjectandi illecebris cavere. Nam formam quidem aoristi in iis quae tractavimus verbis inesse vel eos concessuros esse spero, qui difficiliorem de significatione quaestionem nimis reconditam esse arbitrentur. Hoc autem concesso qui reputaverit id quod mihi quidem non dubium esse videtur, in universum certe nihil in verbis dicendique formis inesse quod non ad sensum aliquem exprimendum factum sit, eamque ob causam non formam tantum sed etiam vim aoristi ad antiquissimam gentium, quae indogermanicae dicuntur, aetatem pertinere, fortasse non amplius infitiabitur, facile fieri potuisse, ut etiam apud Italos quaedam majoris in tempore significando ubertatis reliquiae remanerent.

Digitized by Google

SCHOLAE PROFESSORUM ORDINARIORUM.

EX ORDINE THEOLOGICO.

Dr. *C. Lüdemann* 1) *publico* officio seminarii homiletici studia et exercitationes moderari perget singulis diebus Jovis hh. X. et XI.; 2) *privatim* a) theologiae practicae partem II. explicabit quaternis p. h. diebus h. IV., b) seminarii catechetici studia et exercitationes moderabitur singulis diebus Mercurii hh. X. et XI. — Vocis ad cantus liturgici leges conformandae cura viro hujus artis peritissimo demandata est.

Dr. *N. Thomsen publice* primordia ecclesiae Christianae per aetatis apostolicae decursum diebus Mercurii h. III—IV., diebus Saturni autem h. XI—XII. enarrabit. *Privatim* 1) historiam ecclesiae Christianae universalem per partem ejus priorem usque ad Gregorium VII. quinquies h. XI—XII. tradet; 2) dogmatum Christianorum historiam usque ad sacra saeculo XVI. restituta diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. III—IV. exponet.

Dr. *Carolus Wieseler*, h. t. Dec., *privatim* 1) epistolas Pauli ad Corinthios diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. X—XI. interpretabitur, et 2) theologiam biblicam Veteris Testamenti diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XII—I. docebit.

Dr. *G. Fricke* 1) *privatim* a) historiam doctrinae Protestanticae exponet quaternis diebus (Lunae, Martis, Jovis, Veneris) h. VI.; b) encyclopaediam et methodologiam studii theologici quaternis diebus (Lunae, Martis, Jovis, Veneris) h. V. tradet; 2) *publice* de Schleiermacheri vita et disciplina disseret binis dd. (Merc. et Sat.) h. XII.

EX ORDINE IURIDICO.

Dr. *J. W. Planck*, acad. h. t. rector, *privatim* 1) judiciorum privatorum ordinem h. XI—XII. et diebus Saturni h. XI—I.; 2) judiciorum publicorum ordinem diebus Lunae et Jovis h. XII—I. tradet.

Dr. *Guilielmus Girtanner* 1) *privatim* doctrinam Pandectarum quotidie tradet h. X—XII.; 2) *publice* historiam juris Romani adjunctis exercitationibus in interpretandis Digestorum selectis fragmentis horis posthac definiendis.

Digitized by Google

Dr. *C. Neuner*, h. t. Dec., *privatim* 1) institutiones et historiam juris Romani quaternis p. h. diebus hor. XI—I. duce libro: *„von Scheurl, Lehrbuch der Institutionen, dritte Aufl., Erlangen* 1856“, 2) jus hereditarium Romanum quaternis p. h. horis tradet, duce libro: *„Arndts, Lehrbuch der Pandecten, zweite Aufl., München* 1855.“

EX ORDINE MEDICORUM.

Dr. *W. F. G. Behn privatim* anatomiam corporis humani sexies p. h. h. II. docebit. *Privatissime* exercitationes anatomicas practicas omnibus diebus non festis h. IX—I. moderabitur.

Dr. *C. C. Th. Litzmann*, h. t. Dec., *privatim* 1) theoriae artis obstetriciae partem I. tradet diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. III.; 2) clinicen obstetriciam moderabitur diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IX.

Dr. *E. F. Goetz privatim* 1) pathologiae et therapiae specialis partem alteram docebit sexies per hebd. h. IX—X.; 2) exercitationibus medicis clinicis praeerit quotidie hora X—XII.

Dr. *P. L. Panum publice* de compositione chemica humorum et partium solidarum corporis humani disseret die Veneris h. XII—II; *privatim* physiologiae humanae partem alteram h. e. physiologiam sensuum, physiologiam motus voluntarii et physiologiam vitae vegetativae sexies p. h. explicabit h. m. IX—X.; *privatissime* sed gratis colloquia physiologica hora vespertina utrinque commoda commilitonibus offert.

EX ORDINE PHILOSOPHORUM.

Dr. *H. Ratjen* bibliothecam publicam aperiet diebus horisque constitutis, diebus Lunae et Jovis h. III—IV. vitas professorum facultatis juridicae Kiloniensis enarrabit.

Dr. *P. Guil. Forchhammer*, h. t. Decanus, *privatim* 1) antiquitates Graecas tradet quaternis diebus Lun. Mart. Jov. et Ven. h. X—XI.; 2) exercitationes Aristoteleas moderabitur binis diebus Lunae et Jovis h. XI—XII.; *publico officio* 3) in seminario philologico interpretationi librorum Varronis de lingua Latina praeerit singulis diebus Mercurii hh. XI—XII. et XII—I.

Dr. *Carol. Himly* 1) chemiam theoreticam docebit et experimentis illustrabit hora X—XI.; 2) exercitationes chemicas practicas in laboratorio academico horis XI—II. sueto more instituet.

Dr. *G. Karsten privatim* 1) physicen experimentalem quinquies p. h. diebus Lun. Mart. Merc. Jov. Ven. h. IX.—X. docebit; 2) mineralogiam et crystallographiam quaternis diebus Lun. Mart. Jov. Ven. h. XII—I. tradet; 3) exercitationes physices practicas sueto more instituet.

Digitized by Google

Dr. *H. M. Chalybaeus privatim* 1) isagogen propaedeuticam in philosophiam binis diebus (Lunae et Jovis) h. IX—X.; 2) principia aestheticae binis diebus (Martis et Veneris) h. IX—X.; 3) historiam philosophiae recentioris quat. dieb. h. IV—V. exponet; 4) *publice* disputationes philosophicas horis constituendis moderabitur.

Dr. *Georgius Curtius privatim* 1) grammaticae graecae latinaeque comparatae partem priorem tradet d. Martis, Jovis, Veneris, Saturni h. XII.; 2) Sophoclis Antigonam interpretabitur d. Martis, Veneris, Saturni h. XI.; *publico officio* 3) in seminario philologico Hyperidis reliquiis ex Schneidewini editione (Göttingen 1853) interpretandis et disputandi exercitationibus praeerit d. Lunae h. V—VII. d. Jovis h. V.

Dr. *Guilielmus Seelig* statisticam generalem et patriae tradet diebus Mart. Merc. Jov. et Vener. h. XII.; idem exercitationes politico-oeconomicas hora postea indicanda publice instituet.

Dr. *Karolus Müllenhoff privatim* carmen epicum der Nibelunge Noth secundum Lachmanni editionem horis quaternis, Propertii elegias horis ternis per hebdomadem interpretabitur, *publice* exercitationes theodiscas moderari perget.

Dr. *Gustavus Thaulow* 1) historiam philosophiae antiquae diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris *privatim* docebit hor. III—IV.; 2) de Schellingio et Hegelio semel *publice* disseret die Mercurii hor. III—IV.; 3) paedogogiam gymnasialem dieb. Lunae, Martis, Jovis et Veneris *privatim* tractabit h. IX—X. secundum librum nundinis instantibus prodituram „*die Gymnasialpädagogik im Grundrisse*," 4) *publico* denique officio seminarium paedagogicum moderari perget.

PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

IURIS.

Dr. *C. Christiansen privatim* 1) jus criminale tradet quinquies p. hebd. h. XI.; *publice* 2) exercitationes juris civilis instituet binis p. hebd. horis.

MEDICINAE.

Dr. *F. Weber* anatomiam pathologicam organorum abdominis, ossium et cutis d. Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. IV. *privatim* docebit; *publice* ubi et quando id fieri poterit sectiones et inde exercitationes pathologico-histologicas instituet.

Dr. *G. P. E. Kirchner publice* colloquium pharmacologico-therapeuticum die Jovis h. p. VII. instituendum offert; *privatim* 1) pharmacologiam specialem sexies h. m. VIII., bis die Martis et Veneris h. m. IX. docebit; 2) chemiam pharmaceuticam sexies h. p. III., praemissis chemiae generalis principiis, tradet.

Digitized by Google

PHILOSOPHIAE.

Dr. *E. F. Nolte publice* elementa botanices docebit d. Sat. h. IX., *privatim* quaternis per hebdomadem diebus hor. IX—X. botanicen medicam s. cognitionem plantarum officinalium exponet; *privatissimas* autem de plantis cryptogamicis scholas offert.

Dr. *K. W. Nitzsch privatim* 1) reipublicae Romanae historiam ter per hebd hora IV—V.; 2) medii aevi historiam ter per hebd. eadem hora enarrabit; *publice* exercitationes historicas moderabitur die Veneris hora VI—VIII.

Dr. *Fridericus Harms* tradet *privatim* psychologiam binis p. h. diebus hora XII.; encyclopaediam philosophiae ternis p. h. diebus hora IV.; *publice* historiam philosophiae naturae inde a Platone die Mercurii hora IV.

K. F. Molbech publice 1) antiquitates Scandinavorum singulis diebus Mercurii h. VI—VIII. enarrabit; 2) d. Jovis h. VI—VII. grammaticam danicam docebit; 3) ter per hebdomad. horis posthac definiendis exercitationes danicas solito more moderabitur; *privatissimas* linguarum danicae, suecicae, islandicae scholas offert.

Dr. *G. D. E. Weyer publice* astronomiam tradet diebus Jov. et Ven. h. VI—VII.; *privatim* 1) matheseos purae elementa tractabit die Saturni hor. matut. X—XII.; 2) calculum differentialem docebit diebus Lunae, Martis et Mercurii hor. pomer. VI—VII.

Dr. *A. Dillmann privatim* 1) librum Jobi interpretabitur diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. VIII—IX.; 2) linguae Sanscritae studiosis aliis hymnos Rigvedae Sanhitae bis per. hebd., aliis poëmata e Mahâbhârata et Râmâjana selecta ter per hebd. interpretanda proponet; *publice* 3) linguam Syriacam bis per hebd.; 4) linguam Aethiopicam bis per hebd. docere perget.

DOCTORUM PRIVATORUM.

IURIS.

Dr. *Ernestus Friedlieb privatim* jus ecclesiasticum tam theologiae, quam juris studiosis accommodatum explicabit diebus Lunae, Mercurii et Saturni h. IV.; jus privatum germanicum et holsaticum quinquies per hebd. hora posthac accuratius definienda docebit, neque juris privati slesvicensis cognitionem cupientibus deerit.

Dr. *A. Voege privatim* 1) jus publicum Germanicum cum jure privato principum diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. X. docebit; 2) jus privatum Holsaticum bis

Digitized by Google

per hebd. h. XII. tradet; 3) jus ecclesiasticum commune et patrium quaternis horis posthac definiendis explicabit. *Privatissime* cupientibus repetitoria offert.

Dr. *R. J. Burchardi* 1) *privatim* historiam juris Romani VI. horis posthac definiendis per hebdomadem explicabit; 2) *privatim* repetitoria de selectis juris privati partibus ternis horis posth. def. p. h. habebit; 3) *publice* exercitationes instituet de jure Pandectarum hor. posth. def. — Cupientibus repetitoria et examinatoria offert.

MEDICINAE.

Dr. *P. Jessen publice* diebus Martis et Veneris hora IX—X. psychiatriam docebit.

Dr. *F. Esmarch privatim* exercitationes clinicas tum chirurgicas tum ophthalmiatricas moderabitur quotidie h. XII—II.; chirurgiae partem primam docebit quotidie h. III—IV.; *privatissime* cursum operationum ophthalmiatricarum offert; *publice* demonstrationes pathologicas histologicas habebit.

Dr. *W. Jessen publice* psychologiam docebit horis binis postea definiendis.

Dr. *Herm. Schwartz publice* medicinae forensis capita selecta tractabit; *privatissime* 1) operationes obstetricias demonstrabit; 2) de rebus obstetriciis colloquia moderabitur.

Dr. *Carolus Bartels* 1) *publice* theoriam percussionis et auscultationis docebit; 2) *privatim* de morbis venereis disseret; 3) *privatissime* exercitationes practicas percussionis et auscultationis moderabitur.

Dr. *M. Claudius publice* de organo auditus singulis horis disseret; *privatim* anatomiam topographicam binis hor. p. h. tradet; *privatissime* de anatomia c. h. leget

Dr. *Adolphus de Thaden publice* semel per hebdomadem de herniis disseret; *privatissime* 1) artem fascias ligandi docebit; 2) de rebus chirurgicis colloquia moderabitur.

PHILOSOPHIAE.

Dr. *P. Buttel privatim* 1) calculum integralem ter per hebd. diebus Lun. Mart. Jov. h. IX. docebit; 2) introductionem in analysin infinitorum bis per hebd. dieb. Merc. et Sat. h. IV. tradet; 3) *publice* geometriam analyticam bis per hebd. diebus Merc. et Sat. h. V. tractabit.

Dr. *G. H. Handelmann publice* historiam aevi recentioris inde a saeculo XVI. adumbrabit die Saturni hora VI—VII.; *privatim* diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris hora XII—I. rerum in Europa a 1760—1815 gestarum tradet historiam.

Digitized by Google

Dr. *Ludovicus Matthiessen privatim* selecta capita mechanices bis per hebd. diebus Lunae et Jovis h. m. VIII—IX. leget; *publice* formulas ad physicen pertinentes (duce libro: „*Mechanische Naturlehre von Dr. G. Karsten, Kiel*“) bis per hebdomadem diebus Merc. et Sat. h. m. VIII—IX. explicabit; *privatissimas* autem de physice experimentali et mathesi scholas offert.

LECTOR LINGUAE ANGLICAE ET ARTIUM MAGISTRI.

S. Lubbren, lector linguae anglicae, *publice* diebus Merc. et Saturni hora IX—X. exercitationes practicas anglice scribendi et legendi instituet. *Privatissimas* scholas anglicas quotidie habendas offert.

P. Guil. de Balle, publicus equitandi magister, practicas in arte equos subigendi exercitationes moderabitur atque per has scholas practicas simul theoreticas de externa forma equorum judicanda habebit.

Th. Rehbenitz, artis delineandi magister publicus, eorum, qui opera ejus uti velint, in delineandi et pingendi arte exercitationes moderabitur; item in armorum tractatione et gymnastica *M. Maack*, in saltatione *M. Wobeser-Rosenhain* operam suam pollicentur.

(L. S.)

Digitized by Google

Tabellarische Uebersicht der Vorlesungen

nach den Stunden geordnet.

Winterhalbjahr 1857—58.

Stunde.	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
8—9	*Kirchner*, Pharmacologie. *Dillmann*, Hiob. *Matthiessen*, analytische Mechanik.	*Kirchner*, Pharmacologie.	*Kirchner*, Pharmacologie. *Dillmann*, Hiob. *Matthiessen*, physikal. Formeln.	*Kirchner*, Pharmacologie. *Matthiessen*, analytische Mechanik.	*Kirchner*, Pharmacologie. *Dillmann*, Hiob.	*Kirchner*, Pharmacologie. *Matthiessen*, physikal. Formeln.
9—10	*Behn*, anat. Ueb. (9-1). *Litzmann*, geburtsh. Klin. *Götz*, Pathol. u. Therapie 2r Th. *Panum*, Physiol. 2r Th. *Karsten*, Experimentalph *Chalybäus*, propäd. Einl. in die Philos *Thaulow*, Gymnasial-pädagogik. *Nolte*, Kenntn. d. Arzeneipflanzen. *Buttel*, Integralrechnung.	*Behn*, anat. Ueb. (9-1). *Litzmann*, geburtsh. Klin. *Götz*, Pathol. u. Therapie 2r Th. *Panum*, Physiol. 2r Th. *Karsten*, Experimentalph. *Chalybäus*, allg. Aesthetik. *Thaulow*, Gymnasial-pädagogik. *Kirchner*, Pharmacologie. *Nolte*, Kenntn. d. Arzeneipflanzen. *Jessen*, Psychiatrie. *Buttel*, Integralrechnung.	*Behn*, anat. Ueb. (9-1). *Götz*, Pathol. u. Therapie 2r Th. *Panum*, Physiol. 2r Th. *Karsten*, Experimentalph. *Nolte*, Cryptogam. Gewächse. *Lubbren*, Ueb. im Engl.	*Behn*, anat. Ueb. (9-1). *Litzmann*, geburtsh. Klin. *Götz*, Pathol. u. Therapie 2r Th. *Panum*, Physiol. 2r Th. *Karsten*, Experimentalph. *Chalybäus*, propäd. Einl. in die Philos. *Thaulow*, Gymnasial-pädagogik. *Nolte*, Kenntn. d. Arzeneipflanzen. *Buttel*, Integralrechnung.	*Behn*, anat. Ueb (9-1). *Litzmann*, geburtsh. Klin. *Götz*, Pathol. u. Therapie 2r Th. *Panum*, Physiol. 2r Th. *Karsten*, Experimentalph. *Chalybäus*, allg. Aesthetik. *Thaulow*, Gymnasial-pädagogik. *Kirchner*, Pharmacologie. *Nolte*, Kenntn. d. Arzeneipflanzen. *Jessen*, Psychiatrie.	*Behn*, anat. Ueb. (9-1). *Götz*, Pathol. u. Therapie 2r Th. *Panum*, Physiol. 2r Th. *Nolte*, Anfangsgründe d. Pflanzenkenntniss. *Lubbren*, Ueb. im Engl.
10—11	*Wieseler*, Briefe Pauli an die Korinther. *Girtanner*, Pand. (10-12). *Götz*, med. Klin. (10-12). *Forchhammer*, gr. Alterth. *Himly*, theoret. Chemie. *Vöge*, Staatsrecht.	*Wieseler*, Briefe Pauli an die Korinther. *Girtanner*, Pand. (10-12). *Götz*, med. Klin. (10-12). *Forchhammer*, gr. Alterth. *Himly*, theoret. Chemie. *Vöge*, Staatsrecht.	*Lüdemann*, catechet. Sem. (10-12). *Girtanner*, Pand. (10-12). *Götz*, med. Klin. (10-12). *Himly*, theoret. Chemie.	*Lüdemann*, homilet. Sem. (10-12). *Wieseler*, Briefe Pauli an die Korinther. *Girtanner*, Pand. (10-12). *Götz*, med. Klin. (10-12). *Forchhammer*, gr. Alterth. *Himly*, theoret. Chemie. *Vöge*, Staatsrecht.	*Wieseler*, Briefe Pauli an die Korinther. *Girtanner*, Pand. (10-12). *Götz*, med. Klin. (10-12). *Forchhammer*, gr. Alterth. *Himly*, theoret. Chemie. *Vöge*, Staatsrecht.	*Girtanner*, Pand. (10-12). *Götz*, med. Klin. (10-12). *Himly*, theoret. Chemie. *Weyer*, reine Elementar-Mathematik (10-12).

Digitized by Google

Stunde	Montag.	Dienstag.	Mittwoch.	Donnerstag.	Freitag.	Sonnabend.
387 commemoratur iam a Pompeio anno 55, cum iterum consul magnificentissimos ludos ederet, probandis fabulis praefectum (Cic. ad fam. 7, 1, 1) posteaque Augusto inperante cum quattuor aliis iudicibus eodem officio functum esse[10]. num uero recte olim Orellius[11] suspicatus sit Satyros Pisonem in scaenam producturum fuisse perquam dubium uidetur esse, cum recte Welckerus[12] et Bernhardyus[13] demonstrent Romanos hoc dramatis genus numquam coluisse. nec tamen probo Bernhardyum ita disputantem ‚ihn (Horatium) *beschäftigt einzig das theoretische Interesse, das der Kunstgeschichte, nicht die Praxis, und rein in diesem Sinne berührt er, was die Kritik der Form und Oekonomie für jene dramatische Spielart fordert*'. quae ut melius intellegas ex eiusdem eonmentatione supra laudata p. 15 haec libet adscribere ‚Pisonis ut uoluntas et studium debuit consiliis seueris atque cautionibus regi, ne taedium limae, incuria sermonis, artes poetillarum ambitiosae improuidam aetatem circumuenirent, ita doctrina iuuenilis et uixdum inchoata notitiam requirebat rerum scenicarum. consentaneum igitur erat ut historia Graecorum inuentorum cum descriptione morum, uariis sermonis rationibus, denique numeris diligenter fingendis coniungeretur.... iam tironem fuisse Pisonem et rebus idoneis leuiter imbutum declarat color praeceptorum ac submissa narrationum uox et institutio subinde scholastica uel potius ad captum puerilem accommodata.... habuit igitur Horatius cur uiribus suis parceret et liberalem doctrinam intra modicos fines contineret ac seriem praeceptionis non modo relaxaret et in anfractus deflecteret, sed familiari etiam sermone callide temperaret' et quae secuntur. immo si adulescentulum qui primum uersuum pangendorum periculum facturus erat instituere atque in rectam uiam ducere uolebat Horatius, non debuit hoc officium ita explere ut in carmine tironis usui destinato ‚seriem dilucidam et filum didacticae narrationi consentaneum saepe desideres' (eiusdem uiri doctissimi uerba sunt l. l. p. 8). neque adhortantis magistri sed cum comi quadam temperantia dissuadentis amici esse epistulam supra indicatum est[14].

[10] haec scholia Cruquiana ad sat. 1, 10, 38 tradunt similiaque ad illum locum Acro aliis interpretamentis immiscet. nimis autem caute Massonus (Q. Horatii Flacci uita, Lugd. Bat. 1708, p. 166) de hac re dubitat et quinque illos iudices ad similitudinem totidem uirorum Athenis et in Sicilia iudicandis comoediis constitutorum fictos esse conicit, eum nihil insit quod probari nequeat. sed quod Streuberus l. l. scholium Cruquianum adfert quo Pisonem de fabula scribenda cogitasse demonstret, non bene fecit. in illis enim scholiis ad art. poet. u. 386 haec adnotantur ‚olim aliquando. scripsit enim Piso tragoedias'. atqui Horatius illo loco non de tragoediis scriptis sed quas Pisonem fortasse scripturum esse suspicatur loquitur, itaque illa scholiastae explicatio una e multis illis, in Horatianis quoque scholiis haud infrequentibus, est quas ex ipsis scriptorum uerbis commentatores finxerunt. similiter scholiasta codicis Vindobonensis B apud Passow. p. CXXXIIII ‚Horatius' inquit ‚facit hunc librum amicis suis, patri et filiis, quorum maior erat scriptor comoediarum'.

[11] in prima Horatii editione, in excursu ad u. 220, uol. 2 p 657. postea uero Orellius hanc sententiam retractasse uidetur, cum hic excursus in tertia certe editione deletus sit.

[12] *die griechischen Tragoedien* 3 p. 1361 seqq.

[13] *Grundriss der römischen Litteratur*, ed. III, adn. 287, p. 375.

[14] accedit Bernhardyi opinio quodam modo ad hanc quam e scholiasta Rhenangensi inedito Orellius ed. 1, 2 p 657 adfert ‚Pisones, nobilissimi Romani, aliorum scripta reprehendi uidentes, ne suis publicatis idem contingeret timentes, Horatium artis poeticae optimum praeceptorem ut eos in scribendo institueret roganerunt'.

Digitized by Google

De consilio quod poeta in conscribenda epistula secutus sit haec monuisse sufficiat. cum uero supra dixerimus hoc unum quoddam esse debere, iam ad seriem sententiarum nos conuertamus ac num haec cum consilio illo congruat consideremus. qui sententiarum conexus mirum est quam uarie a uiris doctis explanatus sit, eo magis mirum quoniam ipse poeta in hoc de quo agimus libello bene ac prudenter de ordine disputat u. 42 seqq. sed hoc ipso quod eorum quae dici debent alia statim proferuntur, alia eaque plurima differuntur ordo ut uenustior ita artificiosior euadit magisque grata uarietate moratur. atque in primis Horatium hoc suum praeceptum seruasse uidemus, qui ubique dispositionem non quasi digito monstrare sed ut bonus ingenuusque poeta paullulum abscondere soleat. et ita demum omne fert punctum, ut admonitionibus atque praeceptis passim aptis locis alia interniscat magis ad delectationem comparata[15]. attamen inesse certum ordinem poemati oportet, quem ut poetae esse dixi e primo obtutu remouere, ita legentis est indagare atque detegere. quod munus iam ita adgrediar ut relicuorum interpretum fere ratione non habita quem ordinem inesse ipse putem paucis explicem.

Exorsus igitur ab adumbratione malae picturae, cuius singulae partes sibi non conueniant, unum quodque artis opus simplicem atque unam decere naturam ostendit Horatius (1—23), quam non adsequaris nisi arte; qua qui carent speciem tantum recti (δόξαν, non ἐπιστήμην) habent eaque decepti totum ponere nesciunt, quippe in quo omnia congruere oporteat (24—37). maxime autem, ut horum errorem uitemus et artem ad adsequendam illam unitatem necessariam nobis comparare possimus, res quam tractaturi sumus pro uiribus eligenda est, cum ita demum aptus ordo contingat et facundia (38—44), cuius non exigua pars in uocabulis antiquis recte adhibendis uersatur maximeque in nouis secundum certas quasdam leges fingendis (45—59), propterea quod et netera non semper sufficiunt et usui obtemperandum est (60—72)[16]. praeter uocabula autem in carmine numeri ad materiam accedant necesse est, quorum origo quantum fieri poterat uariusque usus breuiter inlustratur, quos nisi quis ita adhibere scit ut ad rem tractandam apti sint unitatemque illam adiuuent, omnino is poeta non est (73—88).

Haec bene inter se coniuncta esse et quam maxime commune atque generale disputationis de uno aliquo poesis genere instituendae fundamentum continere adparet. iam uero propius ad propositum accedit poeta quaeque exin expositurus est, in eis semper scaenae scaenicaeque poesis habet rationem, eiusque cum adulescentem Romanum adloquatur maxime Romanae. lenis autem transitus a uariorum metrorum

[15] ueluti 63 seqq. 158 seqq. 326 seqq. 391 seqq. quibusque in fine insanus poeta describitur.

[16] quod Horatius hunc locum qui est de nouandis uocabulis tot uersibus tractat, cum pauciora sufficere uideantur, id haud dubie inde explicandum est quod noua illa secta poetarum ob hanc ipsam rem male audiisse uidetur, Horatius uero nimis artum sermonis ambitum detrectabatur. certe etiam in epistula ad Florum scripta, 2, 2, 115 seqq., de eadem re pluribus exponit.

Digitized by Google

enumeratione eorumque recto usu praecipiendo ad sequentia fit, quibus quod in uniuersum modo docuit ad fabulas quoque pertinere demonstrat, pro uariis rebus formam eligendam esse atque seruandam neque tragoediae comoediaeque colores permiscendos (89—98); porro ut poema audientium animos ad poetae arbitrium adficiat, dicentium quoque uerba et sermones quam accuratissime rebus personaeque fictae respondeant necesse est (99—118), siue materiam e ueteribus mythis narrationibusque iam saepius tractatis sumpseris (119—124), siue ipse noua finxeris argumenta, quae ut sibi constent maxime uidendum est (125—127). cum uero noua fingere plus habeat difficultatis et periculi, rectius diu probata nouo modo tractabis nec tamen inliberalem imitatorem te praestabis (128—135). exordium simplex sit et modestum neque longius repetitum, deinde continuo cursu progrediatur semper euentum praeparans oratio, neue singulae partes inter se discrepent unitatemque uiolent, sed accurate omnia concinant: quarum uirtutum Homerus praeclarum exemplum proponitur (136—152)[17]. deinde proprii cuiusque aetatis mores pingendi atque strenue seruandi sunt, ut non modo totum opus unum sit sed singulae quoque personae simplices sint sibique constent (153—178). porro accurate discernendum est quid in ipsa scaena oculis subiciendum sit quidque narrationi magis conueniat (179—188) curaque adhibenda ut iusto ambitu neque nimio personarum numero molesta procedat fabula, ut denique simplex sicut initium etiam finis sit (189—192). praeterea chori carmina neue a fabulae argumento aliena sint eiusque unitatem turbent et in numeris modisque a nimia illa quae sensim inualuerat licentia se abstineant (193—219). his addit Horatius satis amplam dramatis Graecorum satyrici expositionem, quod tractaturum inprimis admonet ne uocabula eligat aut nimis trita atque immunda aut turgida atque inflata, sed ut sermone utatur simplici et de medio sumpto (220—250). itaque postquam de fabulae unitate, de argumento eligendo et pertractando, de personarum moribus, de actionis narrationisque discrimine, de choro denique et de dramate satyrico non eo quidem ordine quem solum sequi ac defendere possis, at bono tamen et probabili disputauit, sicut priorem epistulae partem metrorum explanatione concluserat, ita ad uersum proprie dramaticum pergit et, siquidem per totam hanc disputationem Romanorum maxime commodo prospicit, Romani senarii tamquam historiam adumbrat; quo Pisones moneat ut a

[17] non nulli interpretes propterea quod hoc loco non e tragica poesi exempla adferuntur, sed e rycho aliqua poeta et Homero, mediam epistulae partem in enarranda poesi dramatica uersari prorsus negarunt. sed cum modo monuerit poeta ut 11ia cum carmen in actus deducatur, id est ut ex epica poesi argumentum fabulae petatur (cf. 120 seqq.) — *ἐοικε μὲν γὰρ (ὁ Ὅμηρος) τῶν κυκλικῶν ἀπάντων τοῦτον τὸν τρηγικὸν πρῶτον διεῖσκισεν τε καὶ ἐγημῶν γενέσθαι* Plato de re publ. 10 p. 595c —, haud dubie ad ea quae de tragoediae disputat inlustranda exemplis ex epicis carminibus desumptis uti potest. similiter Aristoteles in disputatione de tragoedia non dubitauit exempla Homerica adhibere: poet. 13, 7 *δευτέρα δ' ἡ ἀριστη λεγομένη ὑπό τινων ἐστὶ διάπλοις τ τὴν ἀπάτεσιν ἔχουσα, καθάπερ ἡ Ὀδύσσεια, καὶ τελευτῶσα εἰς ἐναντίως τοῖς βελτίοσι καὶ χείροσιν.* 15, 7 *φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν καὶ μὴ ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ ἀπὸ μηχανῆς καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι τὰ περὶ τὸν ἀπόπλουν.* 16, 3 *οἷον Ὀδυσσεὺς διὰ τῆς οὐλῆς ἄλλως ἀναγνωρίζεται ὑπὸ τῆς τροφοῦ καὶ ἄλλως ὑπὸ τῶν συφετων.* 16, 5 *ἡ ἐν Ἀλκίνου ἀπολόγῳ (ἀναγνώρισις), ἀκούων γὰρ τοῦ κιθαριστοῦ καὶ μνησθεὶς ἐδάκρυσεν.* aliter se habet Odysseae commemoratio 17, 5.

Digitized by Google

neglegentia plerisque poetis communi in uersibus fingendis caueant neue Plautum ceterosque poetas antiquos Romanos, qui quamuis a multis summis laudibus elati arte carerent, imitentur sed quam maxime Graecorum explorent atque sequantur praeclara exempla (251—274). hoc Horatium mouet ut dramaticam Graecorum et Romanorum poesin conponat atque comparet; quam ob rem primum tragoediae comoediaeque apud Graecos initia et progressus enarrat (275—284), deinde Romanos quoque poetas satis multum in hac arte profecisse ostendit; quorum conatus multo plus laudis mererentur, nisi omnes limam operi adhibere supersederent: ab hoc igitur uitio, quod etiam epp. 2, 1, 167 ciuibus suis exprobrat, etiam atque etiam Pisones dehortatur (275—294). hoc autem malum maxime inde manasse iudicat Horatius quod plerique Democritum secuti ingenium arti praestare existument; quam opinionem cum ipse inprobet, festiue multoque cum sale exponit poetae gloriam sibi abiciendam esse:

ergo fungar uice cotis, acutum
reddere quae ferrum ualet exsors ipsa secandi:
munus et officium nil scribens ipse docebo,
unde parentur opes, quid alat formetque poetam,
quid deceat quid non, quo uirtus quo ferat error (295—308).

Haec uerba quae ad postremum epistulae partem uiam muniunt quibusdam interpretibus totum carmen explicare eiusque argumentum continere uisa sunt; quod uix crediderim, cum recte monitum sit ita his uerbis uix locum inueniri potuisse minus aptum. sed id mihi quidem manifestum uidetur, uerbis illis dispositionem sequentium indicari, nec sine sale poeta, cum per totum carmen sententiarum conexum modo singulis praeceptis nude iuxta se positis modo intermixtis a proposito degressionibus uariasset atque occultauisset, iam ubi se magistri uice functurum professus est, suum sibi ordinem praescribere uidetur ad quem praecepta dirigat[18]. primum enim docet unde parentur opes, e sapiendo, ni mirum, et accurata morum uitaeque cotidianae cognitione: ita prouisam rem uerba non inuita secutura neque afore qui plaudant (309—322). deinde ali formarique poetam praedicat liberali illa Graecorum disciplina, non sordida Romanorum institutione ad solum quaestum spectante (323—332). porro quid deceat quid non ita praecipit (333—365) ut, cum simul utilitati atque uoluptati consulendum sit, et breuitate et ueritate opus esse doceat, quum siquis adsecutus fuerit eum laudatum iri (—346): quin paucis quibusdam delictis facile ignosci, modo ne aequo plura sint atque eadem semper (—365). id denique explicaturus quo uirtus quo ferat error (366—476) non sine grauitate maiorem

[18] similiter, si recte Streuberi uerba intellego (l. l. p. 43. 47 seq.), Mittermayerus, cuius libellum de Horatii ad Pisones epistula Schafhusburgi a. 1827 editum inspicere non potui, ad hos uersus extremum libri partem disposuisse uidetur; quocum num iu singulis mihi conueniat nescio. quod autem Streuberus, qui hunc conatum plane inprobat, de rebus illis uersibus indicatis in carmine nihil scriptum esse contendit, id leuius dictum est. nimis quidem ansie ut solet Regelsbergerus ad hos uersus sequentia exegit.

Digitized by Google

iuuenum adloquitur eumque edocet poetis mediocribus esse non licere, quippe liberalem artem iuuandis animis natam exercentibus; quam ob rem et ipsius animi inpetu quodam et inpulsu opus esse et, si tamen uersus pangere non destiterit adulescens, seuero cum ipsius tum peritorum iudicio carmen subiciat neue scribere et edere festinet, quod neglegentius elaboratum cupidiusque emissum nil nisi dedecus atque inrisionem laturum sit (—390). contra qui uere poetae sunt summo semper in honore fuerunt (—407), sed ut quis uere sit poeta et ingenium habeat et artem necesse est (—418). et ei quidem facile inuenientur qui carmen laudent, praesertim donis adlecti, sed eorum laudes nihil ualent (—437): immo quo quis acrius reprehenderit, sicut Quintilius facere consueuerat, eo meliorem et benigniorem iudicem eum esse scito (—452). cuius scueris quidem sed utilibus sapientibusque consiliis spretis siquis tamen per se sapere ausus inuita Minerua poetari non desinit, is ab omnibus uitabitur atque ridebitur, a nemine siquid forte ei acciderit auxilium sperare poterit, quippe cum a cunctis insanus habeatur neque cuiquam non sit molestus — triste exemplum omnibus qui eius similes sunt (—476).

Huic argumenti epistulae expositioni iam subiungere libet, quo certiore disputatio nostra nitatur fundamento, breuem summorum praeceptorum enarrationem [19]. quae fere haec sunt. primum locum obtinet unitatis lex utique obseruanda, ne singulorum poesis generum indoles uitietur (86), ut unum quodque opus sibi constet (23. 34) cuius rei exemplum Homerus proponitur (152), ut personarum aetas et mores ad imum seruentur (126 seq. 176 seqq.), neue chori carmina a relicua tragoedia differant (195 seq.). ad quam simplicem poematis naturam non solo ingenio peruenitur (quod quidem quanti Horatius faciat aliis locis declarat, conf. sat. 1, 4, 43. carm. 3, 4, 21 seqq.), sed praeter ingenium, quod plerique poetae Romani sufficere putabant (295 seqq.), cum poetis aurea illa mediocritas concedi non possit (372 seq.), maxime arte opus est (86 seqq. 408 seqq.) qua ponere totum discimus (34), qua pulchrum et ad apte adficiendos audientium animos idoneam poesin reddimus (99 seqq.), quaque omnino a uitiis cauemus (31); prudenti deinde argumenti electione (38 seqq.) opus est et adsidua meditatione atque praeparatione (311 seqq.), diligenti denique emendatione acrique censura (291 seqq. 387 seqq. 437 seqq.). ars autem prohibet ne modus excedatur cum in oratione atque sermone (25 seqq. 93 seqq. 225 seqq. 244 seqq.) et in numeris modisque (211. 214 seqq.) et in numero personarum fabularumque ambitu (189 seqq.), tum in narrandis uel adeo ante oculos proponendis rebus aut foedis aut incredibilibus (185 seqq. 191 seq. 339 seq.). artis uero et modi optimi magistri non sunt antiqui illi poetae Romani, quos in hoc ipso quod sine arte scripserint Horatius et in nostra epistula (258 seqq. 270 seqq.) et alibi reprehendit, sed Graeci, inuentores omnium et poesis et numerorum generum (73 seqq. 275 seqq.), quibus ipsa musa et ingenium dedit et ore rotundo loqui (323 seq.), a quibus sapere discas (310),

[19] aliud eorum spicilegium exhibuit Ed. Müllerus, *Geschichte der Theorie der Kunst bei den Alten*, 2 p. 270-283.

Digitized by Google

quos et in eligendo argumento (129) et in fingendis uocabulis (52 seq.) et in rebus metricis (268 seq.), in tota denique compositione et dispositione (140 seqq.) sequaris, quorum exemplaria nocturna diurnaque manu uerses. —

His ita praemissis ad id quod propositum est transgredi licet, ut inuestigemus quosnam potissimum auctores in conscribendo hoc libello Horatius uideatur secutus esse. qua in re primum quaerendum erit num ipse poeta forte uiam nobis monstret. at ut supra ordinem consulto abscondi ab Horatio indicaui, ita auctores quoque non nominat sed de industria studia sua occultat, ut quae docet non tam e diligenti rerum perscrutatione manare quam quasi per sermonem nulla data opera effluere uideantur. attamen u. 78 grammatici commemorantur, u. 310 Socraticae chartae, u. 276 indicantur qui de Thespide exposuerint, u. 409 qui quaesierint natura fiat laudabile carmen an arte, porro u. 297 Democriti de hac re sententia adfertur, u. 465 Empedoclis interitus narratur, Homeri deinde Odysseae prohoemium u. 141 seq., cyclii cuiusdam poetae exordium u. 136 Latine redditur, multarum denique tragoediarum personae enumerantur earumque mores notantur. et Troiani quidem belli scriptorem, ‚qui quid sit pulchrum quid turpe, quid utile quid non, planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit', quin diligenter Horatius legerit et relegerit nemo dubitabit; de cyclio illo poeta, cuius ne nomen quidem nobis notum sit, indicare non licet. tragoediae autem quarum mentio fit paene omnes a Romanis poetis tractatae sunt. Thyestae enim cena (91) post Ennium a Vario Horatii aequali egregia tragoedia celebrata est (conf. Ribbeckii tragicorum Latinorum rell. p. 267. 347). ad eandem fabulam siue ad Attii Atreum (Ribbeck. p. 333 conl. fr. 12) referri potest Atreus ille nefarius exta coquens (186), item Telephus pauper et exul (96. 104) ad Ennii (Ribbeck. p. 262 conl. fr. 1. 3) siue Attii (Ribbeck. p. 307 conl. fr. 3. 4) Telephum. Achillem (120) in scaenam produxerunt Liuius Ennius Attius, quin ipse Augustus hoc argumentum tractauit (Ribbeck. p. 244. 272. 304. Suid. Αὔγουστος); Medeam (123. 185) repraesentarunt Ennius et Attius (Ribbeck. p. 248 seqq. 317), Inonem (123) Liuius (Ribbeck. p. 244), Io (124) Attius (Ribbeck. p. 300); tristi Oresti (124). quem scaenis agitatum Vergilius dicit Aen. 4, 471, locus erat in Ennii Emmenidibus (Ribbeck. p. 270), fortasse etiam in Naeuii Iphigenia (Ribbeck. p. 247), Prognae (187) denique in Liuii Attiique Tereis (Ribbeck. p. 244. 315). restant igitur quos a Latinis poetis repraesentatos esse non possit demonstrari Peleus pauper et exul (96. 104) — nam Ennii Telamo huc non pertinet — qualem Euripidis cognominis tragoedia exhibuit (conf. Welckerum, *die griechischen Tragoedien* 2 p. 809), deinde Cadmus in anguem conuersus (187) quocum apte comparantur haec Euripidea ab Hermogene de inuent. 4, 12 seruata (conf. Welcker. l. l. p. 810)

οἴμοι, δράκων μου γέγονεν τὸ γ' ἥμισυ·
τέκνον, περιτλάκηθι τῷ λοιπῷ πατρί.

Digitized by Google

denique perfidus Ixion (124), de quo cum neque a Graecis neque a Romanis tragicis in scaenam productus esse uideatur quid statuendum sit non liquet. — consentaneum quidem est omnes hasce fabulas primum a Graecis esse tractatas, quin maior earum pars ab Aristotele in poetica enumeratur, sed ut inde Horatius sua deprompsisse non possit; uerum tamen Horatium Romanas potius tragoedias respicere puto. nam si Pisones, si denique Romani eas personas quarum mores Horatius hic indicat ipsi passim in scaena uidebant, multo aptior Horatii enumeratio est qua inlustretur quo modo personae pro diuersis moribus fingi atque repraesentari debeant. deinde ut de Romanis tragoediis poetam loqui credamus eo quoque conmouemur quod personis his tragicis opponuntur aliae e comoedia Romana petitae, Chremes (94) Dauus (237) Pythias Simo (238). neque si Graecarum fabularum rationem habuisset, Horatium Thebanam domum, de qua plurimae eaeque optimae tragoediae extabant, prorsus silentio praeteriturum fuisse probabile est [20]. nec tamen mirabitur non nulla argumenta ab Horatio conmemorata hodie inter Romanorum tragicorum reliquias non extare, qui mancam nostram atque laceram scaenae Romanae cognitionem animo reputauerit. denique fortasse non ubique Horatius certas quasdam tragoedias respexit sed potius quales fingi possent personae adumbrauit.

Quod utut se habet, adparet neque Homerum cycliumque illum poetam neque qui quas recensui tragoedias scripserunt proprie auctores dici posse quos poeta in conscribenda hac epistula secutus sit, sed tantum ut exemplis eis uti Horatium [21]. uidendum uero an relicuorum illorum locorum alia forte ratio sit. et a Socraticis quidem chartis ut ordiamur, haec docet Horatius (309)

recte scribendi sapere est et principium et fons:
rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae,
uerbaque prouisam rem non inuita sequntur.
qui didicit patriae quid debeat et quid amicis,
quo sit amore parens quo frater amandus et hospes,
quod sit conscripti quod iudicis officium, quae
partes in bellum missi ducis, ille profecto
reddere personae scit conuenientia cuique.

recte Arnoldus [22] hac singulorum officiorum enumeratione Xenophontis memorabilia Socratis indicari suspicatus est. nam patriae quid debeatur Socrates ibi paene nullo capite non exponit; amicis uero quid praestandum sit fusius libri secundi capitibus

[20] cum uersu 129 (*Iliacum carmen*) conferri potest quod Welckerus l. l. 2 p. 1344 obseruat paene dimidiam partem tragoediarum Romanarum in fabulis Troicis uersari.

[21] idem de his statuendum est quod u. 9 seq. Horatius fortasse Diphili uersus respicit ab Athenaeo 6, 223 b seruatos *ὡς οἱ τραγῳδοί φασιν, οἷς ἐξουσία Ἐστὶν λέγειν ἅπαντα καὶ ποιεῖν μόνοις*, et u. 304 seq. Isocratis dictum quoddam imitatur *αἱ ἀκόναι αὐταὶ μὲν τεμεῖν οὐ δύνανται, τὸν δὲ σίδηρον ὀξέα καὶ τμητικὸν ποιοῦσιν* ([Plut] uitae X oratt. p 838*).

[22] *über die griechischen Studien des Horaz.* 2. *Abth.*, Halae 1856, p. 30.

Digitized by Google

4—7. 10 traditur, uelut in his 2, 4, 6 ὁ γὰρ ἀγαθὸς φίλος ἑαυτὸν τάττει πρὸς πᾶν τὸ ἐλλεῖπον τῷ φίλῳ καὶ τῆς τῶν ἰδίων κατασκευῆς καὶ τῶν κοινῶν πράξεων· καὶ ἂν τέ τινα εὖ ποιῆσαι δέῃ συνεπισχύει, ἂν τέ τις φόβος ταράττῃ συμβοηθεῖ, τὰ μὲν συναναλίσκων τὰ δὲ συμπράττων, καὶ τὰ μὲν συμπείθων τὰ δὲ βιαζόμενος, καὶ εὖ μὲν πράττοντας πλεῖστα εὐφραίνων, σφαλλομένους δὲ πλεῖστα ἐπανορθῶν. deinde quo modo parentes colendi sint 2, 2 Socrates Lamproclem filium natu maximum docet, qui erga matrem ingratum animum ostenderat, et capite sequenti de fratrum inter se amore disputat, Chaerephontem et Chaerecratem reconciliaturus, ubi § 19 καὶ μὴν inquit ἀδελφώ γε ὡς ἐμοὶ δοκεῖ ὁ θεὸς ἐποίησεν ἐπὶ μείζονι ὠφελείᾳ ἀλλήλοιν ἢ χεῖρέ τε καὶ πόδε καὶ ὀφθαλμὼ τἆλλά τε ὅσα ἀδελφὰ ἔφυσεν ἀνθρώποις . . . ἀδελφὼ δὲ φίλω ὄντε καὶ πολὺ διεστῶτε πράττετον ἅμα τὰ ἐπ' ὠφελείᾳ ἀλλήλοιν. de hospite quidem nihil praecipitur, sed quod conscripti (sine βουλευτοῦ) et iudicis officium sit uno eodemque exemplo ipsius Socratis demonstratur (1, 1, 18 conlatis quae de magistratuum officiis initio libri tertii exponuntur). prorsus singulari denique ratione 3, 1 Socrates de ducis officio cum familiari quodam disputat, qui a Dionysodoro totam artem bellicam accepisse sibi uidetur, cum tantummodo quo modo acies instruenda sit didicerit. quam artem Socrates exiguam totius disciplinae partem esse docet: καὶ γὰρ inquit παρασκευαστικὸν τῶν εἰς τὸν πόλεμον τὸν στρατηγὸν εἶναι χρὴ καὶ ποριστικὸν τῶν ἐπιτηδείων τοῖς στρατιώταις καὶ μηχανικὸν καὶ ἐργαστικὸν καὶ ἐπιμελῆ καὶ καρτερικὸν καὶ ἀγχίνουν καὶ φιλόφρονά τε καὶ ὠμόν, καὶ ἁπλοῦν τε καὶ ἐπίβουλον, καὶ φυλακτικόν τε καὶ κλέπτην, καὶ προετικὸν καὶ ἅρπαγα, καὶ φιλόδωρον καὶ πλεονέκτην, καὶ ἀσφαλῆ καὶ ἐπιθετικόν, καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ φύσει καὶ ἐπιστήμῃ δεῖ τὸν εὖ στρατηγήσοντα ἔχειν. quae omnia conplectitur cum capite insequenti ducis esse exponit efficere ut milites uincendis hostibus quam fortunatissimi sint, ducem igitur militibus beatitudinis auctorem esse debere. haec si reputaueris, a uero non alienum esse uidebitur Horatium illis uersibus Xenophontis memorabilia indicare; et iam Lambinus suspicatus erat poetam significare libros a Platone Aeschine Xenophonte et ceteris Socratis auditoribus ac discipulis et qui ab eis orti essent scriptos, Platonis Xenophontis Aeschinis Antisthenis scripta Orellius, alii alios. e quibus quid de Platone statuendum sit infra demonstrabitur, cum iam ceteri auctores quos Horatius nominat lustrandi sint.

De illa igitur quaestione utrum ars praestet an ingenium (408 seqq.) in utramque partem olim disputatum est. Pindarus Ol. 2, 86 σοφὸς inquit ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ· μαθόντες δὲ λάβροι παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὡς ἄκραντα γαρύετον Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον, itemque inter Romanos Cicero naturae plus tribuit pro Archia 7, 15 ‚ego multos homines excellenti animo ac uirtute fuisse et sine doctrina naturae ipsius habitu prope diuino per se ipsos et moderatos et graues extitisse fateor. etiam illud adiungo saepius ad laudem atque uirtutem naturam sine doctrina quam sine natura ualuisse doctrinam', sed idem addit ‚atque idem ego contendo cum ad naturam eximiam atque inlustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere' (conf. rhet. ad Her. 1, 1. 3, 21, 34), haud dubie Platonem suum secutus qui in Phaedro p. 269 d ita disputat εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσει ῥήτωρ ἐλλόγιμος προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην· ὅτου δ' ἂν ἐλλίπῃς τούτων, ταύτῃ ἀτελὴς ἔσει. longius etiam

Digitized by Google

progressi Epicharmus et Critias (apud Ioannem Stobaeum floril. 29, 54 et 10) arte (ἐκ μελέτης) plures quam natura existere bonos censent. omnino autem hanc oppositionem tritissimam fuisse cum alia exempla tum scitum hoc Cillactoris epigramma (anthol. Palat. 5, 45) conprobat

παρθενικὰ κούρα τὰ ἃ κέρματα πλείονα ποιεῖ,
οὐκ ἀπὸ τᾶς τέχνας, ἀλλ' ἀπὸ τᾶς Φύσιος.

uerum Horatius illo loco maxime Democriteam quandam sententiam respicit (id quod u. 295 seqq. ostendunt) quam interpretes non bene confuderunt cum altera Ciceroni nota (de diuinatione 1, 37, 80. de oratore 2, 46, 194), quam Clemens Alexandrinus strom. 6, 18, 168 p. 298 nobis tradidit ποιητὴς δὲ ἅσσα μὲν ἂν γράΦῃ μετ' ἐνθουσιασμοῦ καὶ ἱροῦ πνεύματος, καλὰ κάρτα ἐστίν. at sententia illa ab Horatio significata certe talis qualem poetae isti ab Horatio derisi sequebantur moribusque et uita exprimere studebant, uere Democritea esse non potest, cum Ioannes Stobaeus floril. 29, 66 dictum quoddam philosophi adferat huic sententiae prorsus oppositum, πλέονες ἐξ ἀσκήσιος ἀγαθοὶ γίονται ἢ ἀπὸ Φύσιος, quod et Müllerum et Mullachium[23] et Horatii interpretes plane fugisse uidetur. itaque contrarium illud dictum poeta ex ipsius Democriti scriptis non facile cognouerit. potest igitur rectum esse quod Arnoldus loco supra laudato p. 33 coniecit hoc Democriti dictum itemque quae de Empedocle narrantur (464 seqq.) Horatio innotuisse ex Aristotelis aliquo scripto, fortasse ex eo quod περὶ Φιλοσοφίας inscriptum non modo philosophorum sententias enumerauerit atque diiudicauerit sed etiam de uita eorum egerit. quid uero? idem Aristoteles περὶ ποιητῶν scripsit: num igitur quae de poetis a Flacco narrantur ex hoc libro sumpta esse suspicabimur? certe non omnia, ut infra uidebimus.

Versu autem 78 ubi eiusmodi quaestio ad litterarum historiam pertinens tractatur grammaticos Horatius commemorat his uersibus notissimis

uersibus inpariter iunctis querimonia primum,
post etiam inclusa est uoti sententia compos:
quis tamen exiguos elegos emiserit auctor
grammatici certant et adhuc sub iudice lis est.

iunat conferre quae in Orionis etymologico leguntur p. 58, 7 ed. Sturz. ἔλεγος ὁ ὀρθῶς

[23] qui in Democriti Abderitae operum fragmentis, Berolini a. 1843 editis, p. 185 seqq. fragmenta libri περὶ παιδιᾶς similis argumenti conlegit hoc omisso, et p. 359 cum duobus Ciceronis locis Horatii uersus conponit, quos ‚minus recte' philosophi sententiam reddere existimat. Eduardus quoque Müllerus (*Gesch. d. Theorie d. Kunst bei d. Alten* I, 20 seq.) Ciceronem et Horatium eandem Democriti sententiam spectare putat; qui cum etiam ignoret alteram apud Clementem extare — quam primus Mullachius p. 236 indagasse uidetur —, falsam Ciceronis et Horatii esse furoris interpretationem perhibet, natam ex Democriti locutione, quae ‚etsi absit a uersu, tamen quod incitatius feratur et clarissimis uerborum luminibus utatur, potius poema putandum quam comicorum poetarum' sit (uerba sunt M. Tullii in oratore 20, 67, ubi cum Platone eum conponit, de quo Aristoteles apud Diog. Laert 3, 37 dicit τὸν τῶν λόγων λόγον αὐτοῦ μεταξὺ ποιήματος εἶναι καὶ πεζοῦ λόγου). haud dubie uir egregius si Clementis locum cognitum habuisset, ad hanc explicationem non confugisset. duae sunt Democriti sententiae, quarum alterius Cicero rationem habet, altera ab Horatio perperam adhibetur: quae cum in argumento quodam modo simili uersari uiderentur, ab interpretibus confusa sunt.

Digitized by Google

*διὰ τὸ δι' αὐτοῦ τοῦ θρήνου εὖ λέγειν τοὺς κατοιχομένους· ὅθεν πεντάμετρον τῷ ἡρωικῷ συνῆπτον οὐχ ὁμοδραμοῦντα τῇ τοῦ προτέρου δυνάμει ἀλλ' οἷον συνεκπνέοντα καὶ συσβεννύμενον ταῖς τοῦ τελευτήσαντος τύχαις· οἱ δὲ ὕστερον πρὸς ἅπαντα ἀδιαφόρως. εὑρετὴν δὲ τοῦ ἐλεγείου (φασὶν) οἱ μὲν τὸν Ἀρχίλοχον, οἱ δὲ Μίμνερμον, οἱ δὲ Καλλῖνον ** παλαιότερον. οὕτω Δίδυμος ἐν τῷ περὶ ποιητῶν* [24]. qui locus cum Horatianis illis uersibus admodum conspirat. atqui Horatium hanc opinionem ab ipso Didymo accepisse probabile non est, siquidem recte Mauricius Schmidtius in docto et laborioso libro quem de Didymo Chalcentero conposuit p. 6 hunc anno fere 712 = 42 natum esse suspicatur. potest uero Didymus illa ab Aristotele sumpsisse cuius de hac re sententia apud scholiastam Bobiensem in Ciceronis orationem pro Archia c. 10, 3 extat ‚primus autem uidetur elegiacum carmen scripsisse Callinos (Aliinos *cod.*); adicit Aristoteles praeterea hoc genus poetas Antimachum Colophonium Archilochum Parium Mimnermum Colophonium, quorum numero additur etiam Solon Atheniensium legum scriptor nobilissimus' [25]. sed tamen non in omnibus Didymo et Aristoteli conuenit et fortasse ille sua aliunde petiit. quapropter Horatiana illa ad Aristotelem referenda esse non constat.

Iam uero ad ea proficiscamur quae certiora uideantur. Porphyrio enim commentarium suum his uerbis incipit ‚hunc librum qui inscribitur DE ARTE POETICA ad L. Pisonem, qui postea urbis custos fuit, eiusque liberos misit (nam et ipse Piso poeta fuit et studiorum liberalium antistes). in quem librum congessit praecepta Neoptolemi de arte poetica, non quidem omnia sed eminentissima'. ita Fabriciana editio anni 1555 haec uerba exhibet. cum tamen notum sit quam parum certo fundamento nitantur qualia uolgo circumferuntur scholia, libenter consulemus codicem Porphyrionis Monacensem ab Hochedero [26] publici iuris factum, qui post Neoptolemi nomen addit *τοῦ Παριανοῦ* [27]. itaque Meinekius in analectorum Alexandrinorum epime-

[24] haec, de quibus emendandis bene meruerunt Ruhnkenius ad Callimachum Ernestii I p. 439 et Mauricius Schmidtius, Didymi Chalcenteri fragm., Lips. 1854, p. 387, in codicibus manu scriptis ita disposita leguntur, ut uocabula quae sunt *εὑρετὴν... παλαιότερον* inter *κατοιχομένους* et *ὅθεν* inserta conexum sententiarum interrumpant, quam ob rem ea sedem conmutare iussi. postea demum uidi Schmidtium quoque falso loco positum esse illud enuntiatum iudicauisse. atqui in etymologico magno p. 327, 1 et in etymologico Gudiano p. 180, 16 Didymi nomine traduntur eadem fere quae hic leguntur, omissa tamen inuentorum mentione. possit igitur quispiam suspicari hanc, cum apud Orionem non iusto loco posita sit, insertam nec a Didymo profectam esse. cum tamen ille *ἐν τῷ περὶ ποιητῶν* haec docuerit et e fragm. 2 apud Schmidtium adpareat eum etiam quae ad uitam et personas poetarum pertinebant respexisse, illa suspitio abicienda est.

[25] recte Bernhardyus, *Grundriss der griechischen Litt.* ed. II, uol. 2 p. 414 priora quoque ad Aristotelem auctorem rettulit, cum in priore editione de hac re dubitauerit.

[26] *Des Q. Horatius Flaccus Buch über die Dichtkunst*, Castris Batauis 1824, p. 175 seqq.

[27] Bernhardyus nescio qua auctoritate nisus uerba ita edidit (de Hor. ep. ad Pis. p. 22) ‚*Neoptolemi Parii* (sic) *de arte poetica*'. Franciscus Dousa Iani f. in auctario ueteris commentatoris a Iac. Cruquio editi (Horatius ed. Cruquius. Antuerp. 1597) p. 695 Porphyrionis uerba exhibet qualia supra posui (omissis his *eiusque liberos*, quae etiam in ueteribus editionibus desunt), in qua re utrum ‚manu scriptum probae ac sincerae uetustatis codicem', e quo se pleraque Porphyrionis descripsisse testatur p. 68[illegible], an uolgatas huius scholiastae editiones secutus sit non liquet. facile autem Graeca uerba a librariis omitti poterant, cuius rei in ipsius Porphyrionis scholiis factae Henricus Stephanus exempla quaestam recenset in diatribis secundis ad Horatium, p. 159 ed. III anni 1600.

Digitized by Google

tro quinto de Neoptolemo Pariano disputans p. 360 dubitare non debuit quem Neoptolemum Porphyrio diceret. scripsit autem Neoptolemus cum conplura carmina epica, tum grammatica opera, et περὶ γλωσσῶν libros minimum tres (Athen. 11, 476 f), unde ὁ γλωσσογράφος audiit (Strabo 13, 589), et περὶ ἀστεϊσμῶν. hoc igitur scripum a scholiasta Horatiano respici Meinekius putat. ‚quem librum' inquit ‚cum in unius asteismi explicatione consumptum esse incredibile sit, probabile est Neoptolemum etiam de ceteris figuris exposuisse et dum id faceret etiam ea passim attulisse, quae praeceptis de arte poetica similia essent'. sed quamquam prorsus ex Alexandrinorum more erat in poematis a proposito degredi, in grammaticis tamen libellis eiusmodi degressiones male se haberent neque in libro explicandis ἀστεϊσμοῖς destinato ceteris figuris locus erat, nedum eis ‚quae praeceptis de arte poetica similia essent'. asteismi autem figuram multas formas conplecti ipse Meinekius paullo ante (p. 358) indicauit. neque de dispersis quibusdam per alium librum praeceptis de arte poetica cogitandum esse ipse Porphyrio uidetur indicare, cum Horatium, qui sat multa praecepta in hac epistula proponat, ‚non omnia sed eminentissima' tantum congessisse testetur. itaque haud dubie recte Ed. Müllerus (*Gesch. d. Theorie d. Kunst bei d. Alten* 2 p. 270) et Orellius (ed. III, uol. 2 p. 684) Neoptolemum censent iustum de arte poetica commentarium conscripsisse. et perquam male profecto Porphyrio locutus esset, si — quod per se patet — Horatium in hunc librum quem de arte poetica inscripsisset praecepta de arte poetica congessisse dixisset, neque hoc potius uoluisset dicere eum Neoptolemi cognomine libro usum esse. nec denique est cur eiusmodi libellum a Neoptolemo editum esse incredibile sit[28]: quam facile uero fieri potuit ut alia huius operis mentio ad nos non perueniret.

Hunc igitur librum Neoptolemi Horatius in suum usum uertisse traditur. at per totam nostram epistulam nihil adparet reconditioris illius doctrinae qualis grammaticum Alexandrinum decebat. praecepta enim tantum non omnia simplicia sunt quaeque non magna indigeant eruditione sed e subtili potius atque polito iudicio pulchrique et decori sensu, qualis ipsi Horatio inerat, manasse uideantur. neque sententiae illae in quibus Horatio auctore quasi cardinem artis uersari uidimus Alexandrinorum indoli et doctrinae satis conueniunt, cum neque unitati, quam utique obseruandam esse

[28] quod Neoptolemum de epigrammatis scripsisse Athenaeus 10, 454 f testatur, id quidem ad titulos potius lapidi aeriue incisos referendum uidetur quam ad commentarium aliquem de hoc poesis genere scriptum. nam Athenaei uerba haec sunt Νεοπτόλεμος δ' ὁ Παριανὸς ἐν τῷ περὶ ἐπιγραμμάτων ἐν Χαλκηδόνι φησὶν ἐπὶ τοῦ Θρασυμάχου τοῦ σοφιστοῦ μνήματος ἐπιγεγράφθαι τόδε τὸ ἐπίγραμμα κ. τ. λ. solebant autem iam ueteres corpora inscriptionum instituere, quale tertius anthologiae Palatinae liber refert qui sic inscribitur ἐν Κυζικῷ εἰς τὸν ναὸν Ἀπολλωνίδας, τῆς μητρὸς Ἀττάλου καὶ Εὐμένους, ἐπιγράμματα ἃ εἰς τὰ στυλοπινάκια ἐγέγραπτο, περιέχοντα ἀναγλύφους ἱστορίας, ὡς ὑποτέτακται. similes libri conmemorantur Polemonis periegetae qui στηλοκόπας dicebatur (cf. Prelleri Polemon p. 12 seqq.) περὶ τῶν κατὰ πόλεις ἐπιγραμμάτων (Preller. p. 123 seqq.), Philochori ἐπιγράμματα Ἀττικά, Aristodemi ἐπιγράμματα Θηβαϊκά, Crateri ψηφισμάτων συναγωγή. conf Boeckh. Corp. Inscr. Graec. uol. I praef. p. VIII. Franz. elementa epigraph. Gr. p. 9.

Digitized by Google

poetae primo loco Horatius inculcat, tantum tribuisse uideantur, neque modo, quippe quem frequentibus a proposito degressionibus uiolauerint, neque eis ut Graecis in mentem uenire potuerit ut Graeca exempla imitanda esse praecíperent. in hac igitur una re quodam modo consentire uidentur Alexandrini et Horatius quod utrique arti multum tribuunt. sed longe abest poetae Romani ars a putida illa nimisque anxia Alexandrinorum grammaticorum arte multumque distant Horatii uersus sermoni propiores et quasi repentes per humum ab eis qui illorum doctrinam sequebantur [29]. hoc enim maxime Horatius a poetis aequalibus paene omnibus differt, quod non inferiorum temporum scriptores imitandos esse censet, uerum florentis Graeciae exemplaria ciuibus suis commendat eorumque usus non seruilis sed ad certum iudicii normam exacti Romanisque rebus adcommodati exemplum eis proponit [30]. de qua re pluribus exponere ut sane multum habet et utilitatis et delectationis ita huius scriptionis non est. abunde enim constat in uniuersum Venusinum poetam ab Alexandrinorum ratione abhorrere. neque tamen his quae generalius exposita sunt contenti esse poterimus, sed in singula quoque inquirendum est. itaque lustranda iam sunt quae de poesis historia certisque quibusdam rebus ad artem propius pertinentibus passim ab Horatio traduntur. et Daniel quidem Heinsius [31] non dubitari oportere putat quin ea quae de rebus metricis agant omnia apud Parianum Neoptolemum inuenerit Flaccus, e quo haec epistula adumbrata sit. scilicet ea respexit quae inde a uersu 251 de iambo disputantur. at ego quidem quam maxime persuasum mihi habeo ibi Romani senarii historiam adumbrari [32]: ideo iambum uocari syllabam longam breui subiectam non sine acerba inrisione docet et ad prima elementa artis metricae descendit, quia antiqui poetae Romani senarios fingere consueuerant quibus nullus inesset iambus. itaque duo tantum uersibus illis insunt quae Graecam doctrinam redoleant, et definitio illa iambi et quod de hoc pede in sede pari quam metrici dicunt necessario monetur. utrumque tamen Horatius non a Neoptolemo discere debebat, nam et ipse optimos iam finxerat senarios et ei qui de emendanda poesi idem sentiebant, uelut Ouidius Varius Gracchus, exactissime seruabant leges Graecorum [33]. neque maiorem ueritatis speciem prae se fert Orellii suspitio mythicae poesis historiam quae uersibus 391—401 con-

[29] ita Horatius semel laniummodo (art. poet. 407) uersum *ἀοριστίζοντα* finxit, quem *οἱ τεσσαρες* tanto opere admirabant (Cic. ad Att. 7, 2, 1) eiusque usum Catullianum nuper Mauricius Hauptius in prohoemio indicis lectionum aestiuarum Berolinensis 1855 p. 11 seq. illustrauit.

[30] epp. 1, 19, 21 seqq.; ubi se primum Archilochum (conf. sat. 2, 3, 12) Sapphoque et Alcaeum (cf. carm. 3, 10, 13. 4, 3, 12) Latio ostendisse eorumque carmina uolgasse gloriatur; in satiris autem se post Lucilium priscae comoediae exemplum sibi proposuisse imitandum non tecte significat, quode bene exposuit Frid. Iacobus in progr. gymn. Lubec. uerno a. 1841 p. 7 seqq. conf. Diomed. 3, 482 P. ‚satira est carmen apud Romanos maledicum et ad carpenda hominum uitia archaeae comoediae charactere compositum; quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius'.

[31] in animaduersionibus et notis in Q. Horatium Flaccum, Lugd. Bat. 1612, p. 112.

[32] confer subtilem et accuratam de hac quoque re Frid. Iacobi expositionem, programmati gymn. Lubec. a. 1844 p. 37—42 insertam. recte uir praeclarae Richardus Bentleius in eximio de metris Terentianis schediasmate.

[33] conf. Bentl. ad art. poet. 260.

Digitized by Google

tineatur fortasse ex Neoptolemo haustam esse. quae enim ibi leguntur uix ex scripto aliquo grammatico deprompta sed locis potius communibus poetarum adnumeranda sunt, ueluti Orpheus carm. 1, 12 et 24, Amphion carm. 3, 11. epp. 1, 18 similem in modum commemorantur, sequentia denique cum laudibus poesis epistulae ad Augustum insertis conparari possunt. rectius fortasse idem Orellius quae de elegia disputata supra examinauimus ad Neoptolemum redire putat, factumque esse potest ut Horatius quae et a u. 73 et a u. 401 enarrat, deinde quod de Choerilo dicit (conl. epp. 2, 1, 231 seqq.) ex illo expresserit, quamquam ne hoc quidem statuamus necesse est. certe quae u. 275 de Thespide tragoediaeque primordiis narrantur tot erroribus falsisque interpretationibus (de quibus interpretes et eos qui de litterarum Graecarum historia scripserunt consulas) referta sunt ut uix adducamur ea a grammatico Alexandrino ita tradi potuisse; quae tamen de Aeschylo et de lege qua comoediae nimia licentia atque petulantia coercita sit statim secuntur certiore nituntur fundamento [34]. denique quae de dramate satyrico traduntur (220 seqq.) generaliora fere sunt neque ea uidentur quorum certum quendam auctorem quaerāmus; item praeceptum de numero personarum in tragoedia adhibendarum (192) ex ipsisne tragoediis an aliunde Horatius petierit discerni uix poterit; alterum illud de deo ex machina non adhibendo (191) non prorsus inprobabiliter Daniel Heinsius l. l. p. 85 ad Neoptolemum refert. quae autem de choro et de antiquitatibus tibiae exponuntur (193 seqq.), in eis mira quaedam Romanarum Graecarumque rerum confusio adparet, itaque a Graeco auctore profecta non sunt (id quod Bernhardyus de Hor. ep. ad Pis. p. 12 statuit).

Pauca igitur sunt quae aliqua cum probabilitate Horatius ex Neoptolemo ‚congerere' potuisse uideatur, ut quod Porphyrio refert fumum potius quam lucem adferat nostrae quaestioni. itaque iam, cum alia de auctoribus ab Horatio adhibitis non tradantur, nobismet ipsis periculum faciendum est siquid de hac re inuestigare possimus. nec tamen Dacierium [35] curamus qui praeter Neptolemum et Aristotelem (de quo infra pluribus exponetur) e Critone Zenone Democrito praecepta Horatium contulisse coniecit. de Democrito quid statuendum sit supra uidimus, Crito scripsit quidem περὶ ποιητικῆς (Diog. Laert. 2, 121) itemque Zeno περὶ ποιητικῆς ἀκροάσεως (Diog. Laert. 7, 4: quae res cum Horatii epistula nihil fere commune habet), sed de scriptorum deperditorum cum Horatiano poemate coniunctione ludere tantum coniecturas licet: eodem enim iure poetam Venusinum suspicari possumus Theophrastum secutum esse qui inter alia opera huc pertinentia περὶ ποιητικῆς scripsit (Diog. Laert. 5, 47), uel

[34] conf. de his Bernhardyum. *Grundriss der griechischen Litteratur* ed. II, uol. 2 p. 579 seqq.

[35] *Oeuures d'Horace en latin traduites en françois par M. Dacier et le P. Sanadon*, uol. 8 (Amst. 1735) p. 71: *il auoit en vûë de donner aux Romains une Poëtique, qui seroit comme un abregé et un précis de ce qui Aristote, Criton, Zenon, Democrite et Neoptoleme de Paros* (sic) *auoient écrit sur ce sujet.* Critonem et Streuberus p. 10 de Dacierio referens omittit et qui Streuberum sequi uidetur Bernhardyus l. l. p. 12.

Digitized by Google

Simonem qui περὶ ποιήσεως (Diog. Laert. 2, 122), uel Phaniam qui περὶ ποιητῶν (Athen. 8, 352 c), uel Heraclidem qui περὶ ποιητικῆς καὶ τῶν ποιητῶν (Diog. Laert. 5, 88), uel Hieronymum qui περὶ ποιητῶν commentatus est (Athen. 14, 635 f), uel Chamaeleontem, cuius quae de Aeschylo apud Athenaeum 1, 21 d leguntur ab interpretibus quidem conlata sunt cum Horatianis uersibus 278—280, sed non magis a Flacco uidentur expressa esse quam duo Dioscoridis epigrammata (anthol. Pal. 7, 410. 411), quae primus edidit Horatium ea respexisse ratus Daniel Heinsius l. l. p. 104 seqq. sed haec hactenus. neque enim hodie quisquam artem rhetoricam, quam Demetrii Phalerei nomine inscriptam uersamus, Horatium imitatum esse putabit, cum eam multo inferiore aetate scriptam esse satis constet[36]; neque Dohrnium moramur qui epistulam nostram cum Luciani libello de conscribenda historia conferri posse putat[37], cum haec conparatio, ut recte institui possit, a nostro certe consilio prorsus abhorreat.

Iam uero quaedam scripta quae fata tulerunt examinaturis et cum Horatiano poemate conparaturis nobis discriminis illius in mentem uenit quod inter imitationem eiusdemque sententiae repetitionem fortuitum intercesse Boeckhius indicat in praeclaro libro quem ante hos fere quinquaginta annos de Graecae tragoediae principibus conposuit p. 243: ‚haec' inquit ‚quam late pateat quantaeque subinde similitudines praesertim in poesi inter duos scriptores casu nascantur, pauci fortasse accurate norunt et ipse fortasse ignorarem, nisi cum olim uersibus luderem in me essem ipso expertus: hoc enim propria experientia ut alia multa discitur facilius quam in alienis rebus. quippe accidit interdum ut duo sine idem sine simillimum quiddam dicant uel in rebus reconditioribus, ita ut, nisi ex ipsis uerbis eorumque structura et uniuersa conformatione spectetur imitatio, sit parum ingenui hominis accusare seruile imitandi studium'. itaque caueamus ne nimis iudiberales simus erga urbanissimum politissimique iudicii poetam. —

Primum igitur illa sententia examinanda est quam olim a Carolo Godofredo Schreitero professore Lipsiensi prolatam[38] postea Fridericus Astius[39] probante Eichstaedtio[40] copiose exposuit, et in toto libelli consilio et in singulis de arte praeceptis Horatium Platonis Phaedrum imitatum esse (Ast. p. 35). ‚quis enim' Schreiterus inquit ‚non fatebitur utrique scriptori hoc maxime propositum fuisse ut iudicia popularium de litterarum ratione inepte sententiae emendaret et regeret, ut scribendi studium uel potius libidinem a subitanea illa lenitate et uana furoris poetici affectatione reuocaret ad artem suis et propriis legibus tractandam atque philosophia, hoc est

[36] conf. Ant. Westermannum, *Geschichte der Beredtsamkeit*, uol. 1 § 95 p. 218.

[37] *Einige Bemerkungen über den Brief an die Pisonen. Itzehoe* 1824.

[38] de Horatio Platonis aemulo eiusque epistolae ad Pisones cum huius Phaedro comparatione. Lips. 1789. cuius commentationis usum doleo mihi negatum fuisse: pauca quae mox adferam apud Hilgersium l. l. p. 12 inueni.

[39] de Platonis Phaedro. Ienae 1801. huc spectant maxime caput tertium et sextum (p. 129 seqq.).

[40] ibidem p. 172 seqq.

Digitized by Google

naturae humanae diligenti obseruatione, unice deriuandam, ut iudicii seueritatem, limae subtilitatem scribendique curam iis imperaret quibus ad acquirendam nominis immortalitatem aut populi plausum captandum satis uideretur periturae illudere chartae?' idem fere Astius et de Horatii epistula (p. 33) et de Phaedro (p. 35. 40) statuit. at duplici errore haec argumentatio nititur. nam quamquam negari non potest quibusdam locis Horatium litterarum sui temporis condicionem respicere poetasque aequales carpere, primarium tamen epistulae consilium aliud esse supra demonstratum est. neque aliter de Phaedro Platonico statuendum uidetur. Astii certe sententia ‚omnia in toto sermone Platonis consilio rhetores sui temporis carpendi melioraque de arte rhetorica praecepta tradendi accommodata reperiri' (p. 40) statim eis infringitur quae ipse profert, dum ‚orationes illas de amore cet. nonnisi episodia esse (p. 37. 38. 41)[41] haud necessaria ad sermonis constitutionem (p. 39), ornamenti causa addita (p. 40)' putat, quae ‚ornatui quidem sint sermoni atque decori, sed tamen extra rem de qua agitur nullo modo putandae', utique cum choricis comoediae ueteris carminibus comparandae (p. 41). quasi uero haec tantum ornamento comoediis fuissent neque quam artissime cum earum argumento et consilio coniuncta. omnino si rectum Astii de Phaedro iudicium esset, hic dialogus quodam modo perfectum artis opus, quale profecto est, haberi non posset, quoniam non simplex et unus esset. alii igitur in explicando amore siue pulchro, alii in dialecticae artis atque rationis expositione, alii in aliis rebus summam disputationis uersari censuerunt; quos omnes non id effecisse ut uni consilio omnia in isto dialogo inseruire, ad unam quandam sententiam atque summam omnia spectare demonstrarent, mihi quidem bene probasse uidetur Karolus Steinhartus in egregiis quae Hieronymi Müllerі interpretationi Germanicae Phaedri praemisit prolegomenis (Platonis operum uol. 4 p. 13 seqq.), quibus prolegomenis de recte intellegenda Platonis arte et philosophia optime meruit uir eximius. idem argumenti summam accurate explicuit in hunc fere modum: ex immortalis animi diuino quodam spiritu inflati pulchri et boni amore et liberrimo perfectissimoque cultu ex hoc motu diuino profecto omnem uitam altiorem et excelsam atque plane manare, in primis summam atque perfectissimam animi uitam, philosophiam, cuius interiore instrumento, arte dialectica, simul externi, uerae eloquentiae, pretium constituatur, quae et in dicendo et in scribendo perfectissima sit si dialogi forma utatur notionum animo concipiendarum rationem uerbis imitantis[42]. quae si recte

[41] idem p. 32 ‚cetera quae his (poetarum aequalium uituperationi et admonitioni) Horatius inseruerit, nonnisi episodia esse' censet.

[42] p. 21: *die begeisterte Liebe der unsterblichen Seele zu dem an sich Schönen und Guten und die von dieser Begeisterung getragene freieste Ausbildung ihres eigenthümlichen Wesens ist die Quelle jedes höhern gottgefälligen Lebens, besonders aber des reinsten vollkommensten Geisteslebens, der Philosophie, deren geistiges Organ, die Dialektik oder die Kunst der Gedankenbildung, zugleich den Werth ihres äussern Organs, der wahren Beredtsamkeit, bedingt, die ihrerseits wieder in mündlicher wie in schriftlicher Darstellung am vollkommensten in der Form der den innern Process der Begriffserzeugung in Worten nachbildenden Wechselrede erscheint.*

Digitized by Google

exposita sunt, id quod mihi quidem subtilissima et exactissima Steinharti disputatio (p. 21—24) persuasit, non eloquentiam eiusque quae tunc erat condicionem summum esse dialogi argumentum patet, itaque tota illa Schreiteri Astiique argumentatio ab hac quoque parte corruit.

Alterum deinde quod Astium statuisse Streuberus (p. 60. 62 seq.) dicit, Phaedrum ipsum cum Pisonis filio apte comparari posse, id in Astii libro equidem quamvis diligenter quaesiuerim nusquam inueni: immo p. 149 Astius conicit Platonem sub Phaedri persona falsos carpere adsentatores, eiusdem illos generis atque a quibus ut Piso caueat Horatius moneat u. 419 seqq. illud igitur, ut sane subabsurdum est, immerito Streuberus Astio exprobrat.

Itaque hoc constat Horatium totam epistulae rationem e Platone non expressisse. sed num ideo Streubero adstipulabimur qui p. 63 omnes errasse adfirmat, ‚qui stulte Astium secuti Horatium Platonis singula uerba flexus sententiasque imitatum esse dixerint'? quod sane eis non conprobanit quae deinde de imitatione neterum et maxime Horatii copiose exposuit. quin uero aliquis singula imitari potest et ex libro depromere quem uniuersum non sequatur? neque negauit Streuberus neque negari potest Horatium ‚docti' Platonis scripta lectitasse (conf. sat. 2, 3, 11), e quibus studiis qui fructus redundauerint et interpretes passim monuerunt et Arnoldus (l. l. p. 28 seqq.) exposuit, nimis quidem anxie hic quidquid aliquam similitudinis speciem praebere uidebatur ab imitatione repetens, uelut cum uersibus art. poet. 396—400 haec philosophi uerba expressa et inlustrata putat *οἱ ποιηταὶ ἡμῖν ὥσπερ πατέρες τῆς σοφίας εἰσὶ καὶ ἡγεμόνες* (Lys. p. 214 a) [43]. quin ipsum Phaedrum ab Horatio non modo lectum sed aperte quoque respectum esse equidem crediderim. conferas enim quaeso uersus 309—311, quos supra iam examinauimus,

> scribendi recte sapere est et principium et fons:
> rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae,
> uerbaque prouisam rem non inuita sequentur

cum his Socratis uerbis initio prioris orationis positis (p. 237 b) *περὶ ταυτός, ὦ παῖ, μία ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύεσθαι· εἰδέναι δεῖ περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλὴ ἢ πάντως ἁμαρτάνειν ἀνάγκη. τοὺς δὲ πολλοὺς λελῆθεν ὅτι οὐκ ἴσασι τὴν οὐσίαν ἑκάστου. ὡς οὖν εἰδότες οὐ διομολογοῦνται ἐν ἀρχῇ τῆς σκέψεως, προελθόντες δὲ τὸ εἰκὸς ἀποδιδόασιν· οὔτε γὰρ ἑαυτοῖς οὔτε ἀλλήλοις ὁμολογοῦσιν* (personae conuenientia cuique), neque diffiteberis haec satis accurate expressa esse. neque igitur dubitandum uidetur quin praeter Xenophontem (conf. p. 10) Socraticis chartis etiam Plato indicetur, praesertim si aliis quoque Phaedri locis eadem inculcari reputaueris, uelut p. 259 e *ἆρ' οὖν οὐχ ὑπάρχειν δεῖ τοῖς εὖ γε καὶ καλῶς ῥηθησομένοις*

[43] **adde haec: so ist die Vermuthung Heindorfs zu Sat. 2, 8, 7, dass der so gewählte Ausdruck** cenae pater **vielleicht im Sprachgebrauch üblich gewesen, zum mindesten gewagt, dahingegen ein eignes Licht das Scherzes und der Laune auf ihn fällt, wenn er verglichen wird mit der Argumentation bei Plat. Symp. p. 177 d** *ἀρχὴν δὲ φαῖδρον πρῶτον, ἐπειδὴ καὶ πρῶτος κατέκειτο καὶ ἐστιν ὅμως πατὴρ τοῦ λόγου.*

Digitized by Google

τὴν τοῦ λέγοντος διάνοιαν εἰδυῖαν τὸ ἀληθὲς ὧν ἂν ἑρεῖν πέρι μέλλῃ; p. 262[a-c], maxime his λόγων ἄρα τέχνην, ὦ ἑταῖρε, ὁ τὴν ἀληθείαν μὴ εἰδώς, δίξας δὲ τοῖς πολλοῖς γελοίαν τινά, ὡς ἔοικε, καὶ ἀτεχνον παρέξεται, deinde p. 277[b] πρὶν ἄν τις τό τε ἀληθὲς ἑκάστων εἰδῇ περὶ ὧν λέγει ἢ γράφει, κατ' αὐτό τε καθ' ὁρίζεσθαι δυνατός; γένηται . . . , περί τε ψυχῆς φύσεως διελὼν κ. τ. λ.[44], cum igitur Horatius Platonis Phaedrum quasi digito monstrasse uideatur, in promptu est suspicari, alia quoque inde repetenda esse. itaque, quamquam Socrates in altera sua oratione, quae dithyrambi quandam speciem prae se fert (conf. p. 244[a]), ὃς δ' ἄν inquit ἄνευ μανίας Μούσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτὸς τε καὶ ἡ ποίησις ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη (p. 245[a])[45], cum tamen postea arti plurimum tribuat (p. 263[b]. 265[d]), maxime illo loco quem supra laudaui (p. 269[d]) εἰ μέν σοι τὸ ὑπάρχει Φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσει ῥήτωρ ἐλλόγιμος προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην· ὅτου δ' ἄν ἐλλίπῃς τούτων, ταύτῃ ἀτελὴς ἔσει, quidam ea quae de arte et ingenio Horatius monet e Platone hausta esse dixerunt. sed supra uidimus et Democriti (qui quidem credebatur) quoddam dictum respici et oppositionem illam artis et ingenii tam tritam et uolgarem fuisse, ut cur ad Platonem eam referremus non esset. de unitate quoque Plato non nulla tradit, et generaliora (p. 265[d] εἰς μίαν τε ἰδέαν συνορῶντα κ. τ. λ. conf. p. 237[c]), et tragoediam spectans (p. 268[d] καὶ οὗτοι ἄν (Sophocles et Euripides), ὦ Σώκρατες, οἶμαι, καταγελῷεν εἴ τις οἴεται τραγῳδίαν ἄλλο τι εἶναι ἢ τὴν τούτων (ῥήσεων καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα) σύστασιν πρέπουσαν, ἀλλήλοις τε καὶ τῷ ὅλῳ συνισταμένην), quae Horatium respexisse uix puto; uerum quin ea quae p. 264[c] leguntur ἀλλὰ τόδε γε οἶμαί σε φάναι ἄν, δεῖν πάντα λόγον ὥσπερ ζῷον συνεστάναι σῶμά τι ἔχοντα αὐτὸν αὑτοῦ, ὥστε μήτε ἀκέφαλον εἶναι μήτε ἄπουν ἀλλὰ μέσα τε ἔχειν καὶ ἄκρα πρέποντ' ἀλλήλοις καὶ τῷ ὅλῳ γεγραμμένα, quin igitur haec Horatii animo obuersata sint cum scriberet

humano capiti ceruicem pictor equinam
iungere si uelit et uarias inducere plumas
undique conlatis membris, ut turpiter atrum
desinat in piscem mulier formosa superne

et hanc picturam cum libro compararet

cuius uelut aegri somnia uanae
fingentur species, ut nec pes nec caput uni
reddatur formae,

ne Streuberus quidem dubitat (p. 67). in eis quoque quae maxime inde a p. 270 philosophus disputat, curae et praeparationis magnam partem in eo uersari ut cuiusque

[44] Porphyrio ad u. 311 ‚Asinius Pollio' inquit ‚idem dixit: male hercule eueniat uerbis nisi rem sequantur'. propius etiam accedit Catonis ‚praeceptum paene diuinum' (apud Iul. Victor. art. rhetor. in Ciceronis scholiastis I p. 197 ed. Or.) rem tene, uerba sequentur.

[45] Ion. p. 533[c] πάντες γὰρ οἵ τε ἐπῶν ποιηταὶ οἱ ἀγαθοὶ οὐκ ἐκ τέχνης ἀλλ' ἔνθεοι ὄντες καὶ κατεχόμενοι πάντα τιθέντα τὰ καλὰ λέγουσι ποιήματα καὶ οἱ μελοποιοὶ οἱ ἀγαθοὶ ὡσαύτως, p. 534[b] οὐ πρότερον οἷός τε ποιεῖν (ποιητὴς ὢν) πρὶν ἂν ἔνθεός τε γένηται καὶ ἐκφρων καὶ ὁ νοῦς μηκέτι ἐν αὐτῷ ἐνῇ. confer omnino totam illam expositionem.

Digitized by Google

rei natura, ab oratore maxime animorum diuersa indoles accurate dignoscatur, insunt quae cum Horatianis quodam modo congruant; sicuti quae p. 271 c. d leguntur (quibuscum haec sunt conferenda p. 261 a *ἡ ῥητορικὴ ἂν εἴη τέχνη ψυχαγωγία τις διὰ λόγων*) eis fere respondent quae a u. 100 Horatius exponit. nec tamen haec a poeta expressa esse contenderim. quae uero p. 264 b de ordine disseruntur *τί δὲ τἄλλα; οὐ χρὴν δοκεῖ βεβλῆσθαι τὰ τοῦ λόγου; ἢ φαίνεται τὸ δεύτερον εἰρημένον ἐκ τινος ἀνάγκης δεύτερον δεῖν τεθῆναι, ἢ τι ἄλλο τῶν ῥηθέντων*; κ. τ. λ. ea nihil cum Horatiano de ordine praecepto 42 seqq. — male Astius p. 127 addit u. 92 — commune habent nisi quod utroque loco de ordine agitur, sed diuerso modo. neque quae p. 259. 260. 272 d. e. 273 d de ueritate oratori utique adsequenda exponuntur apte ab Astio p. 138 seq. cum Horatianis uersibus 338 seq. conponuntur, immo toto caelo diuersa sunt: nam poeta uetat nos nimis mira et incredibilia, ueritatis specie prorsus destituta proferre, Plato uero boni oratoris esse docet ueritatem tantum sequi neque ad fallendos iudicum animos fingere quae uera non sint, ueri autem similia. neque multo maiore cum iure haec in conparationem uocata sunt, p. 269 b. c et u. 19 seq. 32 seq. (Ast. p. 129), p. 275 d—276 e et u. 379—382. 391—408. 470—473 (Ast. p. 140), p. 278 d et u. 293 (Ast. p. 150). magis denique uidentur falsi esse qui singula quaedam uocabula Horatiana a Platone sumpta censent, e quorum numero Arnoldus est cum (l. l. p. 30) u. 318 uiuas uoces repetit ab his *λόγων ζῶντα καὶ ἔμψυχον* (p. 276 a) et Eichstaedtius (apud Astium p. 177 seqq.) qui ‚tornatos' illos uersus a Bentleio aliisque acriter impugnatos ita defendere studet ut ad Platonis exemplar Horatium hoc uocabulo usum esse statuat: apud illum enim p. 234 e haec legi *τί δέ; καὶ ταύτῃ δεῖ ὑπ' ἐμοῦ τε καὶ σοῦ τὸν (τοῦ Λυσίου) λόγον ἐπαινεθῆναι ὡς τὰ δέοντα εἰρηκότος τοῦ ποιητοῦ, ἀλλ' οὐκ ἐκείνῃ μόνον ὅτι σαφῆ καὶ στρογγύλα καὶ ἀκριβῶς ἅπαντα τῶν ὀνομάτων ἀποτετόρνευται*, de quo uocabulo quae addit in eis uir doctissimus inter *τορεύειν* et *τορεύειν* non distinxit.

Eorum quae ex aliis Platonis dialogis in conparationem uocata sunt paene solus mentione dignus est locus Cratyli p. 425 d iam a Lambino laudatus *εἰ μὴ ἄρα βούλει, ὥσπερ οἱ τραγῳδοποιοί ἐπειδάν τι ἀπορῶσιν ἐπὶ τὰς μηχανὰς καταφεύγουσι θεοὺς αἴροντες, καὶ ἡμεῖς οὕτως εἰτόντες ἀπαλλαγῶμεν ὅτι τὰ πρῶτα ὀνόματα οἱ θεοὶ ἔθεσαν καὶ διὰ ταῦτα ὀρθῶς ἔχει*. at deus ex machina notior erat quam quem ex hac Platonis mentione per iocum et quasi *ἐν παρόδῳ* facta Horatius cognosset (191 seq.). relicua prorsus spernenda sunt ueluti quod Arnoldus u. 163 cerei nomen e Platonis legg. 1, 633 d, ubi legitur *θωπείας πολλακικάς, αἳ καὶ τῶν σεμνῶν οἰομένων εἶναι τοὺς θυμοὺς κηρίνους ποιοῦσιν*, deriuat et quod u. 111 quod Bentleius e grammatici cuiusdam anonymi codice Vigorniensi recepit adflent tueri sibi uidetur his Platonis uerbis (Ion. p. 535 e) *καθορῶ γὰρ ἑκάστοτε αὐτοὺς (τοὺς ἐπαΐοντας) ἄνωθεν ἀπὸ τοῦ βήματος κλαίοντάς τε καὶ δεινὸν ἐμβλέποντας καὶ συνδαμβοῦντας τοῖς λεγομένοις*.

Sed mittamus iam inter siluas Academi quaerere exempla Horatii et in aliam nos conferamus Socraticam domum. uocat enim nos ad Lycei ambulationes philosophus

Digitized by Google

Stagirites ut de arte poetica disserentem se audiamus. cuius placita et praecepta cum Horatianis conparare a multis uiris doctis iubemur. primus enim anno 1550 Iacobus Grifolus Lucinianensis Aristotelis de arte poetica libro diligenter conparato Horatii libellum inlustrare conatus est neque dubitat in epistula, qua ad Fabium Mignanellum Luceriae episcopam commentarium suum mittit, adfirmare ‚ostendisse se loces Horatianos ac totum fere hoc opus ex Aristotelis arte poetica decerptum' [46]. post hunc Daniel Heinsius (l. l. p. 74) fere omnia ex Aristotele Flaccum deprompsisse censuit: paullo cautius Dacierius et Desprezius iudicarunt. ad priores illos propius accedit Regelsbergerus qui in editione sua artis poeticae (Vindob. 1797) p. 29 Horatium in hanc orationem siue recitationem dicere mauis [47] gravissima totius artis poeticae Aristoteliae praecepta coartasse adfirmauit idque commentario suo demonstrasse sibi uisus est. quod quidem uel duobus uel nemini persuasit. qui secuti sunt modestius eo contenti fuerunt ut locos similes conponerent, id quod et Hochederus fecit in editione epistulae Horatianae p. 168 seqq. et Streuberus p. 72—77 et Orellius in commentario. hic uero de ratione quae inter utrumque librum intercedat uel potius non intercedat sic iudicat ‚passim comparari cum praeceptis Horatianis possunt loci ex Aristotelis libro περὶ ποιητικῆς, non tamen tot quot nonnulli interpretes similitudinis quadam specie decepti noluerunt. immo nisi omnia me fallunt Aristotelem non legit Horatius' (ed. III, uol. 2 p. 684). similiter Bernhardyus (l. l. p. 12) postquam Dacierium cum alios tum Aristotelem Horatii auctorem perhibuisse docuit, ‚quodsi' inquit ‚Aristotelis nullam hodie litteralam teneremus, mirarer tamen huius sententiae temeritatem; nunc cum omnium manibus teratur eximium περὶ ποιητικῆς fragmentum, quid de commento tali statuam non inuenio'. contra Streuberus p. 78 Horatium Aristotelem passim respexisse non diffitetur, non tamen quasi euolutum eius librum ante oculos habuisset et inde quidquid aptum sibi uideretur transscripsisset, sed ut quae olim legerat quaeque iam priuati iuris erant facta depromeret et in suum usum uerteret. qua de re quid existimandum sit nos quoque conparando utroque libello exploremus.

Et hoc quidem statim adparet utriusque libri consilium et formam quam maxime esse diuersa. philosophus enim uere artem scripsit in qua quidquid ad artem poeticam penitus cognoscendam pertinet tractandum, ipsius poesis origo ex intimis animi humani arcanis repetenda, finis ex artis natura morumque humanorum indole explicandus, cuncta ad certas quasdam leges in ipsa rerum natura positas reuocanda,

[46] p. 1146 editionis G. Fabricii a. 1555. qua praeter Aernoem et Porphyrionem contionentur commentarii Christophori Landini in omnia Horatii opera, Francisci Luisini Iacobi Grifoli Iasonis de Nores in artem poeticam et adnotationes Erasmi Roterodamensis Aldi Manutii Ludouici Coelii Angeli Politiani Antonii Coccii Ioannis Baptistae Pii Iacobi a Cruce Petri Criniti Henrici Glareani.

[47] neque enim est Regelsbergero auctore epistula sed ita librum inscripsit: *Horazens Dichtkunst, öffentlich vorgelesen auf Verlangen der edlen Pisonen, im Beyseyn gelehrter Römer* p. 41 conf. p. 152 seqq.

Digitized by Google

omnium poesis partium et generum pariter ratio habenda [48], quasi ab initio usque ad finem operis poeta prosequendus, omnia denique aptis exemplis inlustranda atque conprobanda erant. contra Horatius non ipsam rerum cognitionem summum putat sed utique usui consulit et a perscrutandis poesis causis, ab omni denique arte et ratione prorsus alienus id tantum agit ut iuuenes poematum pangendorum summis capitibus instituat, quid uitandum quid expetendum sit doceat, de ancipiti euentu moneat, denique dehortetur potius ab incepto quam strenuus suasor atque magister existat. apud Aristotelem omnia generalia magisque in uniuersum disputata sunt, Horatius cuncta eorum ad quos scribit usui atque exercitationi adaptat. illius liber ratione atque uia totius disciplinae orbem conplectitur et explicat, huius libellus epistula est certo quodam consilio certorumque uirorum ratione habita scripta ideoque in aliis conmorans, alia aut leuiter tangens aut plane omittens. nec solum epistula est, uerum epistula poetica; neque in eam cadit quod de Empedocle Aristoteles dicit de poet. 1, 8 [49] *οὐδὲν δὲ κοινόν ἐστιν Ὁμήρῳ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ πλὴν τὸ μέτρον· διὸ τὸν μὲν ποιητὴν δίκαιον καλεῖν, τὸν δὲ Φυσιολόγον μᾶλλον ἢ ποιητήν* [50], sed Horatius *κατὰ μίμησιν ποιητὴς* est (1, 7), cum omnia ad uitam imitetur atque simul et iucunda dicat et idonea uitae, itaque poetam se praestet omne punctum ferentem. quam prorsus diuersam librorum rationem non nulla exempla optime inlustrabunt. Aristoteles enim de iusto tragoediae ambitu disserens c. 7, 6 *τοῦ δὲ μήκους* inquit *ὅρος πρὸς μὲν τοὺς ἀγῶνας καὶ τὴν αἴσθησιν οὐ τῆς τέχνης ἐστίν· ... ὁ δὲ κατ' αὐτὴν τὴν φύσιν τοῦ πράγματος ὅρος ἀεὶ μὲν ὁ μείζων μέχρι τοῦ σύνδηλος εἶναι καλλίων ἐστὶ κατὰ τὸ μέγεθος, ὡς δὲ ἁπλῶς διορίσαντας εἰπεῖν, ἐν ὅσῳ μεγέθει κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον ἐφεξῆς γιγνομένων συμβαίνει εἰς εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας ἢ ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν μεταβάλλειν, ἱκανὸς ὅρος ἐστὶ τοῦ μεγέθους.* haec definitio decet philosophum, aliter Horatius (189):

neue minor neu sit quinto productior actu
fabula quae posci uolt et spectata reponi [51].

[48] noli mirari me hoc dicere cum in libro *περὶ ποιητικῆς* de duobus tantum poesis generibus tradat, de tragoedia et breuissime de epopoeia. nam bodie inter uiros doctos constare uidetur hunc quem manibus uersamus librum siue partem siue epitomen siue siluam et quasi adumbrationem (quae est God. Hermanni et F. A. Wolfii sententia) operis amplioris esse cuius uestigia apud ipsum Aristotelem reperiuntur rhet. 1, 11 extr. 3, 1 extr. 3, 2 init et ante med. 3, 18 extr. polit. 8, 7, 4. quod si A. Stahrius (*Aristoteles bei den Römern* p. 191) ita disputat ‚*aus diesem grösseren Werke* [*περὶ ποιητῶν*] *hat sich nur ein Auszug erhalten, dessen Verfasser für seinen speciellen Zweck die theoretischen Bemerkungen über Epos und Tragoedie meist mit den aristotelischen Worten excerpirte — die heutzutage sogenannte aristotelische Poetik*', quo iure hoc dicat uir de Aristotele bene meritus nescio. nam Diogenes Laertius 5, 22 *περὶ ποιητῶν* tres libros et 5, 24 *πραγματείαν τέχνης ῥητορικῆς* duobus libris absolutam diserte distinguit; idem alii quoque faciunt quos Franc. Ritterus in praefatione ad art. poet. p. VIII seq. laudat.

[49] posterior numerus paragraphos editionis Francisci Ritteri indicat.

[50] quis credat haec a Streubero Hochederum secuto p. 77 conponi cum scita Horatii de Empedocle narratiuncula u. 464 seqq.? non aptius profecto quam quod idem u. 129 rectius Iliacum carmen deducis in actus confert cum c. 23, 4 *ἐκ μὲν Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας μία τραγῳδία ποιεῖται ἑκατέρας ἢ δύο μόναι, ἐκ δὲ Κυπρίων πολλαί κ. τ. λ.*

[51] quidam haec ad Aristotelis de partibus (*μέρη κατὰ τὸ πόσον*) tragoediae doctrinam rettulerunt cap. 12 explanatam, sed falso nam quae ibi docentur ab Horatio prosus aliena sunt: aeque Graecorum tragoedia actus ignorauit ac Romana illius partes; Orellius autem quod quinque actus ad idem redire putat atque *πρόλογον ἐπεισόδια* (*τρία*) *ἔξοδον* in eo errat quod episodia semper tria fuisse perhibet, cum, ut Sophocleis tantum exempiis utar, utraque Oedipus quattuor, Antigona quinque habeat.

Digitized by Google

hoc praeceptum e consuetudine tragoediae Romanae desumptum tantummodo ad usum compositum est et ad plausum spectantium captandum instructum. — altero loco plane contraria Horatius et Aristoteles docent. hic enim postquam Agathonem in Flore sua omnia finxisse ipsum nec tamen minorem oblectationem concitare exposuit, pergit in hunc modum 9, 8 ὥστ' οὐ πάντως εἶναι ζητητέον τῶν παραδεδομένων μύθων περὶ οὓς αἱ τραγῳδίαι εἰσὶν ἀντέχεσθαι. καὶ γὰρ γελοῖον τοῦτο ζητεῖν, ἐπεὶ καὶ τὰ γνώριμα ὀλίγοις γνώριμά ἐστιν ἀλλ' ὅμως εὐφραίνει πάντας. Horatius uero dehortatur Pisonem ne quicquam inexperti scaenae committat, nam (128)

> difficile est proprie communia dicere, tuque
> rectius Iliacum carmen deducis in actus
> quam si proferres ignota indictaque primus.

ni mirum, ille in uniuersum loquitur, hic adulescentem monet primum tragoediae scribendae periculum facturum. — contra tertium exemplum a quibusdam in conparationem uocatum similitudinis quadam specie decipit. Stagirites enim ubi de tragoediae μέρεσι κατὰ τὸ ποῖον uerba facit facta et fabulam (τὰ πράγματα καὶ τὸν μῦθον) plus ualere quam mores (τὰ ἤθη) demonstrat, cum sine factis tragoedia conponi nequeat, quod quin sine moribus fiat nihil impedire: ἔτι ἐὰν τις ἐφεξῆς θῇ ῥήσεις ἠθικὰς καὶ λέξεις καὶ διανοίας εὖ πεποιημένας, οὐ ποιήσει ὃ ἦν τῆς τραγῳδίας ἔργον (hoc est οὐ δι' ἐλέου καὶ φόβου περανεῖ τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν 6, 2), ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἡ καταδεεστέροις τούτοις κεχρημένη τραγῳδία, ἔχουσα δὲ μῦθον καὶ σύστασιν πραγμάτων (6, 12). Flaccus uero (319):

> interdum speciosa locis morataque recte
> fabula nullius ueneris, sine pondere et arte
> ualdius oblectat populum meliusque moratur
> quam uersus inopes rerum nugaeque canorae.

sed uterque locus nihil habet commune. neque enim debemus u. 322 res idem putare atque μῦθον καὶ σύστασιν πραγμάτων, quod si facimus sane difficillimus locus est explicatu. hoc tantum Horatius dicit, quod sane consentaneum est, tragoediam quae mores bene fictos exhibeat passimque sententiis et locis communibus sit ornata, licet arte et uenere careat, magis tamen placere quam quae multa quidem cum arte elaborata sed illarum uirtutum expers sit (inopes rerum *inhaltsleer*).

His quae disputauimus satis opinor discrimen adparet quod inter Horatium et Aristotelem intercedit, quod si paucis comprehendere uolumus, ita optime explicari uidetur ut Aristotelem magis poesin, Horatium magis poetam respicere dicamus. ex qua ratione alia quoque explicanda sunt. nam philosophus ut par est primis capitibus quid sit poesis quaerit eamque statuit imitationem (μίμησιν) esse (1, 2). itaque pertractato loco de imitatione ad causas poesis (4, 2 τό τε γὰρ μιμεῖσθαι σύμφυτον τοῖς ἀνθρώποις ἐκ παίδων ἐστί... καὶ τὸ χαίρειν τοῖς μιμήμασι πάντας) progreditur eiusque uaria genera recenset (4, 7), deinde ad tragoediam pergit cuius notissimam illam definitionem proponit ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ

Digitized by Google

λόγῳ, χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις, δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας, δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν (6, 2) tragoediaeque partes (μέρη κατὰ τὸ ποῖον) breuiter commemorat μῦθον ἤδη λέξιν διάνοιαν ὄψιν μελοποιίαν (6, 7). horum omnium apud Horatium paene nihil inuenitur. nam quod apud philosophum primum locum tenet in eoque tota disputatio nititur, quo omnia redeunt, poesin esse imitationem hoc Horatius uix indicat. nequaquam enim huc pertinent quae u. 134 de imitatione dicuntur: magis haec (317)

respicere exemplar uitae morumque iubebo
doctum imitatorem et uiuas hinc ducere uoces.

causas deinde poesis non magis curat poeta. uaria uero poesis genera et ipse enumerat u. 73 seqq., sed ut nihil fere cum Aristotele congruat nisi quae de iambo dicuntur. hic enim ἀπὸ δὲ Ὁμήρου inquit ἀρξαμένοις ἐστὶν (τοῦτο γὰρ τὰς τῶν Φαύλων πράξεις μιμούμενον) οἷον ἐκεῖνον ὁ Μαργίτης καὶ τὰ τοιαῦτα, ἐν οἷς καὶ τὸ ἁρμόττον ἰαμβεῖον ἦλθε μέτρον· διὸ καὶ ἰαμβεῖον καλεῖται νῦν, ὅτι ἐν τῷ μέτρῳ τούτῳ ἰάμβιζον ἀλλήλους (4, 8) et paullo postea (4, 14) λέξεως δὲ γενομένης αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρεν· μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖόν ἐστιν. σημεῖον δὲ τούτου· πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους [52], deinde 24, 5 τὸ δὲ ἰαμβικὸν καὶ τετράμετρον κινητικά, τὸ μὲν ὀρχηστικὸν τὸ δὲ πρακτικόν. quibuscum conparari possunt haec (79)

Archilochum proprio [53] rabies armauit iambo:
hunc socci cepere pedem grandesque cothurni
alternis aptum sermonibus et populares
uincentem strepitus et natum rebus agendis.

sed quae apud Aristotelem (4, 13) de primordiis tragoediae leguntur καὶ τὸ τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἐλάττωσε καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν· τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς, ea nequaquam cum Horatianis conueniunt (278)

post hunc [54] personae pallaeque repertor honestae
Aeschylus et modicis instrauit pulpita tignis
et docuit magnumque loqui nitique cothurno.

prorsus enim falsi sunt qui uerbis quae sunt magnum loqui expressa putant Aristotelia τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν, cum Aristoteles dicat Aeschylum sermoni et dialogo primas partes tribuisse quae apud antiquiores chori fuerint, Horatius illis uerbis nihil nisi notam Aeschyli μεγαλοφωνίαν indicet. item quae de fine tragoediae, de animorum quasi lustratione, egregie Aristoteles exponit apud Horatium frustra quaesiueris, qui iuuandis tantum animis natum inuentumque esse poema censeat (377).

[52] conf. 22, 10. rhet. 3, 8 ὁ δ' ἰαμβεῖος αὐτὴ ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν· διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθεγγόμενοι λέγοντες.

[53] male Orellius proprium explicat ‚ab ipso inuentum'; hoc enim hoc loco per se patet. immo iambus rabiei proprius est, id quod optime Aristotelis uerba illustrant.

[54] Thespidem de quo supra p. 16 a nobis dictum est.

Digitized by Google

tragoedia autem partes illae tractantur quidem a poeta, qui de *μύθῳ* siue fabula u. 119 seqq. exponit, de moribus et sententia (*ἤθεσι καὶ διανοίᾳ*) — nam utrumque artissime coniunctum est conf. 6, 5 [55] — u. 120 seqq. 154 seqq. 312 seqq., de dictione (*λέξει* quae et ipsa cum *διανοίᾳ* aliquid commune habet) u. 45 seqq. 93 seqq. 217. 225 seqq., de re musica (*μελοποιίᾳ*) u. 202 seqq., de adparatu denique scaenico u. 179 seqq. perpaucis, haud dubie conprobans haec Aristotelis (6, 19) *ἡ δὲ ὄψις ψυχαγωγικὸν μὲν ἀτεχνότατον δὲ καὶ ἥκιστα οἰκεῖον τῆς ποιητικῆς· ἡ γὰρ τῆς τραγῳδίας δύναμις καὶ ἄνευ ἀγῶνος καὶ ὑποκριτῶν ἐστίν* (conf. 14, 1. 2). *ἔτι δὲ κυριωτέρα περὶ τὴν ἀπεργασίαν τῶν ὄψεων ἡ τοῦ σκευοποιοῦ τέχνη τῆς τῶν ποιητῶν ἐστίν*: haec omnia, inquam, tanguntur quidem ab Horatio sed ut Aristotelis rationem eum habuisse non sit quod credas.

In proximis Aristoteles ad *μῦθον* siue ad argumentum tragoediae tractandum pergit (c. 7—14), quod quam maxime flagitat ut sit et simplex et recte dispositum: his enim duabus rebus, unitate et ordine maxime pulchritudo continetur, quam ob rem eas Aristoteles coniungit [56]. *κεῖται δ' ἡμῖν* inquit *τὴν τραγῳδίαν τελείας καὶ ὅλης πράξεως εἶναι μίμησιν* (7, 2), et plenius postea (23, 1) *ὅτι δεῖ τοὺς μύθους συνιστάναι δραματικοὺς καὶ περὶ μίαν πρᾶξιν ὅλην καὶ τελείαν, ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ μέσον καὶ τέλος, ἵν' ὥσπερ ζῷον ἓν ὅλον ποιῇ τὴν οἰκείαν ἡδονήν, δῆλον*, quae de unitate actionis disputata ita cum eis quae c. 7, 3 de ordine traduntur (*δεῖ ἄρα τοὺς συνεστῶτας εὖ μύθους μήθ' ὁπόθεν ἔτυχεν ἄρχεσθαι μήθ' ὅπου ἔτυχε τελευτᾶν. ἀλλὰ κεχρῆσθαι ταῖς εἰρημέναις ἰδέαις*, hoc est *ἀρχῇ καὶ μέσῳ καὶ τελευτῇ*) conspirant ut utriusque artissima necessitudo inde eluceat. pergit autem (8, 1) *μῦθος δ' ἐστὶν εἷς οὐχ ὥσπερ τινὲς οἴονται ἐὰν περὶ ἕνα ᾖ* — quod bene Homerum intellexisse —,... (§ 3) *ἀλλὰ περὶ μίαν πρᾶξιν ....* (§ 4) *χρὴ οὖν... τὸν μῦθον, ἐπεὶ πρᾶξεως μίμησίς ἐστι, μιᾶς τε εἶναι καὶ ταύτης ὅλης καὶ τὰ μέρη συνεστάναι τῶν πραγμάτων οὕτως ὥστε μετατιθεμένου τινὸς μέρους ἢ ἀφαιρουμένου διαφέρεσθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ ὅλον.* uides Aristoteli in hoc cum Horatio conuenire quod uterque unitati plurimum tribuit, sed cum idem a Platone aliisque factum esse constet, non est cur in hoc Aristotelem sequi Horatium existimemus, praesertim cum in singulis non sane magna similitudo inueniatur: quorum quaedam infra recensebimus. ordinem uero prorsus diuerso modo Horatius tractat u. 42 seqq. neque apud eum ordo tam coniunctus cum illa unitatis lege est [57]. — caput nonum Aristotelis in hoc

[55] omnino difficillimum est definire quid sit *διάνοια*. Aristoteles tribus locis de ea agit, c. 6, 6 *διάνοιαν δὲ (λέγω) ἐν ὅσοις λέγοντες ἀποδεικνύουσί τι ἢ καὶ ἀποφαίνονται γνώμην*, c. 6, 10 *τοῦτο (διάνοιαν) δ' ἐστὶ τὸ λέγειν δύνασθαι τὰ ἐνόντα καὶ τὰ ἁρμόττοντα, ὅπερ ἐπὶ τῶν λόγων τῆς πολιτικῆς καὶ ῥητορικῆς ἔργον ἐστίν... ἐν οἷς ἀποδεικνύουσί τι ὡς οὐκ ἔστιν ἢ ὡς οὐκ ἔστιν ἢ καθόλου τι ἀποφαίνονται*, c. 19, 1 *ἔστι δὲ κατὰ τὴν διάνοιαν ταῦτα ὅσα ὑπὸ τοῦ λόγου δεῖ παρασκευασθῆναι. μέρη δὲ τούτων τό τε ἀποδεικνύναι καὶ τὸ λύειν καὶ τὸ πάθη παρασκευάζειν οἷον ἔλεον ἢ φόβον ἢ ὀργὴν καὶ ὅσα τοιαῦτα.* quae postrema fortasse mouere nos possunt ut u. 99 seqq. ad *διάνοιαν* referamus: nam quo minus his *ὄψιν* tractari, id quod quibusdam propter u. 102 uisum est, statuemus sententiarum conexu prohibemur.

[56] conf. Ed Müllerum, *Gesch. d. Theorie d. Kunst bei d. Alten*, 2 p. 102.

[57] ad unitatem qualis ab Horatio tractatur non pertinet *μῦθος διπλοῦς* de quo c. 13, 4 agitur, qui qualis sit optime perspicitur conlatis quibus § 7 *μῦθος διπλοῦς* explicatur: *δευτέρα δ' ἡ πρώτη λεγομένη ὑπό τινων ἐστὶ [σύστασις] ἡ διπλᾶς τε τὴν σύστασιν ἔχουσα, καθάπερ ἡ Ὀδύσσεια, καὶ τελευτῶσα ἐξ ἐναντίας τοῖς βελτίοσι καὶ χείροσιν.* bene rem exposuit God. Hermannus p. 147. itaque non recte Streuberus p. 73 hunc locum attulit.

Digitized by Google

maxime explicando uersatur ὅτι οὐ τὸ τὰ γενόμενα λέγειν, τοῦτο ποιητοῦ ἔργον ἐστίν, ἀλλ' οἷα ἂν γένοιτο, καὶ τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον, id quod conparatione poesis et historiae inlustratur. quae sane summa poesis ratio ab Horatio uix indicatur uelut u. 338

ficta uoluptatis causa sint proxima ueris.

quamquam haec alio potius spectant de quo mox dicetur. neque magis huc pertinere uidentur u. 125 seqq.

siquid inexpertum scaenae committis et audes
personam formare nouam, seruetur ad imum
qualis ab incepto processerit et sibi constet.

magis enim his unitas morumque constantia flagitatur quam argumentum probabile et κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον factum: sed haec quodam modo cohaerent. — Aristoteles deinde de diuersis argumentorum generibus exponit simplicibus et inplicatis (c. 10 μῦθοι ἁπλοῖ καὶ πεπλεγμένοι), tum de fortunae conuersione et de agnitione horrendisque facinoribus (c. 11 περιπέτεια, ἀναγνώρισις, πάθος), exin de partibus tragoediae (c. 12 conf. adn. 51), de exitu eisque quae ad personam uere tragicam formandam necessaria sint (c. 13), denique de mouendo metu et miseratione (c. 14). quae omnia cum Horatianis apte conponi non possunt exceptis fortasse quae c. 14, 2 de portentis in scaena proponendis dicuntur οἱ δὲ μὴ τὸ φοβερὸν διὰ τῆς ὄψεως ἀλλὰ τὸ τερατῶδες μόνον παρασκευάζοντες οὐδὲν τραγῳδίᾳ κοινωνοῦσιν· οὐ γὰρ πᾶσαν δεῖ ζητεῖν ἡδονὴν ἀπὸ τραγῳδίας ἀλλὰ τὴν οἰκείαν, conlatis his 15, 7 ἄλογον δὲ μηδὲν (δεῖ) εἶναι ἐν τοῖς πράγμασιν, εἰ δὲ μή, ἔξω τῆς τραγῳδίας οἷον τὰ ἐν τῷ Οἰδίποδι τῷ Σοφοκλέους [58] (quid nituperet ipse c. 24, 10 indicat). haec enim admonitio accedit ad Horatii u. 338 seqq.:

ficta uoluptatis causa sint proxima ueris,
ne quodcumque uolet poscat sibi fabula credi
neu pransae Lamiae uiuum puerum extrahat aluo [59].

minus huc cadunt uersus 185 seqq.

ne pueros coram populo Medea trucidet,
aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
aut in auem Progne uertatur, Cadmus in anguem:
quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

nam in his id maxime agitur quaenam narranda quae spectantium oculis proponenda

[58] prorsus ab hac re aliena sunt haec c. 24, 8 δεῖ μὲν οὖν ἐν ταῖς τραγῳδίαις ποιεῖν τὸ θαυμαστόν, μᾶλλον δ' ἐνδέχεται ἐν τῇ ἐποποιίᾳ τὸ ἄλογον .... τὸ δὲ θαυμαστὸν ἡδύ· σημεῖον δέ· πάντες γὰρ προστιθέντες ἀπαγγέλλουσιν ὡς χαριζόμενοι. τὸ θαυμαστὸν enim et τὸ τερατῶδες quam maxime inter se differunt. · illud autem cur in tragoedia adpetendum sit adparet ex his rhet. 1, 11 p. 1370ᵃ 16 οὐ γὰρ ἡ ἐπιθυμία ἐπὶ ἅπαν ἡδύ· ἡ γὰρ ἐπιθυμία τοῦ ἡδέος ἐστὶν ὄρεξις et p. 1371ᵃ 31 καὶ τὸ μανθάνειν καὶ τὸ θαυμάζειν ἡδὺ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ· ἐν μὲν γὰρ τῷ θαυμάζειν τὸ ἐπιθυμεῖν μανθάνειν ἐστίν, ὥστε τὸ θαυμαστὸν ἐπιθυμητόν κ. τ. λ.

[59] cum his etiam ea conferri possunt quae c. 24, 10 et 25, 17 paene eisdem uerbis leguntur προαιρεῖσθαι δεῖ ἀδύνατα εἰκότα μᾶλλον ἢ δυνατὰ ἀπίθανα.

Digitized by Google

sint[60]. sed ne priora quidem satis cum Aristotele congruunt: certe Horatius propterea quod incredibiles sint ab eiusmodi rebus tractandis dehortatur, Stagirites uero quoniam tragoediae tantum sit miseratione et metu audientium animos a perturbationibus purgare.

Capite quinto decimo Aristoteles de moribus agit. in quibus pingendis quattuor esse expetenda, ἓν μὲν καὶ πρῶτον ὅπως χρηστὰ ᾖ (§ 1 conl. § 8), de qua ratione magis morali nihil Horatius docet, δεύτερον δὲ τὰ ἁρμόττοντα (§ 2), id quod Flaccus pluribus persequitur u. 114—118. 120—124. 156—178. 236—239. 244—247, τρίτον δὲ τὸ ὅμοιον (§ 3. 6) hoc est ut recte Hermannus explicat οἷον ἂν γένοιτο, quod igitur aliquatenus cum u. 338 proxima ueris congruit, τέταρτον δὲ τὸ ὁμαλόν (§ 4), quibuscum haec apte conparantur (119)

aut famam sequere aut sibi conuenientia finge

et u. 125—127 quos modo laudauimus[61]. item ex eis quae in relicua illius capitis parte tractantur haec (§ 7) Φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν καὶ μὴ ὥσπερ ἐν τῇ Μηδείᾳ ἀπὸ μηχανῆς simillima sunt uersibus Horatianis (191)

nec deus intersit nisi dignus uindice nodus
inciderit.

potest hoc ab Aristotele Horatius deprompsisse sed hoc statuamus necesse non est, cum iam Platonem eodem modo iudicasse (Cratyl. p. 425[d]) uiderimus et apud alios quoque (uelut Ciceronem de natura deorum 1, 20, 53) ita dei ex machina fiat mentio ut in prouerbium abiisse uideatur.

Caput sextum decimum quo diuersae agnitionis species tractantur non curamus. e septimo decimo autem ea quae § 2 leguntur ὅσα δὲ δυνατόν, καὶ τοῖς σχήμασι συναπεργαζόμενον. πιθανώτατον γὰρ ἀπὸ τῆς αὐτῆς (leg. cum Twiningio ἀπ' αὐτῆς τῆς) Φύσεως οἱ ἐν τοῖς πάθεσίν εἰσι καὶ χειμαίνει ὁ χειμαζόμενος καὶ χαλεπαίνει ὁ ὀργιζόμενος ἀληθινώτατα plerumque conparantur cum his (101)

ut ridentibus adrident ita flentibus adsunt
humani uoltus: si uis me flere, dolendum est
primum ipsi tibi cett.

[60] male rem egit Streuberus quod p. 75 cum u. 185 conponit haec e cap. 14, 6 καθάπερ καὶ Εὐριπίδης ἐποίησεν ἀποκτείνουσαν τοὺς παῖδας τὴν Μήδειαν — τοῦτο μὲν οὖν ἔξω τοῦ δράματος. quae si ita Stagirites scripsisset, male fecisset. nam Medea apud Euripidem liberos non ἔξω τοῦ δράματος necat sed ἔξω τῆς σκηνῆς (τὰ ἔξω τοῦ δράματος ἢ ὅσα πρὸ τοῦ γέγονεν ἢ ὅσα ὕστερον 15, 7, conf. ibidem ἔξω τῆς τραγῳδίας. 18, 1 τὰ ἔξωθεν, 24, 10 ἔξω τοῦ μυθεύματος, ἀλλὰ μὴ ἐν τῷ δράματι). quid igitur? postrema uerba nequaquam ad Medeam pertinent sed ad ea quae post Μήδειαν uocabulum secuntur. omnino de πάθεσι (πάθος ἐστὶ πρᾶξις φθαρτικὴ ἢ ὀδυνηρά 11, 6) Aristoteles loquitur et ita quidem: ἔστι μὲν γὰρ οὕτω γίνεσθαι τὴν πρᾶξιν ὥσπερ οἱ παλαιοὶ ἐποίουν, εἰδότας καὶ γινώσκοντας, καθάπερ καὶ Εὐριπίδης ἐποίησεν ἀποκτείνουσαν τοὺς παῖδας τὴν Μήδειαν· ἔστι δὲ πρᾶξαι μὲν ἀγνοοῦντας δὲ πρᾶξαι τὸ δεινόν, εἶθ' ὕστερον ἀναγνωρίσαι τὴν φιλίαν, ὥσπερ ὁ Σοφοκλέους Οἰδίπους· τοῦτο μὲν οὖν ἔξω τοῦ δράματος, ἐν δ' αὐτῇ τῇ τραγῳδίᾳ ὥσπερ ὁ Ἀλκμαίων κ. τ. λ. haec recte se habent. nihil igitur Horatii et Aristotelis locis est commune nisi quod uterque Medeam liberos interficientem commemorat.

[61] non apte cum his uersibus Streuberus p. 73 conparat quae apud Aristotelem secuntur κἂν γὰρ ἀνώμαλός τις ᾖ ὁ τὴν μίμησιν παρέχων καὶ τοιοῦτον ἦθος ὑποτιθείς, ὅμως ὁμαλῶς ἀνώμαλον δεῖ εἶναι. neque debuit u. 119 ad τὸ ὅμοιον referre.

Digitized by Google

sed nescio an non recte illa Aristotelis uerba ita interpretentur ut idem dicant atque quae rhet. 3, 7 leguntur συνομοιοπαθεῖ ὁ ἀκούων ἀεὶ τῷ παθητικῶς λέγοντι. nam et actiua uocabulorum quae sunt χειμαίνειν et χαλεπαίνειν notio certe minime uolgaris est, neque ἀληθινώτατα bene dictum uidetur pro eo quod est ἐνεργέστατα, neque poetae est ira spectatores adficere. quam ob rem fortasse non male Ed. Müllerus l. l. 2 p. 26. 361 seqq. locum ita explicat, qui ipse aestuet uerissimam aestuantis, qui ipse irascatur uerissimam irati praebere speciem. quamquam ita quoque remanet quaedam difficultas, cum Aristoteli potius dicendum fuisset πιθανώτατοι δὲ οἱ ἀπ' αὐτῆς τῆς Φύσεως ἐν τοῖς πάθεσιν εἰσίν et quae secuntur. itaque cum mihi non liqueat hoc in medio relinquam.

Neque magis placet quod c. 18, 3 μάλιστα μὲν οὖν ἅπαντα δεῖ πειρᾶσθαι ἔχειν, εἰ δὲ μή, τὰ μέγιστα καὶ πλεῖστα, ἄλλως τε καὶ ὡς νῦν συκοφαντοῦσι τοὺς ποιητάς conparant cum Horatianis (372)

mediocribus esse poetis
non homines, non di, non concessere columnae

et n. 378: poema

si paullum summo decessit, uergit ad imum.

perquam sane speciosa est haec conparatio. sed uerba Aristotelis aliter explicanda sunt, quod adparet si conexus rationem habes: ἅπαντα enim εἴδη τῆς τραγῳδίας dicit (quae μέρεσι § 1 respondent) inplicatum patheticum ethicum quartumque quoddam cuius exempla adfert; id quod eis quoque apertum fit quae statim secuntur γεγονότων γὰρ καθ' ἕκαστον μέρος ἀγαθῶν ποιητῶν κ. τ. λ. deinde rationem iudicii plane diuersam ab Aristotele Horatius u. 374 seqq. indicat. — melius inter utrumque scriptorem conuenit de choro. nam quae Aristoteles dicit 18, 7 καὶ τὸν χόρον δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι... διὸ ἐμβόλιμα ᾄδουσιν πρώτου ἄρξαντος Ἀγάθωνος τοῦ τοιούτου. καίτοι τί διαφέρει ἢ ἐμβόλιμα ᾄδειν ἢ ῥῆσιν ἐξ ἄλλου εἰς ἄλλο ἁρμόττειν ἢ ἐπεισόδιον ὅλον;, ea satis accurate expressa reperiuntur apud Horatium his uersibus (193)

actoris partes chorus officiumque uirile
defendat neu quid medios intercinat actus
quod non proposito conducat et haereat apte.

quae Horatium ad exemplum Aristotelis siue alius alicuius qui eadem docuerit edixisse admodum est probabile. uerum (ut hoc statim moneam) quae mox apud Horatium secuntur (214)

sic priscae motumque et luxuriem addidit arti
tibicen traxitque uagus per pulpita uestem,

ea parum habere uidentur similitudinis cum eis quae ab Aristotele c. 26, 1 uituperantur πολλὴν κίνησιν κινοῦνται οἷον οἱ Φαῦλοι αὐληταὶ κυλιόμενοι ἂν δίσκον δέῃ μιμεῖσθαι καὶ ἕλκοντες τὸν κορυφαῖον ἂν Σκύλλαν αὐλῶσιν.

Omnia quae capitibus 19—22 de διανοίᾳ et de dictione — nam de μελοποιίᾳ et ὄψει nihil traditur — disputantur, in quibus ad prima doctrinae grammaticae

Digitized by Google

elementa philosophus non dedignatur descendere, ab Horatio aliena sunt. eorum uero quae de epica poesi disserit ea fere quae de Homero praedicat cum Horatio conparari possunt. quem ut iam antea Aristoteles probauit et quod necessariam actionis unitatem siue arte siue natura optime perspectam habuerit secutusque sit (8, 3) et quod Achillis morum insigne exemplum proposuerit (15, 8 conf. Hor. u. 120 seqq.), ita c. 23, 3 iustis eum laudibus effert τῷ μηδὲ τὸν πόλεμον καίπερ ἔχοντα ἀρχὴν καὶ τέλος ἐπιχειρῆσαι ποιεῖν ὅλον, quod augens Horatius ait (146)

nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri
nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.

summa autem laude Aristoteles c. 24, 7 Homerum ornat: Ὅμηρος δὲ ἄλλα τε πολλὰ ἄξιος ἐπαινεῖσθαι καὶ δὴ καὶ ὅτι μόνος τῶν ποιητῶν οὐκ ἀγνοεῖ ὃ δεῖ ποιεῖν αὐτόν. αὐτὸν γὰρ δεῖ τὸν ποιητὴν ἐλάχιστα λέγειν· οὐ γὰρ ἐστι κατὰ ταῦτα μιμητής. quae ex parte certe ad id redeunt quod in cyclio poeta reprehendit, laudat in Homero ‚qui nil molitur inepte' Flaccus (136 seqq.). tum Aristoteles ὁ δὲ inquit ὀλίγα προοιμιασάμενος εὐθὺς εἰσάγει ἄνδρα κ. τ. λ.. Horatius (148):

semper ad euentum festinat et in medias res
non secus ac notas auditorem rapit.

deinde ille § 9: δεδίδαχε δὲ μάλιστα Ὅμηρος καὶ τοὺς ἄλλους ψευδῆ λέγειν ὡς δεῖ, hic postquam (144) speciosa miracula conmemorauit (151):

atque ita mentitur, sic ueris falsa remiscet,
primo ne medium, medio ne discrepet imum. —

Restat ut duos locos in conparationem uocatos paucis absoluam. Hochederus enim, qui omnino non uereretur quam diuersissima conponere, l. l. p. 163 cum praecepto Horatiano de materia potenter sumenda (38) conparat c. 25, 4 εἰ μὲν γὰρ προείλετο (ἡ ποίησις) μιμήσασθαι καὶ' ἀδυναμίαν, αὐτῆς ἡ ἁμαρτία. at utriusque loci discrimen in propatulo est. Aristoteles enim de eis rebus loquitur quae poesin non deceant et carmine tractari non possint, Horatius uero de eis quae unius alicuius poetae uires et facultatem superent. — alter Horatii locus hic est (361)

ut pictura poesis: erit quae si propius stes
te capiat magis et quaedam cum longius abstes,
haec amat obscurum, uolet haec sub luce uideri cett.

adparet certas quasdam et imaginis et poesis uirtutes et uitia notari atque conparari. itaque non recte plerumque haec ita laudant quasi in uniuersum poesis cum pictura conpararetur, sed idem hoc loco fit quod u. 1 seqq. et 9 conpositis poetis et pictoribus [62] factum est. neque aliter Aristoteles qui et ipse saepius conparatione a pictura sine pictoribus petita utitur (1, 4. 2, 2. 6, 11. 15, 8. 25, 1. 17), cum c. 6, 15 ita

[62] quos pro omnibus artificum generibus non semel nominari O. Iahnius obseruauit, *Telephos und Troilos*, Kiliae 1841. p. 10.

Digitized by Google

disputat παρακλήσιον γάρ ἐστι καὶ ἐπὶ τῆς γραφικῆς· εἰ γάρ τις ἐναλείψειε τοῖς καλλίστοις φαρμάκοις χρῶτα, οὐκ ἂν ὁμοίως εὐφράνειεν καὶ λευκογραφήσας εἰκόνα, nequaquam utramque artem uniuersam conponit sed unum quiddam utrique commune esse obseruat. qua re uix quicquam uolgarius fingi potest quodque saepius apud antiquos scriptores reperiatur: id quod interpretes Horatii abunde demonstrant. —

Haec fere habui quae de Aristotelis arte poetica monerem. sed alter est eiusdem philosophi liber passim iam laudatus, qui in hac quaestione prorsus omitti nequit. ni mirum, rhetorices libro secundo Stagirites de moribus pro aetatibus diuersis exponit: ἡλικίαι δ' εἰσὶ νεότης καὶ ἀκμὴ καὶ γέρας (cap. 12). idem inde a u. 156 ab Horatio fit, sed ut quattuor aetates discernantur, pueritia adulescentia aetas uirilis senectus: quod discrimen inter scriptorem Graecum et Romanum existumo e diuersis utriusque gentis moribus atque institutis natum esse. in singulis multa sane congruunt. puerorum enim et adulescentum mores partim eosdem partim admodum similes eis esse quos iuuenibus tribuit Aristoteles cap. 12 conpositis utrisque — id quod maiore ex parte iam ab Orellio aliisque factum est — adparet:

gestit paribus colludere	Φιλόφιλοι καὶ Φιλέταιροι μᾶλλον τῶν ἄλλων ἡλικιῶν. Φιλογέλωτες, διὸ καὶ εὐτράπελοι
iram colligit (ac ponit temere)	Θυμικοὶ καὶ ὀξύθυμοι καὶ οἷοι ἀκολουθεῖν τῇ ὁρμῇ. Θυμώδεις
mutatur in horas. cupidusque et amata relinquere pernix	ἐπιθυμητικοὶ καὶ οἷοι ποιεῖν ὧν ἂν ἐπιθυμήσωσιν. εὐμεταβόλοι καὶ ἀψίκοροι πρὸς τὰς ἐπιθυμίας, καὶ σφόδρα μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχέως δὲ παύονται
utilium tardus prouisor	μᾶλλον αἱροῦνται πράττειν τὰ καλὰ τῶν συμφερόντων
prodigus aeris	Φιλοχρήματοι ἥκιστα διὰ τὸ μήπω ἐνδεεῖς πεπειρᾶσθαι
sublimis	ὑπερηχῇς ἐπιθυμεῖ ἡ νεότης. μεγαλόψυχοι (τὸ ἀξιοῦν αὑτὸν μεγάλων μεγαλοψυχία).

alia ab alterutro tantum scriptore conmemorantur: e quo genere est quod u. 162 et 163 non habent apud philosophum quae sibi respondeant et quod iuuenes quales Aristoteles describit οὐ κακοήθεις sunt ἀλλ' εὐήθεις, εὐπιστοι, ἀνδρειότεροι, αἰσχυντηλοί, ἐλεητικοί, quod πάντα ἄγαν πράττουσιν et εἰδέναι πάντα οἴονται καὶ διισχυρίζονται, maxime uero quod εὐέλπιδες sunt et ζῶσι τὰ πλεῖστα ἐλπίδι. quorum iuuentutis propriorum maxime postremum, cui apud philosophum plurimum tribuitur, ab Horatio ne indicari quidem mirum certe est. magis mirum eis, qui, Bentleium secuti pro conperto habendum esse opinantur, in his aetatum characteribus ut Aristoteles naturam sequatur ita Horatium Aristotelis uestigiis institisse, hoc uideatur necesse est quod in uirorum descriptione de nulla fere re inter utrumque conuenit: uix enim hunc uersum Horatianum (167)

quaerit opes et amicitias, inseruit honori

expressum dixeris ex his Aristoteleis (cap. 14) οὔτε πρὸς τὸ καλὸν ζῶντες μόνον οὔτε πρὸς τὸ συμφέρον ἀλλὰ πρὸς ἄμφω. plura rursum in senilium morum notatione conparari possunt,

Digitized by Google

modo Bentleii coniecturam u. 172 ‚spe lentus, iners, pauidusque futuri' scribentis probauerit[63]. hic quoque similia conponamus:

quaerit (et inuentis miser abstinet ac timet uti)	τῶν πρὸς τὸν βίον ἐπιθυμοῦσιν. πρὸς τὸ συμφέρον ζῶσιν ἀλλ' οὐ πρὸς τὸ καλόν. ἐπιθυμητικοὶ καὶ πρακτικοὶ κατὰ τὸ κέρδος. δουλεύουσι τῷ κέρδει
res omnes timide gelideque ministrat	κατεψυγμένοι γάρ εἰσιν· ὥστε προωδοποίηκε τὸ γῆρας τῇ δειλίᾳ, καὶ γὰρ ὁ φόβος κατάψυξίς τις ἐστίν
spe lentus	ὑσελπίδες διὰ τὴν ἐμπειρίαν. ζῶσι τῇ ἐλπίδι
pauidus futuri	δειλοὶ καὶ πάντα προφοβητικοί
querulus	οἱ θυμοὶ ὀξεῖς μέν εἰσιν ἀσθενεῖς δέ. ὀὐυρτικοί εἰσι καὶ οὐκ εὐτράπελοι οὐδὲ Φιλογέλοιοι.

contra alia discrepant, quae facile indagabit qui paullo accuratius utrumque locum examinauerit. itaque cum neque uniuersa aetatum diuisio eadem sit apud utrumque neque in uirorum descriptione ulla adpareat similitudo et in relicuis aetatibus totidem fere singulae res discrepent quot consentiunt, mihi quidem tutius uidetur statuere Horatium haec non ex ipso Aristotele hausisse. omnino hic locus is est qui optime deceat rhetorum scholas, in quibus ‚plerumque rustici superstitiosi auari timidi secundum condicionem propositorum effingebantur'[64] atque haud dubie haec quoque morum cuiusque aetatis notatio saepissime instituebatur[65]. qua re ueri uidetur similius inde Horatium sua petiisse nisi ex semet ipso hausit, aut si Aristotele usus est, certe memoria potius fretus quam ipso libro adhibito id fecit.

Hoc modo ut iudicem eo quoque moueor quod alia indicia artis rhetoricae Aristoteleae ab Horatio in usum uocatae equidem nulla deprehendere potui. sunt quidem pauca similia quae passim iam laudaui: ueluti illa 3, 7 *συνεμοιοτικὸν ὁ ἀκούων καὶ τῷ παθητικῶς λέγοντι* comparata sunt cum Horatii uersibus 99 seqq. (p. 29) et quae de iambo dicuntur 3, 1 et 8 cum u. 79 seqq. (adn. 52). sed nihil in his est quod iudicium modo propositum abicere nos cogat. quod si comparatio nostra Horatii et Aristotelis recte instituta est, perpauca apud utrumque tam similia esse adparet quae ille ex hoc expressisse uideatur: id uero constat consilium quod uterque secutus sit plane diuersum esse.

[63] quisquis Horatium Aristotelis locum expressisse contendit, non poterit quin poetae uerba ex Bentleii sententia constituat. nam id quidem effici posse non credo, spe longum alium esse atque qui longinquas spes concipere soleat; neque animus futuri idem est qui ab Aristotele *φιλόζωος* dicitur. de quibus rebus quasi nihil Bentleius disputasset, Orellius singulari iudicii imbecillitate inutilem uocat eius coniecturam, cum ne uno quidem exemplo conprobauerit spe lentum ita explicari posse quo modo Forcellinium secutus ipse interpretatus est. at hic mos est et ishus uiri et multorum aliorum qui auctoritate sua interposita summi illius critici acumen sagacitatem doctrinam exemplorum copiam refutasse sibi uidentur.

[64] uerba sunt Quintiliani inst. orat. 6, 2, 17.

[65] eodem modo Bernhardyus iudicat de epistula ad Pisones p. 12.

Digitized by Google

Studia rhetorica cum poeticis coniunctissima, postquam eis Aristoteles ingenii sui doctrinaeque facem admouit, a multis et diligentissime exculta, et mox ubi ‚Graecia capta ferum uictorem cepit et artes intulit agresti Latio' hae quoque artes Romam propagatae sunt. ubi Horatii tempore duo potissimum uiri in haec studia incubuerunt, quorum alter maxime e libro περὶ ὕψους, qui Longini nomine falso insignitus inperante Vespasiano uidetur conpositus esse[66], nobis innotuit, alterius satis multi commentarii iudicio et acumine insignes hodieque extant, Caecilium dico Calactinum[67] et Dionysium Halicarnasseum. neque abhorruisse Horatium a Graecorum rhetorum usu atque consuetudine ipse indicat, cui in itinere Brundisino comes fuerit ‚rhetor Heliodorus Graecorum longe doctissimus' (sat. 1, 5, 2), qui idem esse uidetur atque clarissimus ille grammaticus et metricus[68] quo Horatium in adhibendis insolentioribus metrorum formis magistro usum esse ingeniosa est Theodori Bergkii suspitio[69]. — in promptu igitur est conicere Dionysii scriptis fortasse inesse quibus Horatius uti potuerit. quae expectatio forsitan augeatur, cum haec legerimus quae in illius libro περὶ συνθέσεως ὀνομάτων cap. 10 extant δοκεῖ δέ μοι δύο ταῦτα εἶναι τελικώτατα, ὧν ἐφίεσθαι δεῖ τοὺς συντιθέντας εὖ μέτρα τε καὶ λόγους, ἥ τε ἡδονὴ καὶ τὸ καλόν (quam doctrinam deinde pluribus exponit exemplisque inlustrat) et cap. 11 τάττω δὲ ὑπὸ μὲν τὴν ἡδονὴν τὴν ὥραν καὶ τὴν χάριν καὶ τὴν εὐστομίαν καὶ τὴν γλυκύτητα καὶ τὸ πιθανὸν καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα (conl. iud. de Lysia cap. 8). Horatius enim (99) ait

> non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto
> et quocumque uolent animum auditoris agunto.

at tamen quam Dionysius ἡδονὴν dicit non prorsus congruere puto cum eo quod Horatius dulce adpellat. hunc enim de oratione morata et adfectibus mouendis idonea uerba facere quae secuntur indicant[70]: ille de amoena quadam suauitate et uoluptate orationis loquitur (conf. Hor. u. 377) quam pro libri sui ratione maxime qualis in externa orationis specie adparcat persequitur. utriusque igitur loci similitudo speciosa potius est quam uera: alii ne tantam quidem similitudinem prae se ferunt. ita Horatius u. 47 uerba tum bene seri siue coniungi monet ubi notum uerbum callida iunctura nouum reddiderit (conf. u. 240 seqq.): Dionysius cap. 3 non tam e recte eligendis uocabulis nasci orationis gratiam docet quam e conpositione uerborum, id quod loco quodam Homeri demonstrat (Od. π 1—16) qui conpositus sit διὰ τῶν εὐτελεστάτων τε καὶ ταπεινοτάτων ὀνομάτων, οἷς ἂν καὶ γεωργὸς καὶ θαλαττουργὸς καὶ χειροτέχνης καὶ πᾶς ὁ μηδεμίαν ὥραν τοῦ λέγειν εὖ ποιούμενος ἐξ ἑτοίμου λαβὼν ἐχρήσατο. quibuscum congruit quod

[66] conf. Buchenau, de scriptore libri περὶ ὕψους. Marburgi Chattorum 1849.

[67] conf. Toupium ad Longin. de sublim. 1, 1.

[68] conf. Ritschelium, *die alexandrinischen Bibliotheken*, Vratislauiae 1838, p. 140 seqq.

[69] *rheinisches Museum für Philologie, neue Folge*, 1 (1842) p. 374 seqq.

[70] non male, quamquam distinctius poterat, uocabulum explicuit I. C. T. Ernestius in lexico technologiae Latinorum rhetoricae. Lipsiae 1797, p. 139.

Digitized by Google

idem iud. de Lysia cap. 8 hunc praedicat consulto dataque opera ea oratione uti quae sine ullo labore nata potius quam facta uideatur: τεποίηται γὰρ αὐτῷ τοῦτο τὸ ἀποίητον καὶ δέδοικε τὸ λελυμένον καὶ ἐν αὐτῷ τῷ μὴ δοκεῖν δεινῶς κατεσκευάσθαι τὸ δεινὸν ἔχει. quod uero de conp. uerb. 20 rhetor exponit orationem pro dicentis adfectibus uariam esse (id quod etiam Aristoteles docet rhet. 1, 2. 2, 1 extr.), id tam per se patet ut non magis ab Horatio expressum sit u. 105 seqq., quam quae iud. de Lysia 4 dicuntur οὐ τοῖς ὀνόμασι δουλεύει τὰ πράγματα παρ' αὐτῷ, τοῖς δὲ πράγμασιν ἀκολουθεῖ τὰ ὀνόματα uersu 311 (conl. 40 seq.) respiciuntur. quod si quae de Dionysio dicta sunt consideramus, nihil inesse adparet quo adducamur ut Horatium eius scriptorum rationem habuisse credamus.

Sed non tantum Graeci uerum ipsi quoque Romani mox studia rhetorica amplexi sunt, id quod cum Cornificii siue quis alius est rhetorica ad Herennium scripta, tum Ciceronis uarii de hac arte commentarii demonstrant. at ille statim initio totius operis maxime diuersum ab Horatio iudicium de Graecis exemplis proponit (1, 1. 4, 1—7). quae deinde 1, 9, 14 disputantur ‚tres res conuenit habere narrationem, ut breuis ut dilucida ut ueri similis sit' et 2, 22, 34 ‚uitiosa expositio est quae nimium longe repetitur', his quidem eadem fere flagitantur quae in Homero laudantur ab Horatio u. 146—152, sed ut haec inde repeti non oporteat. item quae 1, 1 et 3, 21, 34 sententiae explicantur, artem sine adsiduitate dicendi non multum iuuare et naturam doctrinamque coniunctas demum nalere, accedunt quidem ad Horatii u. 292 seqq. et 408 seqq., sed altero loco ita Cornificius loquitur ut artem non ingenio sed usui opponat, altero tantum de exercenda memoria uerba facit. itaque quae inter utrumque scriptorem intercedere uideri poterat necessitudo si accuratius inquirimus euanescit. neque magis Ciceronis scripta rhetorica Horatius uidetur secutus esse, quamquam in his quoque passim reperiri quae Horatianis praeceptis similia sint consentaneum est. ita quae a poeta a u. 100 de mouendis adfectibus exponuntur comparari possunt cum eis quae de orat. 2, 45, 189 et 3, 57, 216 (conf. orat. 38, 131 seq.) disputantur: porro quae de eligendis uocabulis Horatius monet (45 seqq.) quandam similitudinem habent cum eis quae de orat. 3, 43, 170 docentur. sed grauius est quod M. Tullius idem fere de tractanda et emendanda arte oratoria sentit atque de poesi Flaccus: quode optime exposuit Otto Iahnius in praefatione ad Ciceronis oratorem [71]. Cicero enim inter primos Romanos cum accurata exemplorum Graecorum exploratione et cognitione sui iudicii libertatem coniunxit et popularibus hanc rationem commendauit.

Omnes autem doctrinae partes simul complexus est uir inter Romanos eruditissimus, M. Terentius Varro, cuius Horatium passim rationem habuisse Bergkius sagaciter coniecit et probabiliter exposuit in commentationum de reliquiis comoediae Atticae antiquae (Lips. 1838) libro primo p. 147 seqq. nec fere fieri potuit quin Horatius tanti uiri scripta cognita haberet. quapropter quae de tibia poeta tradit u. 202 seqq.

[71] de Horatio confer p. XII, quem locum iam supra p. 15 ubi de Horatii et Alexandrinorum ratione exposui laudare debui.

Digitized by Google

tibia non ut nunc orichalco iuncta tubaeque
aemula, sed tenuis simplexque foramine pauco
adspirare et adesse choris erat utilis cett.,

ea fortasse non inepte ad Varronem referemus qui testibus Acrone et scholiis Cruquianis ad hunc locum ‚ait in tertio[72] disciplinarum et ad Marcellum de lingua Latina quattuor foraminum fuisse tibias apud antiquos. et se ipsum ait in templo Marsyae uidisse tibias quattuor foraminum' (conf. Serv. ad Verg. Aen. 9, 618). deinde de metris Varro in libris de lingua Latina ad Marcellum scriptis exposuit[73]; praeterea uel ab Hieronymo Stridensi in indice librorum a Varrone compositorum[74] uel ab aliis laudantur eius libri de poematis tres[75], de originibus scaenae tres, de scaenicis actionibus tres, de actibus scaenicis tres, praeter eos qui de personis eosque qui quaestiones Plautinas tractabant. adparet igitur Varronis πολυγραφίαν multa praebuisse quibus Horatius uti potuerit, sed difficile erit accurate definire quaenam in arte poetica a Varrone recte repeti possint, praesertim cum huius fragmenta per omnia antiquitatis monumenta dispersa adhuc conlecta non sint: quae quidem cura ut difficillima est summaque et diligentia et acumine indiget, ita quin uberrimos fructus latura et paene cunctas studiorum nostrorum partes noua luce perfusura sit dubitari nequit. —

Iam cum finis huic scriptioni faciendus sit, iudicium nostrum breuiter ita explicabimus ut Horatium potuisse pauca a Neoptolemo accipere, non nulla e Platonis Aristotelisque scriptis hausisse uideri, Romanis quoque auctoribus in quibusdam fortasse usum esse, in longe uero plurimis suae mentis acumen sanumque iudicium et suam experientiam secutum esse dicamus. nec tamen propositam quaestionem ab omni parte absoluisse nobis uidemur: quod quo minus fieret et exiguae nostrae uires prohibuerunt et ipsius quaestionis difficultas, quippe quae amplissimam posceret et accuratissimam uniuersarum litterarum antiquarum cognitionem. deinde neque noua sunt maiore ex parte quae protulimus, cum certa potius quam inaudita adsequi studuerimus, nec semper errores nos euitasse confidimus:

sunt delicta tamen quibus ignouisse uelitis:
nam neque chorda sonum reddit quem uolt manus et mens
poscentique grauem persaepe remittit acutum,
nec semper feriet quodcumque minabitur arcus.

[72] scribendum uidetur ‚in septimo' conl. Ritschelio de M. Terentii Varronis disciplinarum libris, Bonnae 1845, p. 20 seq.

[73] conf. Ritschelium l. l. p. 34 seqq.

[74] conf. Ritschelium in nouo museo Rhenano 6, 481 seqq. et in prohoemio indicis scholarum Bonnensis 1849-50.

[75] de poetis libri tres huc non pertinent, cum in eis de Romanis tantum poetis sermo fuisse uideatur, conf. Ritschelium, parergon I, 621 et in nouo museo Rhenano 6, 515.

Digitized by Google

Revertimur ad laetissimum festi indicendi munus. Itaque quod felix faustumque summum numen esse jubeat, ad natalicia regis augustissimi et clementissimi FRIDERICI VII rite celebranda atque audiendam orationem eamque germanicam quae ab eloquentiae professore in aula academica d. VI mensis Octobris hora XII habebitur, curatorem illustrissimum, magistratus regios tam militares quam civiles ornatissimos, patres hujus urbis consultissimos, ecclesiae ministros summe reverendos, praeceptores gymnasii doctissimos, cives academicos humanissimos, omnes denique hujus urbis vel incolas vel hospites, qui patriae et huic universitati bene volunt, ut frequentes adsint, ea qua par est observantia invitamus.

Digitized by Google

REDE

zur

Feier des Geburtstages

Sr. Majestät des Königs

FREDERIK des VII

an der Christian-Albrechts-Universität

für den 6. October 1857

verfasst von

Georg Curtius

Dr. phil., ord. Professor der Philologie und Beredsamkeit.

KIEL

Druck von C. F. Mohr

1857.

Digitized by Google

Wegen plötzlicher Verhinderung des Verfassers dieser Rede hatte Herr Prof. Dr. *Nitzsch* die Güte dieselbe am 6. October zu verlesen.

Digitized by Google

Hochgeehrte Versammlung!

Bei festlichen Anlässen, wie derjenige es ist, welcher uns heute in diesen Räumen vereinigt, pflegt an unserer Christian-Albrechts-Universität nach altem Herkommen meistens die lateinische Sprache vernommen zu werden. Und wir dürfen uns freuen, dass der diesen Landen so tief eingeprägte Sinn des Erhaltens es bei uns noch nicht dahin hat kommen lassen, wohin es bei andern gelehrten Körperschaften gekommen ist, bei deren Mehrzahl der öffentliche Gebrauch der ehrwürdigen Römersprache, des kraftvollen Organs der wissenschaftlichen Ueberlieferung, des unersetzbaren Erkennungszeichens der Gelehrten aller Völker, schon entweder gänzlich verschwunden oder doch auf einen dürftigen Ueberrest zurückgeführt ist. So lange die classische Philologie die Ehre hat bei diesen Gelegenheiten zunächst als Wortführerin der Universität berufen zu sein, wird sie es sich nicht nehmen lassen die Wünsche für das Wohl des Königs, die Betrachtungen und Hoffnungen, welche sich an solchem Tage hervordrängen, in der Regel in eben der Sprache laut werden zu lassen, welche an dieser Stätte erscholl als unsre Hochschule gegründet wurde. Allein unverkennbar hat die Universität bei diesen Anlässen eine doppelte Aufgabe zu erfüllen. Die eine ist eine innere. Die Universität spricht hier zu sich selbst, sie wendet sich an diejenigen, welche als Leiter, Lehrer und Lernende ihrem engeren Verbande angehören, oder — denn wer möchte das Band das uns umschlingt für ein lockeres, leicht lösbares halten? — die diesem Verbande angehört haben und hoffentlich mit ihrem Herzen immer noch angehören. Für diesen engeren Kreis hat die lateinische Sprache als die eigentliche Gelehrten- und Universitätssprache immer ihre volle Berechtigung. Aber wir begrüssen an solchen frohen Tagen in unsern Hallen auch einen weiteren Kreis. Wir freuen uns wenn Diener des Königs und des Landes, wenn Bürger und Einwohner dieser Stadt, wenn Freunde der Wissenschaft und ihrer

Digitized by Google

Aufgaben von nah und fern in unsrer Mitte erscheinen, das Fest mit uns zu begehen, und für diese Zuhörerschaft werden wir verständlicher sein wenn wir deutsch reden. Je kleiner nun aber in dieser Zeit der Erholung die Zahl der hier anwesenden Universitätsgenossen ist, desto eher mag es gestattet sein von der guten alten Sitte abzuweichen und an dieser Stelle ein Allen, die uns hier durch ihre Anwesenheit erfreuen, vernehmbares deutsches Wort zu reden.

Ohnehin darf in unsern Tagen die Wissenschaft nicht, wie es früher wohl geschehen ist, sich starr von andern Richtungen und Bestrebungen des Lebens absondern, findet sie vielmehr überall die dringendste Mahnung sich mit allen guten Geistern zu kräftiger Gemeinschaft zu verbinden. Den Universitäten also würde es schlecht anstehen, wollten sie in eitler Selbstgenügsamkeit sich auf sich selbst zurückziehen und einen Kastengeist in sich nähren, der, wenn er auch anderswo von den augenblicklich herrschenden Luftströmungen begünstigt wird, doch nirgends vor dem frischeren Hauche dieses Jahrhunderts bestehen kann. Es muss also von Zeit zu Zeit die Universität sich auch an die wenden, welche ferner stehen und es versuchen sich mit diesen über das was sie soll und will zu verständigen. Denn, so nahe es läge am Geburtstage des Königs der alle beschäftigenden ernsten Lage des Landes zu gedenken, nicht von daher wollen wir den Stoff zu unsern Erwägungen nehmen. Fehlt es doch nicht an Stätten, wo darüber geredet werden darf und wo auch die Universität durch ihren würdigen Vertreter das Wort geführt hat. Hier in den Hallen der Wissenschaft sollen uns die Interessen der menschlichen Bildung überhaupt beschäftigen, ohne deren veredelnden und sittlichenden Einfluss, welcher steter Erneuerung, Förderung und Anregung bedarf, ein wahrhaftes Gedeihen des Staats- und Volkslebens undenkbar ist. Wenn irgend etwas hat uns die trübe Geschichte des letzten Jahrzehnts — und nicht etwa bloss in diesen Landen — das lehren können, dass die äusseren Ordnungen des Staats- und Völkerlebens von innen ausgehen müssen, und dass um Gediegenes, Festes, Dauerndes zu erreichen die Völker sittlicher und geistiger Veredlung und Vertiefung bedürfen. Zu dieser grossen Aufgabe mitzuwirken sind sicherlich auch die Universitäten berufen, und so erbitte ich mir für einige einfache Betrachtungen über deren Zweck und Stellung in unsrer Zeit Ihr wohlwollendes Gehör.

Die erste Gründung von Universitäten ist nicht sowohl aus menschenfreundlicher Fürsorge für die Pflege der Wissenschaften, noch weniger aus der Absicht die Vorbildung zu gewissen Berufsarten zu fördern, sondern aus dem dem Mittelalter so wesentlich eigenthümlichen Corporationsgeist hervorgegangen. Wie Handwerke und Gewerbe aller Art sich wechselseitigen Schutzes und der Erhaltung guter Sitte wegen zu Innungen und Zünften zusammen thaten, so einigten sich die, welche in der Pflege der Gelehrsamkeit ihre Aufgabe fanden, zu Genossenschaften, deren Bedeutung, wie es noch heut zu Tage bei den englischen Universitäten der Fall ist, weit über die

Digitized by Google

Bedürfnisse und Zwecke des blossen Lehrens und Lernens hinausgeht. Dieser Zunftgeist, der, so wenig er unsern Neigungen zusagt, seiner Zeit sicherlich viel Gediegenes geschaffen hat, war überall zur Ausschliesslichkeit geneigt. Die Universitäten wurden privilegirte mit vielen und grossen Vorrechten versehene, fest geordnete Stätten der Gelehrsamkeit, sicherlich ein grosser Segen für Zeiten, in denen es bei geringerer Ausbreitung der Wissenschaft um so mehr starker Vereinigungs- und gleichsam Brennpunkte bedurfte. In Erinnerung an diesen Ursprung sind die Universitäten auch heut zu Tage immer noch Körperschaften und müssen sich als solche betrachten, haben sie in dieser Eigenschaft ihre besondern Rechte und müssen sich freuen, wenn diese, wie die Privilegien unsrer Universität neuerdings durch die Huld Sr. Majestät des Königs bestätigt sind, in dauernder Geltung und Uebung bleiben. Vor allem aber werden die Glieder der Universität sich als zu einem schönen und grossen Zweck vereinigt und schon durch dies äussere Band zu engerer geistiger Gemeinschaft aufgefordert ansehen. Ja es ist gewiss nicht zu bedauern, wenn einzelne Universitäten, wie die unsrige, in ihrer eigenthümlichen Ordnung recht viel von den Kriterien einer Körperschaft an sich tragen und dadurch einem jeden unter ihren Mitgliedern beständig den Gedanken in Erinnerung bringen, dass er nicht etwa bloss zufällig und nebenbei, sondern recht eigentlich und wesentlich dieser Genossenschaft angehöre, ja selbst seine bürgerliche Stellung erst in ihr finde. Dies Gefühl der Gemeinschaft ist geeignet das Streben des Einzelnen zu stärken und braucht durchaus nicht mit jenem schroffem Abschliessen gegen die übrigen Lebenskreise verbunden zu sein, was uns eben so tadelnswerth schien. Denn unstreitig haben die Universitäten jetzt nicht mehr den Anspruch ausschliessliche Bildungsstätten zu sein. Sie haben ihren Beruf erfüllt, indem von ihren Mittelpunkten aus Licht nach allen Seiten geströmt ist, und dies brennt nun auch anderwärts, in Kirche und Schule, am häuslichen Heerd und in andern Genossenschaften. Längst duldet die Buchdruckerkunst keine geheime Weisheit mehr und je mannichfaltiger, rascher, lebhafter die Verbindungen unter den Völkern werden, um so verschiedener werden die Wege die der menschliche Geist einschlägt um vorwärts zu dringen, desto weiter die Kreise derer die an der Bildung Theil haben. Wenn daher auch die Universitäten in enger Gemeinschaft mit den für sie vorbereitenden Gelehrtenschulen noch immer die eigentlichen und Hauptstätten für jene gelehrte Bildung sind, welche sich an die Tradition der Jahrhunderte anschliesst und die Wissenschaft um ihrer selbst willen sucht, so wäre das doch ein Verkennen ihrer gegenwärtigen Stellung, wollten die Universitäten andern Richtungen geistigen Lebens mit Geringschätzung begegnen oder sich gegen die übrige Welt engherzig absperren.

In vollstem Gegensatz zu den Anschauungen aus welchen die Universitäten hervorgegangen sind, hat sich in neuerer Zeit vielfach eine andre Ansicht von ihnen geltend gemacht, wonach das Lehren und Lernen als die einzige Aufgabe derselben

Digitized by Google

betrachtet, die Universitäten also für blosse Unterrichtsanstalten, oder etwa gar für Vorbereitungsanstalten für gewisse Berufsarten gehalten werden. Freilich musste die ganze Entwickelung des staatlichen und gesellschaftlichen Lebens, musste die Concentration der verschiedenen Bestrebungen und Thätigkeiten auf die Einheit des Staatszweckes, wodurch sich die neuere Zeit von den vorangehenden Jahrhunderten unterscheidet, das Band zwischen der Universität und den Zwecken der bürgerlichen Ordnung fester knüpfen, und damit die eine Seite im Universitätswesen, der Unterricht, mehr in den Vordergrund treten. Und wer wollte nicht eine hohe und grosse Aufgabe der Universitäten darin erkennen, dass sie die reifere Jugend auf die Berufsarten vorbereiten sollen, welche die entwickeltsten und geübtesten Geisteskräfte, die stärksten und durchgebildetsten Charaktere fordern? Aber dennoch hiesse es die Stellung dieser ehrwürdigen Stiftungen verkennen, wollten wir ihnen kein höheres Ziel stecken, und wo, wie es in einzelnen Staaten geschehen ist, die Universitäten von Staats wegen bloss mit Rücksicht auf diese nächsten, praktischen Zwecke geordnet sind, wo man ihren Charakter als Körperschaften mit eigenthümlichem Leben gänzlich verkannt hat, da ist in kurzer Zeit eine Verknöcherung der Wissenschaft und ein trockner Schulpedantismus die Folge gewesen, in welchem die edleren Triebe wissenschaftlichen Strebens alsbald erstickt und abgestorben sind. Wahrhafter Segen entspringt nur bei freier Entfaltung der mannichfaltigsten wissenschaftlichen Bestrebungen, bei denen die Frage nach dem unmittelbaren Nutzen, nach der augenblicklichen Anwendung eine durchaus untergeordnete bleiben muss. Nichts gibt von der geistigen Dürre, welche als eine hoffentlich vorübergehende Erscheinung uns in unsrer Zeit auf eine oft erschreckende Weise entgegen tritt, einen traurigeren Beleg, als dass sich unter der Jugend selbst deutscher Universitäten der Wahn ausbreitet, durch blosses Abrichten, durch das Einüben gewisser Formeln, durch schülerhaftes Memoriren an der Hand von Handlangern der Wissenschaft könne ein echtes akademisches Studium ersetzt werden. Dass unsre deutschen Universitäten etwas anders sollen und immer gewollt haben, tritt schon deutlich genug in ihrer Gliederung hervor. Denn während die drei ersten Facultäten auf bestimmte Fächer hinweisen und damit ihre gewiss nicht gering zu achtende Bestimmung andeuten, den künftigen Dienern der Kirche und des Staates, den Hütern der körperlichen Wohlfahrt reichliche Mittel und Anregung zur Ausbildung für ihren Beruf zu gewähren, enthält der blosse Name der philosophischen Facultät in ihrer Verbindung mit den übrigen zu einer universitas litterarum die dringende Mahnung jene praktischen Zwecke mit allem übrigen menschlichen Forschen zu einem grossen Ganzen zu verbinden. Die philolophische Facultät unsrer Hochschule trägt sehr bezeichnend auf ihrem Siegel die Devise commune artium vinculum, gemeinsames Band der Wissenschaften. Ihr Gedeihen wird immer ein Hauptkennzeichen für den wissenschaftlichen Geist einer Universität, der Besuch der allgemein wissenschaftlichen Vorlesungen ein wichtiges Merkmal davon sein,

Digitized by Google

wie weit die akademische Jugend von diesem Geiste ergriffen ist. Die philosophische Facultät verkümmert, wenn man, wie es z. B. in Oesterreich bis zum Jahre 1849 geschah, die Universitäten bloss zur Heranbildung von Beamten der Kirche und des Staates und von Aerzten einrichtet, sie blüht und erweitert sich in dem Maasse als die Wissenschaft, ihrer eignen Entfaltung überlassen, der Pflege werth scheint. Ohne die philosophische Facultät, die in der Mannichfaltigkeit der von ihr umschlossenen Wissenschaften zahlreiche Berührungen mit allen Fachstudien bietet, würden die Universitäten, wie dies zum Theil in Frankreich der Fall ist, in Fachschulen zerfallen, ohne die Sonderung der drei übrigen würden sie, wie in England, gleichsam nur höhere Gelehrtenschulen werden und aufhören die Kirche, die Leitung des Staates, die Pflege des Rechts und die ärztliche Praxis mit dem Hauche der Wissenschaftlichkeit zu durchdringen.

Können wir demnach die Aufgaben der Universitäten weder bloss darin setzen, dass sie Körperschaften, noch auch bloss darin, dass sie Bildungsanstalten für gewisse Berufsarten sein sollen, so müssen wir nach einem höheren Ziele suchen, zu welchem sich beide unverkennbar vorhandene Seiten des Universitätslebens vereinigen. Alles wissenschaftliche Streben ist aber auf das eine Ziel gerichtet, der Wahrheit nachzuspüren. Dadurch unterscheidet sich dem Wesen nach der Mann der Wissenschaft von dem des praktischen Lebens, dass für jenen die Wahrheit um ihrer selbst willen, für diese höchstens mit Rücksicht auf etwaige Anwendbarkeit einen Werth hat. Das Forschen aber, das Suchen nach Wahrheit ist ein edles, dem Menschen angeborenes, ganz unabweisliches Bedürfniss. Dies Bedürfniss, an dem jeder Theil hat, das aber bei einem Theile der Menschheit lebhafter und unvermischter hervortritt, hat wie jedes edle Streben, wie der Sinn für das Gute, für das Schöne Anspruch auf Befriedigung. Und dafür zu sorgen, diesen Trieb zu nähren, ihn im höchsten Sinne zu leiten, zu pflegen, dies ist die hohe und unerschöpfliche Aufgabe der Universitäten. Wir dürfen diese als die eigentlichen Pflanzstätten des Wahrheitssinnes bezeichnen und deuten damit zugleich an was den Universitäten zukommt und wodurch sie sich von Anstalten verwandter Richtung unterscheiden. Die Gelehrtenschulen zum Beispiel, auf deren engen Zusammenhang mit den Universitäten wir schon hinwiesen, können auf das eigentliche Forschen nach Wahrheit nur vorbereiten, sollen aber den Sinn dafür wecken, die Kraft zu solcher Geistesarbeit heranziehen. Andre Schulen, wie polytechnische, Handels-, Militärschulen haben schliesslich bestimmte praktische Zwecke, nicht die Pflege des Wahrheitssinnes an sich im Auge. Wenn wir also den Universitäten die Erhaltung dieses Sinnes ohne Nebenrücksichten als ihre höchste Pflicht und ihr schönstes Vorrecht zusprechen, so ergibt sich daraus für die Lehrer an den Universitäten eine doppelte Thätigkeit. Der Geist des Forschens, den wir bei ihnen voraussetzen müssen, muss sich einmal darin bethätigen, dass sie selbst jeder in seinem Gebiet den Fortschritten der Wissenschaft folgen und durch eignes

Digitized by Google

Streben das Reich der Wahrheit zu mehren suchen — denn ohne das letztere würde der Wahrheitssinn sich in ihnen als matt und unlebendig erweisen — und zweitens darin, dass sie diesen Sinn der akademischen Jugend einpflanzen, bei ihr nähren und fördern und dadurch dem nachwachsenden Geschlechte ungeschwächt erhalten. Diese beiden Thätigkeiten ergänzen und fördern sich aber wechselseitig. Denn die eigene wissenschaftliche Production wird durch die Mittheilung des Lehrens ebenso angeregt, wie umgekehrt die Lehrthätigkeit nur dann eine wahrhaft fruchtbare ist, wenn das Vorgetragene aus freiestem Forschen hervorgegangen, der frische Ausdruck des eignen Denkens und Sinnens ist, wenn die vollste Ueberzeugung im lebendigen Worte der Lehre sich ausspricht. Und jedes Glied der Universität kann zum Gedeihen des Ganzen sein volles Theil beitragen. Denn wenn die wissenschaftliche Production hauptsächlich durch das Zusammenleben und den Gedankenaustausch unter den Lehrenden belebt wird, so wird die Lust des Lehrens wieder durch den entgegen kommenden jugendlichen Eifer der Lernenden gehoben, der um so grösser sein wird, je reichere Nahrung man ihm bietet.

Fassen wir also den Beruf der Universitäten in dem angedeuteten Sinne auf, so werden wir nicht zweifeln, dass sie zu allen Zeiten nicht etwa bloss für die studirende Jugend, sondern durch ihr blosses Dasein für das ganze Land dem sie angehören von tief eingreifender Bedeutung sind. In dieser Erkenntniss schufen ja einst in Preussen gross denkende Staatsmänner, Wilhelm von Humboldt an der Spitze, die Universität Berlin zu einer Zeit in der der Staat auf's tiefste danieder lag und die Mittel kaum für die drückendsten Bedürfnisse vorfanden schienen. In dieser Erkenntniss hat Deutschland immer seine Universitäten hoch gehalten und an ihnen mit Stolz gehangen, während sonst zum Stolz wenig Grund war. Fremde spotten wohl über die Menge kleiner deutscher Hochschulen und begreifen nicht, dass sie neben einander bestehen. Aber es gebührt jedem Volke und jedem Volksstamme in seiner besondern Weise, nach seinen eigensten Sitten und Anschauungen den Wahrheitssinn zu pflegen. Für jede dieser Stätten giebt es wieder besondere Aufgaben. Mit Recht scheint daher jedem Lande der Besitz einer Universität wohl manches Opfers werth und gerade dem Geiste des deutschen Volkes, das nichts mehr verschmäht als in rein geistigen Dingen sich der Autorität Einzelner oder dem Modeton einer Hauptstadt zu unterwerfen, ist es eigenthümlich auch aus kleineren Pflanzstätten gelehrter Bildung reichen Gewinn zu ziehen, wo der unvermeidliche Mangel einer glänzenderen Ausstattung mancher wissenschaftlichen Anstalten und einer volleren Anschauung durch die grössere Stille und Concentration des Studiums, durch die Möglichkeit eines regeren wissenschaftlichen Austausches und unbefangenerer jugendlicher Frische nicht selten ausgeglichen wird. Selbst diejenigen, welche in allen Dingen zuerst nach dem Nutzen fragen, können die Bedeutung der Universitäten für die einzelnen Länder nicht verkennen. Denn so wenig deren Aufgabe eine unmittelbar praktische ist, aus dem reinen zunächst nur

Digitized by Google

der Wahrheit zugewandten Forschen ist schon manche schöne Frucht entsprungen, die auf die Gestaltung auch der äusseren Lebensverhältnisse einen wichtigen Einfluss geübt hat. Auch kann es keinem Lande gleichgültig sein, ob es in seiner Mitte eine Stätte hat in der alle die Fragen eifrig erwogen werden, in welcher das praktische Leben sich mit der Wissenschaft berührt. Aber höher freilich müssen wir eine andere Seite anschlagen. Das Forschen nach Wahrheit hat eine sittlichende Kraft und darum wird die höchste Bedeutung der Universitäten eine moralische sein. Alles ernste Streben, alle Arbeit sittlicht, kräftigt den Charakter und bewahrt vor Weichlichkeit und Entnervung, gewiss aber nicht am wenigsten jene harte, strenge, den innersten Menschen ergreifende Geistesarbeit, welche wir von dem Forscher fordern, für welche die akademische Jugend mit Achtung und Liebe erfüllt werden soll. Ein alter Dichter sagt, die Götter hätten den Schweiss vor die Tugend gesetzt; man kann mit gleichem Rechte sagen, dass auch das Wissen Schweiss fordere. Und damit ist nicht etwa bloss die Mühe gemeint die mit der Aneignung vielseitiger Kenntnisse verbunden ist, freilich auch schon eine gute Uebung in der Ausdauer, in der grossen Tugend der Beharrlichkeit, ohne die nichts im Leben der Menschen und Völker erreicht wird. Die Wissenschaft stellt an den Menschen noch andere Forderungen. Das Forschen fordert Entsagung und nicht etwa nur auf äussere Vortheile — die freilich auf andern Bahnen des Lebens dem Begabteren eher als auf denen der Wissenschaft zu Theil werden — er fordert auch immer wieder und wieder Entsagung auf eigne Lieblingsmeinungen, die der strengen Selbstprüfung, der unumgänglichen Pflicht des Forschens nicht Stand halten, Entsagung auf die Lust Neues vorzubringen, wenn das noch nicht so bewährt und erwiesen ist wie es die Treue und Wahrhaftigkeit verlangt. Und wie oft geschieht es, dass, wenn endlich ein Ergebniss den Prüfstein der eigenen Gewissenhaftigkeit bestanden hat, das Wort des Dichters darauf Anwendung findet

Wer kann was Kluges denken
Das nicht die Vorwelt schon gedacht?

Noch manchen ernsten sittlichenden Kampf erfordert die Wissenschaft, darunter auch den inneren Kampf zwischen dem wissenschaftlichen Sinne und den andern Bedürfnissen des menschlichen Geistes und Herzens, die ebenso unabweisbar sind und nicht immer so leicht mit jenem zusammen klingen. In der That mag auf niederen Stufen die Arbeit drr Wissenschaft zum Hochmuth führen, gerade je Höheres erstrebt wird, desto mehr muss sie Demuth, muss sie die tiefe Ueberzeugung wecken, dass wie alles Wissen unvollkommen bleibt, so vollends der Einzelne nach Wissen Ringende nur ein kleiner Ring ist in der Kette des Geisteslebens der Völker, freilich eben darum bestimmt fest zu halten und an seinem Theile zum Ganzen beizutragen.

Jede Zeit hat ihre besondere Physiognomie, ihre besondern Gebrechen und Vorzüge. Der hohe Beruf wissenschaftlicher Geistesarbeit muss es sein im Bunde mit allen edleren Richtungen sittlichend und heilend auf die Gebrechen, fördernd und

Digitized by Google

anregend auf die besseren Triebe der Zeit einzuwirken. Zu solchem besondern Wirken fehlt es sicherlich auch in unserer Zeit nicht an Aufforderung. Denn begegnen wir nicht in ihr manchen Erscheinungen die gerade den nach geistigen Gütern Strebenden besonders erschrecken und abstossen müssen? Das Jagen nach äusserm Gewinn, nach Geld und Gut wann ist es plumper und widerlicher hervorgetreten als in diesen Tagen? Freilich schon Pindar legt niedrigen Seelen den Ruf: „Geld, Geld ist der Mann“ in den Mund, und der römische Markt ruft zu Horazens Zeit „o Bürger, Bürger, erst erwerbt Geld, dann alles Andere.“ Aber so verfeinert und gesteigert wie jetzt dieselbe Gesinnung sich namentlich in dem Lande geltend zu machen scheint, das früher auf den Vorzug feiner Geistesbildung glaubte stolz sein zu dürfen, ist dieser praktische Materialismus doch wohl kaum jemals aufgetreten. Wenn aber in dieser Richtung, welche aller religiösen, sittlichen und intellectuellen Erhebung Hohn spricht, für das geistige Leben der Völker eine drohende Gefahr liegt, so wird es die gemeinsame Aufgabe aller Pflanzstätten geistigen und sittlichen Strebens sein, dem gegenüber den rechten Idealismus zu pflegen, der sicherlich in dem Hin- und Herwogen der Geistesströmungen auch einmal wieder mehr als jetzt Kraft gewinnen wird. Und die Universitäten werden immer die eigentlichen Standquartiere des Idealismus bleiben. An ihnen, wo geistiges Streben die Losung ist, wo die Jugend sich dem frohen Gefühle geistige Güter zu erwerben und der harmlosen Lust des Lebens hingibt, wird, Gott sei Dank, nach dem mein und dein am wenigsten gefragt.

Eng verbunden mit der angedeuteten Richtung ist ein anderes Gebrechen, die Krankheit der Sattheit, der überdrüssigen Gleichgültigkeit gegen höhere, über dem platten Bedürfniss des Tages liegende Bestrebungen. Dieselbe Krankheit tritt hier in einem die That- und Denkkraft lähmenden Skepticismus ohne Glauben und ohne Hoffnung, dort in einer dumpfen Unterordnung unter starre Formeln und bequeme Schlagwörter hervor, anderswo in trotziger Verzweiflung, deren Gegenstück die aufgeblasene Ueberhebung derer ist, denen der herrschende Wind zum Siege verholfen hat. Der gemeinsame Grundzug dieser Krankheitserscheinungen ist das Gefühl, fertig zu sein, der Wahn, es gäbe nichts mehr zu erstreben und zu erringen. Die Wissenschaft aber ist unendlich, sie hält uns immer neue Ziele vor, denn sie ist ein ewiges Suchen nach der Wahrheit, der wir wohl auf immer neuen Wegen näher kommen können, aber ohne sie jemals völlig zu erreichen. Wissenschaftlicher Sinn also fordert zu rastlosem Streben und unablässigem Hoffen überhaupt auf.

Die Fertigen schliessen sich gegen einander ab, jeder glaubt allein und ausschliesslich das Rechte zu haben und verachtet den anders Denkenden. Das ernste Suchen nach Wahrheit führt uns zur Anerkennung jedes tieferen und gediegenen Strebens, jeder ächten Ueberzeugung, wissenschaftliches Forschen macht duldsam ohne gleichgültig zu machen und wird, wenn irgend etwas, am meisten im Stande sein die Einsicht zu nähren, dass gerade in den höchsten und grössten Fragen welche die

Digitized by Google

Menschheit bewegen, völlige Uebereinstimmung unmöglich, dass aber deshalb Friede und Gedeihen nur von wechselseitiger Anerkennung und Duldung zu hoffen ist. Wissenschaftlicher Sinn wird am ehesten den widerlichen Hader bannen, den wir heut zu Tage gerade da sich erheben sehen, wo die höchsten und heiligsten Interessen am meisten zur Eintracht auffordern sollten. Echte Ueberzeugung und geistiger Zwang sind unversöhnliche Gegensätze, darum kann die Förderung des Wahrheitssinnes nur dahin führen, allem geistigen Leben freien Spielraum, und darum auch der Eigenthümlichkeit jedes Volkes, jedes Volksstammes freie und reiche Entfaltung zu gönnen.

Wissenschaft gedeiht im Kampfe einander gegenüber stehender Meinungen, sie fordert daher Eingehen auf die Anschauung, Erwägen der Gründe des Andern und ist das Gegentheil jenes Starrsinnes, der im verstockten Festhalten des eigenen Standpunktes sich gross dünkt, der sich für unverbesserlich hält und allen Gründen des Gegners verschliesst. Diesem Starrsinn ist kein Volk so abhold gewesen wie das griechische, bei welchem die bedeutungsvolle Lehre gefunden ward, dass Weisheit, dass Einsicht eine Tugend, ja die Quelle aller Tugenden sei. Durch die griechische Poesie, vor allem durch die griechische Tragödie klingt das eine Grundthema durch: sei deiner Gränzen dir bewusst, hüte dich vor übermüthigem Starrsinn, öffne dein Ohr den Worten Anderer

„Denn auch ein Anderer fände wohl das Richtige",

zu spät lehrt oft das Unglück „weise zu werden." Alles wissenschaftliche Streben muss sich dieser echten Hellenenweisheit anschliessen.

Die Wissenschaft ist überall auf die Wahrheit, also auf das Wesen der Dinge gerichtet, sie haftet nicht an der Schale und ist nicht mit blossem Schein zufrieden. Und hierin wird das wissenschaftliche Streben, wie es die Universitäten nähren, dem besseren Strome unserer Zeit sich anschliessen. Denn das ist doch wohl ein Gewinn, den die Erfahrungen der letzten Jahre gebracht haben, dass man den Dingen selbst gerader und heller in's Auge sieht, dass auf hohle Phrasen und hochtönende Worte überhaupt wenig mehr gegeben wird, wie ja denn selbst der fast verbrauchte und inhaltslos gewordene Name der Freiheit von seinem Zauber für die Menschheit viel eingebüsst hat.

Auf hohe Ziele, auf weit greifende Aufgaben ist hier hingewiesen und die Stellung angedeutet, welche den Universitäten als den Pflanzstätten des Wahrheitssinnes zu ihnen zukommt. Freilich das Streben bleibt hinter dem Erfolge, das Hoffen hinter der Erfüllung weit zurück, und gross könnte einem der Abstand scheinen zwischen dem was hier bezeichnet ist und dem was wir Einzelne, was unsre Hochschule als Ganzes erreicht und leistet. Aber es ist schon etwas Grosses zu wollen. Wollen wir Grosses und Gutes — und wer von uns sollte es nicht wollen? — so wird unserm Streben, darauf bauen wir, der Segen nicht fehlen, wird es auch uns, wie bisher so fernerhin — unterstützt von allen Guten — gelingen die heilige Flamme des Wahrheitssinnes

Digitized by Google

und alles höheren Strebens in diesen Landen zu nähren. Es kommen freilich wohl Zeiten wo es trübe und dunkel wird. Mussten wir doch aus dem Ständesaale Schleswigs eine Stimme vernehmen, welche uns die Hülfsquellen abzuschneiden drohte, von denen diese für Schleswig so gut wie für Holstein gestiftete Hochschule besteht, mussten wir doch Spott vernehmen über die geringe Frequenz unserer Universität, an der wir wahrlich nicht Schuld sind, und selbst Freunde derselben sich über sie so aussprechen hören, als ob wir daran wären zu verfallen und zu verkümmern. Dank sei es der Weisheit derer, denen die Lenkung unserer Angelegenheiten anvertraut ist, Dank sei es der regen Theilnahme, die in diesen Landen für unsre Anstalt besteht, so schlimm ist es nicht. Die Kieler Universität — zu deren Gedeihen jeder von uns je mehr man sie herabzusetzen sucht, desto eifriger wirken wird — braucht nach vielen Richtungen hin den Vergleich mit anderen Hochschulen von ähnlicher Ausstattung nicht zu scheuen und, dürfen wir aus der Erfüllung mancher Wünsche, welche die letzte Zeit gebracht hat, dürfen wir daraus, dass die Erfüllung andrer dringenderer näher gerückt scheint, einen Schluss ziehen, so ist es uns erlaubt von der nächsten Zukunft noch Besseres zu hoffen. Jedenfalls ziemt es uns an diesem frohen Tage mit Dank und Vertrauen dem zu nahen, der seinen Standpunkt hoch über dem Getreibe ephemerer Parteien hat, mit Dank für den uns gewährten Schutz und mit dem Vertrauen, dass ein Herrscher dieses erhabenen Fürstenhauses nie wird verkümmern und untergehen lassen, was seine erlauchten Vorfahren für diese Lande gepflanzt und gegründet haben. Mit solchen freudigeren Gefühlen erflehen wir Gottes Segen über das Haupt Seiner Majestät des Königs, fassen wir unsre Wünsche und Empfindungen in das Wort zusammen:

Heil König Frederik dem Siebenten!

Digitized by Google

1857. VII.
MEDIC. I.

DE

CORPORIS HUMANI MENCISCIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

EDMUNDUS DE BARTELS

HAMBURGENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVII.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *W. F. G. Behn*,
h. t. Decanus.

Digitized by Google

Dubitanti mihi, quam materiam ad dissertationem inauguralem medicam eligerem, Behnius, professor amplissimus suasit, ut de illis tam diversis cartilaginibus interarticularibus disputarem, quae tam perverse communi meniscorum nomine, comprehensae, partim non recte descriptae, partem etiam falso explicatae sunt. Facere non possum, quin summas hic palam ei gratias agam pro summa benevolentia et humanitate, qua non modo literas ad meniscorum descriptionem pertinentes, verum etiam praeparata musei anatomici Kilionensis huc spectantia accuratius perscrutanda mihi offerebat. Neque minus Tüngel instituti anatomici Hamburgensis director, humanissime operis elaborationem eo adjuvit, quod occasionem perscrutationum in cadaveribus instituendarum mihi praebuit. Utinam ne gratias tironis medici repudiat!

Pro notione physica menisci corpora convexo-concava exhibent, quorum sectio transversa formam semilunarem offert. Anatomiae periti similitudine superficiali et observatione minus accurata singularum partium cartilaginum interarticularium perducti omnes cartilagines interarticulares meniscos nominabant, quae praeter integumentum epiphysium cartilagineum ita inter hasce collocatae sunt, ut quasi cava articulationis duo, quin distincti duo conformentur articuli.

Descriptio, quam Weitbrecht in opere suo praestantissimo de syndesmologia edidit, si reliquos priorum temporum autores respicis etsi non omnino perfecta, attamen naturae congrua. Functionem autem in sola descriptione articulationis carpi monet, cum cartilaginem triangularem „vinculum robustissimum“ nuncupat „quo ambo ossa inter se constringantur.“ Ex ea, quam promulgavit delineatione articuli mandibularis, praecipue autem ex partiali, quam describit, insertione musculi pterygoidei externi ad meniscum, docet, eum functionem hujus menisci, etsi non pronunciaverit, bene cognitum habuisse. Idem e descriptione cartilaginis interarticularis sternoclavicularis suspicari licet.

Anatomiae cultores post Weitbrechtium ejus opera videntur ignorasse, quum omnibus meniscis tantum finem massae intermediae compressionis capacis tribuant, qua motus articuli augeatur et ictus articulum versus effecti pulvinaris instar diminuantur. Ceteroquin meniscorum descriptio ab aliis autoribus, quin etiam recentioribus,

Digitized by Google

inter quos Hyrtl quoque exstat, edita manca et a vero longe distat. Nuperrime demum Ed. Weber, H. Meyer et Robert accuratius meniscos descripserunt. Quare non ineptum videtur, quae adhuc de meniscis literis tradita sunt, breviter conferre, iisque, quae ad accuratiorem descriptionem anatomicam et physiologicam adhuc videntur deesse pro virili parte salva emendatione addere.

Meniscorum sic dictorum in corpore humano inveniuntur quatuor, qui sunt: Cartilago intermedia triangularis articulationis carpi, cartilago meniscoidea juncturae sternoclavicularis, operculum cartilagineum condyli mandibularis, cartilagines semilunares genu, quorum separatas descriptiones anatomicas primum sequi volumus.

1. Cartilago intermedia juncturae carpo-antibrachialis.

Haec fibrocartilago, quum a Weitbrechto sit optime descripta, ipsius autoris verba citabimus:

„Haec fibrocartilago est vinculum robustissimum, quod radium in extremitate „inferiore cum ulna cochibet atque ad singula ossa duabus potissimum productionibus „fortiter alligatur. Ut enim de basi ejus ipsa taceam, quae in contactu radii per crus„tae cartilagineae continuationem ita cum illo adunatur ut alterum ejus planum cum plano „basis radii unus sinus non interruptus videatur: duo quoque ad basin anguli utrimque mar„ginem summum sinuositatis radii amplectuntur et brevibus ligamentis cum membrana cap„sulari quae carpum ad radium annectit, confunduntur. Ad ulnam vero connexio talis est: „Vertex cartilaginis in lingulae formam protensus, ipse, praeterquam in extremo apice, „maximam partem cartilagineus in latus processus styloidis ulnae sibi directe oppositum „implantatur, quae implantatio tanquam centrum motus radii est; quod si enim lineam „duxeris usque ad protuberantiam styloidem radii, haec linea directrix est et quasi ra„dius osculi curvae, quam summitas protuberantiae istius describit, quando cum osse „suo circa tuber ulnae circumvertitur.“

„Denique in superficie cartilaginis sursum spectante, (sive, quae cum sinu radii „laterali continuata caput ulnae immediate tegit) ad radicem verticis praedicti oritur „ligamentulum fibrosum, subcruentum, quod in fossulam exiguam, quae in capitulo ulnae „juxta principium processus styloidis exsculpta est, insinuatur tet terminum articula„tionis radii cum ulna occludit.“

Quae quidem cartilago, summa exercita flexione radiali, osse lunato obtecta penitus ab ossis triquetri superficie glenoidali est remota, cujus autem dimidia pars huic est opposita, simulac recta utimur manus extensione. Inter summam flexionem ulnarem tota ossis triquetri superficies glenoidalis tegit cartilaginem. Quod attinet ad supinationem et pronationem utraque, modo fortius fiat, aequali modo ligamentum hocce intraarticulare (tale enim revera est habendum) extenditur. Flexioni ulnari adhibita ligamentum comprimi, quod plurimi affirmant anatomiae scriptores equidem

Digitized by Google

nullo modo reperi, flexio enim ulnaris cartilaginis compressione minime perficitur, sed eo, quod totus carpus in ipsa antibrachii superficie glenoidali (circulari fere modo) radium versus movetur, quo fit ut pressio super totam superficiem glenoidalem distribuatur. Quod contra, flexione adhibita radiali vacuum exstaret spatium inter ipsum meniscum et ossis triquetri superficiem glenoidalem nisi aëris pressione hoc expleretur adiposissima illa membrana capsulari. Praeterea vero jam propter duritiem suam non potest comprimi.

II. Cartilago interarticularis juncturae sternoclavicularis.

Hujus menisci descriptioni praecedat sterni claviculaeque superficiei glenoidalis delineatio.

Claviculae extremitas sternalis duo praebet segmenta, quorum alterum, introrsum et paullo antrorsum situm cartilaginis intraarticularis origine omnino tegitur dum alterum, extrorsum et magis retrorsum spectans superficiem glenoidalem apertam et liberam format, simillimam auriculae humanae, cujus helix paullo reflexa est. Superficies haecce glenoidalis ubi primae costae cartilaginem tangit incisuram offert, sellam simulantem, quae quasi est continuatio profundae fossae in media claviculae parte sitae, qua fit haud negligendus sulcus, quicum cartilaginis meniscoideae subjacentis jugum congruit. Sterni superficies glenoidalis eodem modo dividenda est in duo segmenta, quorum alterum introrsum situm tuberculum format, admodum prominens, cujus apex fere est triangularis. Hujus tuberculi latus exterius et anterius in magnam transit incisuram, quae est convexa a pectore in tergum, concava a dextro in sinistrum, itaque ephipii quasi praebet formam claviculae fossae antea descriptae respondentem. Haec quidem incisura alterum est superficiei glenoidales segmentum. Observandum, tamen hujus juncturae conformationem tam variam esse, vix ut cum nullo alio articulo conferri possit. Hoc inde repetendum videtur, quod hujus articulationis, potius claviculae inclinatio horizontalis diversa offertur, quin in utraque ejusdem hominis junctura sternoclaviculari. Quae res, quantam exerceat vim in superficierum articularium formam facillime quisque intelliget; hocce enim discrimen interdum angulum triginta gradus excedentem efficit.

Ipsius menisci penitus fibrocartilaginosi forma secundum rei naturam cum superficierum articularium congruit, quibuscum binas efficit cavitates articulares, quarum altera, inter meniscum et claviculam sita exteriorem et posteriorem juncturae ambitum formans lateratim aliquot lineas claviculae limbum obtusum in primae costae cartilagine jacentem transgreditur, ubi membrana capsularis magis tenuis est, quam in ullo hujus juncturae loco. Altera cavitas glenoidalis, inter meniscum et sternum sita anteriorem et interiorem hujus juncturae partem occupans usque ad menisci insertionem in sternum et primae costae cartilaginem pertinet. Haec vero insertio permultas praebet variationes, tamen vero retrorsum et extrorsum firmissimam invenimus

Digitized by Google

cum sterno menisci conjunctionem. Haud negligenda est menisci cum capsula et ligamento interclaviculari connexio, quae est undique firmissima, praeter locum, ubi in primae costae cartilagine movetur clavicula. Hic enim, ut jam supra vidimus laxa est membrana capsularis, omnibusque iis fibris accessoriis caret, quibus reliquas capsulae partes adjuvat meniscus. Antice quoque admodum liber est menisci inferior margo, quamvis minus quam loco modo monito, quum in juncturae costosternalis vicinia permultae observentur menisci fibrae. Introrsum vero, quod maximum interest, paullisper distans a sternali illo, jam supra descripto tubere articulari, in incisura semilunari parvulum invenitur tuberculum, cui ligamentulum quoddam, fere rhomboideum annectitur, quod, etsi parvum, magna tamen gaudet firmitudine. Hocce ligamentum a menisci interiore termino profectum, sola membrana synoviali obtectum, summopere intenditur, quando in pectoris cavitatem detrudere vis claviculam, nullum vero rotationibus opponit impedimentum. Hinc patet, juncturam sternoclavicularem esse sitam perpendiculariter in claviculae axi longitudinali, hanc articulationem duas offerre cavitates glenoidales a se invicem segregatas, quarum altera antrorsum et introrsum spectans inter meniscum et sternum sita est, altera vero inter meniscum et claviculam extrorsum et retrorsum collocata exstat. Meniscus autem, quamvis in variis hominibus varias ineat adhaesiones, ut ita dicam accessorias, semper firmissime ad claviculae anteriorem et interiorem, ad sterni exteriorem et posteriorem partem affixus est. Invenimus deinde, experimentis institutis, hunc eundem meniscum, omnibus remotis aliis ligamentis firmissimum et robustissimum esse ligamentum, quo omnis impediatur claviculae in anteriorem pectoris faciem deviatio.

Si quaerimus, quem ad finem talis sit hic apparatus, qualem reperimus, hocce videtur esse verisimillimum: Duplex fieri potest claviculae in sterno motus. Etenim clavicula aut de sterni illo tuberculo articulari delabitur, aut rotatur. Quae vero rotatio, quanti sit momenti tota juncturae structura satis docetur. Ad majorem rotationis modum necessaria erat duplex et inter varias partes distributa cavitas glenoidalis. Tali enim modo ligamenti intraarticularis (id enim est ille meniscus) vis simul cum libero articulationis motu effici potuit, dum meniscus rigidus ipse vix motus peracti particeps fit. Hujus quidem rotationis centrum minime est situm in juncturae media parte, sed in tuberculo illo articulari, quo fit, ut exterior claviculae pars majores perficiat circulos, quam interior. Quare tam laxam invenimus membranae capsularis partem illam in primae costae cartilagine jacentem, atque eadem ex ratione ligamentulum illud rhomboideum, quod supra descripsimus jam ad impediendam claviculae in pectoris cavitatem deviationem sufficit.

III. Articulationis mandibularis descriptio.

Mandibulae convexus condylus in ossis temporum superficie articulari movetur, cujus, ab anteriore tuberculi articularis margine fere usque ad fissuram Glaseri perti-

Digitized by Google

nentis sectio perpendicularis sigmoideam offert formam, quia antice est tuberculum, postice cavitas. De hujus quidem articulationis vestimento cartilagineo haecce docet Kölliker (*Mikroskop. Anatomie, Band II,* § 97):

„*An einem einzigsten Gelenke, dem Kiefergelenke, fehlt zwar die Knorpellage an „den betreffenden Gelenkflächen nicht, wie neulich (von H. Meyer) behauptet ist, hat jedoch „eine geringe Mächtigkeit und Ausdehnung und ist von einer dicken Lage von Faser-„gewebe überzogen. Am Kopf des Unterkiefers, sowie am Schläfenbein findet man, so „lange der Knochen nicht ausgebildet ist, eine mächtige Lage ganz ausgezeichneter Knorpel-„zellen, gegen die Gelenkhöhle zu von einer Bindegewebslage überzogen. Diese Knorpellage „schwindet, je mehr sich der Knochen seiner Ausbildung nähert, und am Ende bleibt „unter der relativ und absolut dicker gewordenen Bindegewebslage nur noch eine ganz „dünne und durchscheinende Schicht, deren Elemente, obschon morphologisch nicht wirk-„liche Knochenzellen, doch denselben näher zu stehen scheinen als den Knorpelzellen.*“

Inter mandibulam et os temporum meniscus situs est, qui correspondens cum harum partium forma antice est utrimque excavatus, postice vero intumescens, supra convexus infra concavus offertur. Ipse meniscus fibrarum duplice ordine componitur, quarum stratum transversum utrimque mandibulae condylo annexum intime cohaeret cum ligamento maxillae laterali externo, stratum longitudinale cranio praecipue affixum est. Praeterea vero undique meniscus cum membrana capsulari contextus est. Antrorsum et introrsum membranae capsularis locum musculi pterygoidei externi suprema portio obtinet, quae ibidem ipsi menisco adjungitur.

Si inquirimus, quomodo sit situs in hac junctura mandibulae condylus, distinguendum est inter eam positionem, quam quiescens occupat mandibula et inter eam, quae motibus efficitur. Inter quietem enim menisci pars posterior eademque crassior in anteriore cavitatis glenoidalis parte jacet ibique ab ipso condylo in posterius tuberculi articularis latus premitur, atque idquidem ita, ut adjuvantibus ligamento maxillae laterali externo ipsiusque maxillae pondere apex condyli antrorsum spectans meniscum non sursum premat sed antrorsum in tuberculum articulare. Nullo modo iis assentire possumus, qui putent, totam cavitatem sic dictam glenoidalem condylo expleri; ipsa enim superficies glenoidalis ne fissuram Glaseri quidem attingit.

Simulac vero movetur mandibula una cum menisco antrorsum labitur mandibula, quod quisque in suo ipsius corpore tactu potest percipere atque hac ex causa musculi pterygoidei externi portio supra memorata in ipsum meniscum inseritur

IV. Cartilaginum semilunarium genu descriptio.

Junctura genu optime descripserunt Weitbrecht, Ed. Weber, H. Meyer et Robert (*Untersuchungen über die Anatomie und Mechanik des Kniegelenkes*) cujus opus, quamvis sit admirabili diligentia et veritate scriptum, nonnulla tamen continet momenta, quae emendatione egent.

Digitized by Google

Nostrum non est, totam describere articulationem, quare earum partium descriptione contenti erimus, quae ad meniscos ipsos pertinent, vel in eos eorumque mechanismum majorem exercent vim.

Primum igitur superficierum condylearum configurationem describere liceat Superficies glenoidalis tibiae, transversim sitae posterior, eademque major pars directionem obliquam axin ossis longitudinalem versus offert et angulum graduum 8—10 cum ea format, quo fit, ut tibiae axis non attingat mediam superficiei articularis partem sed punctum aliquantum ante hanc situm. Porro vero, si cum articulatione tibio-tarsali comparatur, paullo introrsum rotata est. Hinc harum superficierum transversae axes triginta fere graduum angulum efficiunt, ideoque, si erectum aspicis hominis situm, pedibus eversis, ambarum tibiarum diametri transversae unam quasi formant lineam rectam, dum diametri longitudinales parallelismum exhibent. Huic quidem superficiei eminentia intermedia fere pyramidalis imposita est, cujus quatuor latera in superficiei articularis quatuor segmenta transeunt, quorum duo lateralia cartilagine sunt obducta, ea vero, quae antice et postice inveniuntur, cartilagine carent. Quum autem superficiei tibialis, quae cartilagine sunt obducta segmenta antice magis distent, quam postice regio illa anterior, cartilagine carens, fere horizontalis major est, quam postica quae 140 graduum angulum cum illa format neque ullo tempore os femoris tangit. Superficierum illarum cartilaginearum interna auriculae fere instar et magis declivis, majoris est circuitus quam externa atque excavationem offert paullo antrorsum spectantem, quae oblique ab interiore et anteriore parte profecta extrorsum et retrorsum continuatur. Tota haecce excavatio falciformi et magis plano limbo circumdatur, cujus acutus apex ibi jacet, ubi crustam cartilagineam relinquit menisci anterius cornu. Totus fere hujus superficiei ambitus praecipe instructus est margine, qui ubique unam et dimidiam usque ad duas lineas super membranae capsularis insertione imminet, praeter eum locum, quo tibiae limbum transgreditur anterius menisci cornu. Ibi vero, ubi posterius menisci cornu de crusta cartilaginea descendit hocce in incisurum, ephippii formam simulantem est immissum. Hujus quidem crustae crassitudo locis variis varia est, introrsum enim et paullo antrorsum haud longe de eminentia intermedia maxima est tum autem ex hoc loco undique leniter decrescit.

Superficiei cartilagineae externae formam, quum optime descripserit Robert ipsius verba citamus:

Die Oberfläche der äuseren Knorpelfläche hat einen von hinten nach vorn um die Eminentia intermedia *herumlaufende Wellenform. Die* Eminentia intermedia *ist nicht so hoch an dieser Seite, indem sie sich über die Mitte dieser Fläche nur* 8 *Mm. erhebt. und* 2 *Mm. niedriger ist, als die der anderen Seite. Sie ist* 6 *Mm. von ihrer Basis aus hoch, ihre, nach hinten gelegene, höhere Spitze* 5 *Mm. breit. Sie liegt etwas weiter nach vorn, als die der andern Seite, so dass die Knorpelflächen beider Gelenkspitzen sich gerade gegenüber liegen. Im Gegensatz zu der inneren Knorpelfläche fällt ihr unterer Rand steil*

Digitized by Google

ab, während ihr hinterer sich allmälig senkt. Auch ihr Abfallen gegen die Gelenkfläche ist viel geringer. Der Winkel gegen die Fläche beträgt 150°. *Der innere, hinter der* Eminentia intermedia *liegende Rand dieser Knorpelfläche liegt am höchsten, sie vertieft sich im hintern Drittheil am weitesten, erhebt sich wieder und senkt sich am vordern Rande so bedeutend, dass derselbe die tiefste Stelle der Gelenkfläche darstellt. Der Durchschnitt dieser Fläche von vorn nach hinten bildet eine Wellenlinie, deren hintere Erhebung* 8 *Mm., deren vordere* 3 *Mm. beträgt. Von innen nach aussen ist diese Fläche concav, und zwar an den Senkungen der Wellenfläche am bedeutendsten, auf den Erhebungen am flachsten, jene Tiefe beträgt* 4 *Mm., diese nur* 21 *Mm. An der hintern Seite dieser Fläche steigt der Knorpelüberzug in Form einer dreieckigen Fläche an der hintern Seite des Knochens herab, auf welcher die Sehne des* M. poplit. *verläuft.*

In exteriore hujus superficiei cartilagineae margine quoque animadvertitur pla. planum falciforme, in quo cartilago semilunaris externa movetur. Hoc stratum cartilagineum externum ubique paullo crassius interna est et eodem modo, praesertim antrorsum decrescit.

Os femoris, fossae intercondyloideae cavsa duabus, penitus separatis superficiebus cartilagineis tibiam tangit, quum ea superficiei cartilagineae pars, quae ante hanc fossam sita est, numquam tibiam assequatur.

Hae quidem superficies eandem praebent latitudinem atque tibiae, dum earum longitudinem longe superant. Superficies interna, si perpendicularem aspicis femoris situm altius descendit externa, homine autem erecto utraque in eodem horizonte sita est, quia admodum introrsum inclinata sunt ossa femoris. Sibi haud exigue oppositae sunt hae superficies, quia utriusque margo externus interno altius prominet. Utraque superficies duplicem offert convexitatem, scilicet a pectore in tergum et a dextro in sinistrum latus, quarum haec in condylo interno major est quam in externo, dum illa in utroque latere varia, secundum Weberi disquisitiones lineam fere spiralem describens binas efficit harum superficierum regiones. Quarum regionum anteriori, planior et fere horizontali, in qua corporis pondus inter eundi motum innisum est, Robert nomen dedit superficierum ad gressum pertinentium (*Gehflächen*), quibus ingredientes utamur. In regionibus posticis, quasi globosis femoris rotatio fit, quare Robert his partibus superficierum rotatoriarum nomen dedit. Longum et superfluum est, cuncta iterum narrare, quae hac de re summa diligentia in Roberti libello exposita sunt, quare benevolus lector hujus ipsius auctoris verba respiciat.

Tales vero superficies glenoidales, quales in tibiae et femoris extremitate invenimus apparatum intermedium ad congruentiam requirere satis apparet, quare fibro. cartilagines binae sunt interpositae inter tibiam et femur, quarum discriptionem jam conabimur.

Menisci superficie inferiore crustae cartilagineae tibiali impositi sunt et arcte cum membrana capsulari cohaerent. Superiores superficies concavae os femoris spec-

Digitized by Google

tant, quo multo fiunt profundiores tibiae superficies glenoidales, quarum peripheria propter magnam horum labrorum ligamentosorum vim elasticam varias ossis femoris curvas sequi potest. Quod ad situm formam et mobilitatem attinet, differunt inter se hi menisci; id vero utrique est commune, ut sint fere falciformes, exteriorem praebeant latum et interiorem acutum marginem. Cartilago semilunaris interna, paullo externa humilior, postice latissima et crassissima, duabus tantum gaudet adhaesionibus constantibus. Prima fit per cornu antici finem, qui taeniae tenuis instar ad tibiae superficiem anteriorem est affixus. Si vero Robert contendit, hancce adhaesionem non ubique inveniri, equidem ei morem gerere nequeo, potius vero saepius deesse reperi ligamentum transversum, quo inter se conjungitur uterque meniscus, quod alii quoque affirmant anatomiae expertissimi. Ligamenti mucosi pars fibrosa quoque ab hujus menisci anteriore cornu proficiscitur, quod haud esse ullius momenti puto.

Cornu autem posticum simulo post eminentiam intermediam affigitur ita, ut a ligamenti cruciati postici fine obtegatur. Haec fibrocartilago tali modo cum membrana capsulari conjuncta est, ut nullo majore modo in tibia possit moveri, qui quidem motus jam eo admodum est impeditus, quod tantopere distant inter se menisci anterior et posterior insertio. Praeterea id est observandum, lateratim et retrorsum tantum fieri profundiorem superficiem glenoideam, quia postice crassior est meniscus, antrorsum vero nullius momenti offert altitudinem. Cartilago semilunaris externa tres init adhaesiones, quarum una fit per cornu posticum. Adhaesio prima cornu antici est in sinulo et acclivitate tuberculi intermedii cavitatis glenoidales externae, juxta finem ligamenti cruciati antici. Cornu postici adhaesio prima est ligamentum ex limbo dorsali cartilaginis egrediens, quod cum ligamento cruciato postico unitum illi adhaeret atque una cum illo magis extensum ante ipsum ossis femoris condylo interno annectitur. Adhaesio tertia saepe in duas caudas dividitur, quarum altera in acclivitate simili cavitatis externae terminatur. Hic quidem meniscus ovalem fere formans ansam eminentiam intermediam circumdantem non totum tegit superficiei cartilagineae ambitum sed lateratim tantum ejus limbum exteriorem attingit, quo fit, ut ante et post hunc locum superficiei glenoidalis pars sit libera. Ejus latitudo et altitudo ubique fere sunt eaedem.

Haec cartilago semilunaris externa in ipsa tibia, quia tantopere sunt appropinquatae ejus insertiones tibiales in tibiae superficie potest moveri et removeri, et antrorsum et retrorsum, circum eminentiam intermediam. Quibus motibus exercitis variae fiunt excavationis articularis profunditates, est enim profundior haec excavatio, quando retrorsum, planior, quando antrorsum movetur meniscus. Lateratim, ubi musculi poplitei tendo externa membranam capsularem petens limbum exteriorem menisci transgreditur aliquantum conjunctione cum membrana capsulari caret meniscus, ibique retinaculum forte utrimque ad ipsam tendinem dimittit, praeterea vero interna musculi poplitei portio ad ipsius menisci posteriorem partem affixa est, (cujus rei Robert nul-

Digitized by Google

lam facit mentionem) quo fit ut maximam in hujus menisci situs habeat vim musculus ille, quod quidem Robert negat. Nam si musculus contrahitur introrsum et retrorsum movetur meniscus, quem motum jam sua sponte facit cartilago semilunaris externa si flectitur et invertitur crus.

Nostrum non est, totam describere juncturae genu anatomiam, quum Roberti descriptio, omnibus numeris absoluta videatur. Restat igitur varios movendi modos respicere, quos articulatio tibio-femoralis exhibet.

Duplex exstat in articulatione genu movendi modus, quorum alter ad flexionem et extensionem, alter ad rotationem (supinationem et pronationem) pertinet. Ipsa flexio et extensio duplicis motus combinatione efficitur. Inter extensionem iis superficiebus, quas Robert appellavit „*Gehflächen*“ in tibia quiescens os femoris, ope ligamenti cruciati antici, quam potest fieri maxime antrorsum labens protunditur. In flexione genu ligamenti cruciati postici causa primum eodem modo horizontaliter relabitur ossis femoris superficies condyloidea, dum patella cunei instar in femoris frontem premit, postea vero condyli femoris super meniscum rotantur. Qui motus ita efficitur, ut circulum describat condylus externus cujus centrum in excavationis tibialis internae media parte situm est. Ipsa cartilago semilunaris externa omnes hos motus sequitur, ut, in situ erecto antrorsum sit protrusa, summa exercita flexione retrorsum et introrsum spectet, quem motum adhaesio illa cum ligamento cruciato postico juvat.

Quando in superficiebus rotatoriis requiescit os femoris denuo condylus internus centrum motus offert, quod circum externus condylus movetur ita, ut pedibus eversis una cum menisco suo propellatur condylus externus, pedibus inversis autem et femur et meniscus ultra tibiae posteriorem marginem prominens retrorsum et introrsum moveatur.

Harum cartilaginum interarticularium anatomia, quum tantopere sit varia, ut ne duae quidem inter se congruant, satis apparet minime eas adesse ad unum eundemque finem, easque non esse sola pulvinaria, quibus mitigetur ictuum receptorum violentia. Apparet quoque eas non esse sola explementa, ut nonnulli affirmaverunt anatomiae scriptores. Potius vero, si habitum anatomicum respicimus duo cartilaginum interarticularium genera nobis sunt distinguenda, quae penitus sunt varia. Quorum alterum cartilaginem intermedium triangularem et meniscoidem sternoclavicularem continens meniscorum spuriorum, alterum, reliquas duas continens cartilagines interarticulares meniscorum verorum appellabimus.

Menisci spurii sunt ligamenta intraarticularia. Hoc clarissime apparet, si cartilaginem intermedium triangularem aspicimus, qua arctissime inter se conjunguntur ra-

Digitized by Google

dius ulnaque et ad certum modum arcetur et supinationis et pronationis curriculum, Porro vero haec cartilago, superficiei radialis quasi continuationem formans talis est qualis ope omnino fieri potuerunt liberi manus motus, dum ulna, perpetuo unm eundemque locum obtinens nullum impedimentum motibus offert.

Iuncturae sternoclavicularis cartilago meniscoidea meniscis veris jam est multo similior. Nam, quamvis sit praecipue ligamentum, quo claviculae antrorsum et introrsum deviatio impediatur, tamen ea adjuvante majore mobilitatis modo gaudet articulatio, ut jam supra satis docuimus.

Hi duo spurii menisci compluribus momentis a veris differunt;

Spuriorum meniscorum insertiones semper in duobus, sibi directe oppositis ossibus sitae sunt, dum ipsi veri menisci omnino uni magis adhaerent ossi neque cum altero umquam directe sint conjuncti sed per membranam capsularem aliasque partes ligamentosas. Menisci spurii in quovis juncturae situ unum eundemque locum obtinent, dum veri menisci in ossium superficiebus possunt plus minus moveri et removeri. Ipsi veri menisci in iis tantum inveniuntur articulis, quorum superficies glenoidales, quod ad formae et magnitudinis rationem, discrepant, dum ginglymi et rotulae mechanismi combinationem offerunt et horizontalem illum labendi motum, quo nulla alia corporis humani articulatio fruitur.

Articulatio mandibularis eo gaudet menisco utrimque excavato, quod utrumque et mandibula et tuberculum articulare, est convexum neque ulla articulatio potest duabus penitus convexis componi superficiebus glenoidalibus. Ex iis, quae supra de hoc menisco diximus satis apparet, omnia huic menisco esse tribuenda, quae veris meniscis, ut modo exposuimus, tribui possunt. Si aperitur os in menisco sua rotatur mandibula, dum meniscus in tuberculum articulare paullo antrorsum labitur, adjuvante musculo pterygoideo externo. Longum esset, si omnia repetere vellemus, quae de hujus articulationis mechanismo ab autoribus nostrae aetatis promulgata sunt.

Iuncturae genu cartilagines semilunares superficiei tibialis profunditatem augent et talem formant cavitatem, qualis statim variis femoris dimensionibus sese accommodat. Porro ipsis meniscis adjuvantibus, articulatio tibiofemoralis quasi in duos divisa est articulos, qui eminentia intermedia et ligamentis cruciatis sunt separati, quorum alter in condylo interno motum stabilem, alter in condylo externo motum varium exhibet, quo fit, ut condylus internus sit omnium genu motuum centrum, quod circa circulos suos describit condylus externus. Quonam modo inter hos motus sese habeant menisci, jam supra diximus. Quam falso igitur hi menisci pro pulvinaribus habeantur, jam inde patet, quod, quamvis sint interpositi inter femur et tibiam, tamen horum ossium mediae partes in omnibus articuli sitibus directe tanguntur, ita, ut quisque ictus ab uno osse via directa in alterum sibi oppositum transferatur. Menisci vero, ut motibus effectis comprimantur, fieri non potest propterea, quod una cum ossibus moventur et removentur ita, ut omnem pressionem fugiant.

Digitized by Google

THESES.

1. Exanthemata vesiculosa numquam sunt originis syphiliticae.
2. Sectio circularis in omnibus majorum artuum amputationibus omnibus aliis amputandi methodis est praeferenda.
3. Ad instituendum partum praematurum artificialem punctio velamentorum ovi unica est certa methodus.

Digitized by Google

Digitized by Google

1857. VII.
MEDIC. II.

DE

PSEUDARTHROSI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

JULIUS MANNHARDT

HANERAVIENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVII.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *W. F. G. Behn*,
h. t. Decanus.

Digitized by Google

Liceat mihi, duos pseudarthrosum enarrare casus in clinice chirurgica nostra observatos et a Dr. Esmarch sanatos, qui ratione therapeutica alicujus momenti sunt, et iis nonnullas de pseudarthrosi animadversiones annectere.

CASUS PRIMUS: *Pseudarthrosis humeri resectione sanata.*

H. Jers, 33 annos natus, homo fortis et validus, initio m. Martii a 1856 fracturam transversam humeri sinistri paullum supra mediam ossis nactus erat; fasciis amylaceis tunc brachium instructum est, ita tamen, ne plana fragmentorum inter se immobilitas efficeretur, et per 7 hebdomadas vincula saepius mutata sunt. Etsi vincula adessent tamen brachio moto semper crepitationem se sensisse aegrotus indicat. D. 5 m. Maji, quum jam pseudarthrosis adesset, Jers in clinicen venit. Fragmenta plane mobilia erant. Nunc ita fasciis amylaceis brachium instructum est, ut fragmenta prorsus immobilia essent et brachium immobiliter thoraci affixum esset. Quum d. 5. m. Junii vincula removerentur, fragmenta etiam plane mobilia erant. Nunc per aliquod tempus quotidie fricatio fragmentorum inter se facta est, ut dolor et inflammatio in ipsa pseudarthrosi oriretur; interea brachium ferulis et mitella sustentatum erat. Tum vesicantia in regione pseudarthrosis applicata sunt et per 14 dies quotidie tinct. Jodi ei loco illita est. Sed omnino nulla callum formandi inclinatio visa est. D. 26. m. Jun. vinculis ex laminis ferreis ita humerus instructus est, ut fragmenta ossis prorsus immobilia, motus autem in articulatione cubiti non impediti essent. Ita ex nosocomio dimissus et jussus est, brachio quam maxime uti. Sed d. 30. m. Octobr. pristino statu rediit. Nunc d. 2. m. Nov. fragmentis duabus incisionibus patefactis, methodo Dieffenbachii eorum terebratio facta et utrique conus eburneus adactus est. Tumor magnus et durus exstitit, quum initio, quo uberior inflammatio fieret, glacies non adhiberetur. Postea dolor vehemens coëgit, per breve tempus glaciem applicare. D. 8. m. Nov. tumore inflammatorio minuto, quum jam pus ex vulneribus efflueret, coni remoti sunt et ceratum simplex vulneribus adhibitum est. Bene se habebat

Digitized by Google

aegrotus, victus largus ei dabatur; vulnera optime sanata sunt, sed fragmenta plane mobilia restabant. Itaque d. 11. m. Dec. resectio superficierum utriusque fragmenti facta est et ipsa fragmenta filis platineis arcte juncta sunt. Extremitates fragmentorum in circuitu massa fibrosa conjunctae erant; ipsae superficies altera alteram terendo plane levigatae erant. Tumor solidus exstitit et suppuratio non nimia. D. 25. m. Dec. fila remota sunt et posthac ter quotidie gr. 10. calcar. phosphor. aegrotus sumsit. Mox callus solidus animadverti potuit et mobilitas pseudarthrosis imminuit, dum vulnera incisiva sanescebant. Sub finem hiemis fragmenta humeri callo osseo arcte conjuncta erant.

CASUS SECUNDUS: *Pseudarthrosis femoris diacta et calcaria phosphorica sanata.*

A. Suhr, 40 annos natus, homo robustus, d. 1. m. Sept. 1856 fracturam obliquam in inferiore parte femoris sinistri nactus est. In plano declivi primum collocatum est femur, postea vincula Hagedorni adhibita sunt. Interea parcum accepit victum et spirituosa omnia, etsi potator est, ab eo remota sunt. Post 15 hebdomades consolidatio etiam omnino decrat et d. 18. Dec. in clinicen venit. Fragmenta libere moveri potuerunt, calli autem non ossificati quantitas in regione pseudarthrosis aderat. Fasciae amylaceae, postea gypseae, applicatae sunt et ita immobilitas perfecta fragmentorum effecta est. Victus largus et quotidie aliquantum spiritus frumenti nunc aegroto dabantur, praeterea ter quotidie gr. 10 calcar. phosphor., et brevi temporis spatio fractura optime sanata est.

Dubitare potest, utrum hic casus pseudarthrosis nominandus esset, an potius retardatio modo in callo formando. Sed judicium de quaestione illa, quo tempore sanatio fracturae retardata pseudarthrosis esse incipiat, semper valde incertum est. Ratione modo fracturae anatomica dijudicari id potest; num tum pseudarthrosis incipit, quum ligamenta fibrosa inter fragmenta nascuntur, quibus ossificandi facultas deest; exploratione externa id autem omnino non cognosci potest. Quum deinde pseudarthrosis curatio tunc incipiat, quum fractura justo tempore sanata non est, ratione practica non injustum mihi videtur, pseudarthrosin tum ponere, quum, tempore quo fractura conditionibus normalibus sanari solet peracto, fractura nondum consolidari coepit, quin etiam omnino non ad sanationem inclinat, et perspicuum est, consolidationem nisi therapia mutata non futuram esse. Ergo licere mihi putavi, hanc quam modo descripsi fracturam, quae, etsi fracturae simplices femoris duobus mensibus consolidari solent, etiam post 4 fere menses nullam sanandi inclinationem praebebat, pseudarthrosin nominare.

Digitized by Google

Chirurgi omnes consentiunt, pseudarthrosin inter rarissimos fracturarum exitus esse. Unus Amesbury 90 pseudarthroses se observasse indicat. Plures magni chirurgi nunquam hunc exitum viderunt. Lonsdale ex 4000 fracturis 6 pseudarthroses ortas vidit, Walker ex 1000 fracturis 8 pseudarthroses, Peirson ex 367 fracturis unam. Norris ex 946 fracturis et Malgaigne ex omnibus quas curavit fracturis nullam pseudarthrosin ortam viderunt; 13, quas Norris et 11, quas Malgaigne vidit pseudarthroses non in eorum curatione antea fuerant. Hic in clinice chirurgica quaoriennia proximo 4 pseudarthroses in curationem venerunt; comparatio statistica autem inde fieri nequit, quum fracturae raro, pseudarthroses vero e territorio magno accedant. E fracturis in clinice curatis nulla restabat pseudarthrosis. Ex iis, quae modo dixi, jam effici potest, therapium summum valere ad pseudarthrosin proferendam, quin etiam contendo, pseudarthrosin semper therapia non justa effici, si raros illos casus excipis, ubi propter ipsius ossis morbum fractura sanari non potest. Quae a multis chirurgis causae pseudarthrosum memorantur, eas nonnisi dispositiones esse puto, quae, si therapia non justa adhibeatur, facilius pseudarthrosin efficiant. Hujus sententiae testimonium id quoque est, quod pseudarthroses secundum comparationes, quas Malgaigne fecit, creberrime apud viros inveniuntur et eos quidem, qui in ipso aetatis flore sunt. Norris inter 147 pseudarthroses modo 18, Malgaigne inter 11 modo unam apud mulieres invenit. Secundum comparationes a Malgaigne factas pleraeque pseudarthroses inter aetatis annum vicesimum et quadragesimum inveniebantur. Nostri quoque casus viros praebent hujus aetatis validos, nullo morbo affectos.

Momenta disponentia, quae etiam sine dubio aliquantum in formatione calli valent, non autem utique pseudarthrosin efficiunt, sed semper justae therapiae cedunt, haec a gravissimis auctoribus memorantur: Victus non sufficiens, inanitio, ademptio stimuli assueti, detractio sanguinis nimia, aër pestilens, aegritudo, masturbatio interdum fracturarum consolidationi obstant, quorum omnium momentorum perspicua exempla narrantur, ad quae casus noster secundus pertinet, sed alia quoque, quae indicant, consolidationem etiam conditionibus infaustis optime fieri posse. Semper autem therapia haec momenta respiciat, quum tolli possint. E dyscrasiis nonnisi de scorbuto et syphili exempla non dubia nota sunt, ubi sanationi fracturarum obstabant, attamen non semper. Idem valet de morbis febrilibus gravibus, typho, variola etc. inter quos interdum callus deerat, saepe etiam consolidatio celeris observabatur. Graviditatem fracturarum sanationi obstare opinio est antiqua, pro qua jam Fabricius Hildanus duos casus narrat et postea multi alios. Sed multa quoque exempla exstant, ubi inter graviditatem fracturae optime sanatae sunt; idem de lactatione valet. Praeter eas causas in conditione generali sitas hae causae locales accusatae sunt: Defectus nutritionis propter ligaturam in continuitate arteriae supra fracturam; Dupuytren unum casum observavit, ubi fractura non sanata est, dum B. Cooper et Delpech fracturas

Digitized by Google

eadem conditione sanatas viderunt. Paralysis membri, in quo os fractum est, interdum consolidationem impedit, attamen alii fracturas ossium extremitatum inferiorum sanatas viderunt, etiamsi paraplegia aderat. Nutritione insufficiente pseudarthrosin effici ceterum eo probatur, quod fracturae intracapsulares capitis femoris et humeri semper fere pseudarthrosin relinquunt. Huc momentum pertinet, quod Guéretin inprimis praedicat. Postquam Bérard invenerat, epiphysin ossis in ea parte, in quam arteria nutricia incurrat, prius cum diaphysi confundi, quam in altera parte, Guéretin contendit, pseudarthroses semper fere in ea ossis parte inveniri, in quam arteria cursum non dirigat. Arteria illa, quae in mediam partem ossium longorum extremitatum ingreditur, in humero et ossibus cruris cursum tenet a superiore parte in inferiorem, in femore et ossibus antibrachii ab inferiore parte in superiorem. Guéretin nunc inter 13 pseudarthroses humeri 9 in superiore, 4 in ejus inferiore parte, in inferiore parte antebrachii 7, in superiore unam, in inferiore parte femoris 5, in superiore 3, in superiore parte cruris 25, in inferiore 10 pseudarthroses invenit. Curling etiam semel fragmentum ab arteria non nutritum plane atrophicum vidit. Norris autem inter 40 pseudarthroses 27 in directione arteriae nutriciae invenit (American Journal Jan. 1842). Nostri casus duo sententiae illae a Guéretin prolatae propitii sunt, quae re vera, etiamsi Norris contrarias observationes fecit, jam ex causis theoreticis et propter analogiam non plane rejicienda videtur. Sed conditio pseudarthrosis absoluta non est, quod quotidie experientia docet. Deinde suppuratio, phlegmone, erysipelas interdum formationem calli impediunt, multo saepius autem fracturae cum vulnere purulento complicatae bene sanescunt. Corpora aliena non semper sanationi obstant, sed a callo saepe circumcluduntur. Morbi ossium interdum absolute sanationem ossis fracti impediunt; huc casus ille unicus a Dupuytren observatus pertinet, ubi echinococcis ea ossis usura facta erat, ut nihil quam lamella tenuissima extrema restaret; non minus nonnullae de carcinomate in ossibus fractis observationes. Ossis cariosi aut necrotici, si frangitur, sanatio interdum etiam fieri potest, si partes aegrotae removentur. Dupuytren observabat, fracturas obliquas tardius consolidari, quam transversas, quod, ut Malgaigne ait, certe e retentione difficiliore pendet. Si autem nunc Bérard contendit, omnes pseudarthroses e fracturis obliquis nasci, experientia hoc refutatur; etiam casus noster primus e fractura transversa ortus est. Interdum denique accidit, ut callus ossificatus morbis, typho, scorbuto, erysipelate retro emolliatur, cujus rei exempla Langenbeck, Dupuytren, Malgaigne observabant.

Supra dixi, pseudarthroses semper fere therapia fracturarum non justa effici; vario modo hoc fieri potest. Praecipue autem et plerumque causa in eo est, quod per temporis spatium ad consolidationem necessarium conjunctio fixa et immobilis fragmentorum nulla efficiatur. Itaque pseudarthroses fere nonnisi in ossibus longis extremitatum videmus, ubi retentio difficilis est. Pseudarthrosum mandibulae, claviculae, costarum singula modo exempla nota sunt. Malgaigne longius progredi mihi

Digitized by Google

videtur, quam dicat, pseudarthrosin semper existere, ubi contactus non perfectus fragmentorum adsit. Ossium quidem, quae, si frangantur, non plane coaptari possunt, fracturas semper fere sub forma pseudarthrosis sanatas videmus, ut patellae, olecrani, processus coronoidei ulnae, attamen exempla non dubia ab aliis auctoribus descripta invenio, ubi conjunctio ossea etiam inter ea fragmenta accidit, quae spatio disjuncta erant. Id vero puto, pseudarthrosin, si adsit, plerumque ex illa causa ortam esse. Norris inter 44 pseudarthroses 22 ex illa causa ortas invenit; etiam in casu primo nostro haec causa affuit. Eodem modo exercitium praematurum membri pseudarthrosin efficere potest. Deinde secundum observationes, quas Rognetta fecit (Gaz. médicale 1834) vincula praemature adhibita formationi calli obstare videntur; idem efficit, quod jam A. Paré observabat et experimenta cum animalibus facta probaverunt, strictura vinculorum nimis fortis, non autem, ut Malgaigne ait, nisi praemature vincula adhibentur, quia postea strictura sanationem adjuvat. Videtur quidem, pressuram inter primam reactivam inflammationem factam hanc inflammationem ad sanationem utilem exstinguere et resorptionem exsudati ad callum formandum necessarii excitare. Aliter vincula per nimium tempus continuata nocent, quod Cloquet praesertim praedicavit: pressura longinqua nutritio insufficiens, atonia et atrophia partium mollium in regione fracturae nascitur, quod formationem calli impedit; denique status inde nasci potest, quem Cloquet scorbutum localem vocat: epidermis solvitur, transsudata haemorrhagica in partibus mollibus videntur, denique gangraena accidere potest. Porro abusus topicorum fluidorum, fomentorum et irrigationum formationi calli obstare potest. Nivet inter 8 fracturas complicatas irrigationibus curatas duas modo tempore justo sanatas invenit.

Hic non locus est, accuratius examinare fracturarum therapiam, id autem memorare volo, ad pseudarthrosin prohibendam id summum valere mihi videri, ut vincula semper adhibeantur, quae dislocationi et motui fragmentorum quam maxime obstent, sed neque praemature nec diutius applicentur. Vinculum immobile permanens, primum a Scutin commendatum, saepissime praestantissimum erit.

Plures pseudarthrosium species praesertim a Norris descriptae sunt, quae omnes sub duabus formis supponi posse mihi videntur. Aut fragmenta massa fibrosa et ligamentis arctius aut laxius inter se juncta sunt, dum ipsae superficies fracturae aut coaptatae sunt aut dislocatio adesse potest; haec forma saepius invenitur; aut, ut in casu primo nostro, fragmenta in circuitu ligamentis fibrosis conjuncta sunt, dum superficies terendo laevigatae inter se contingunt; haec forma est, quae a nonnullis ut diarthrosis vera describitur. Haec varietas, quae autem nisi operatione facta difficiliter nosci potest, quod ad praxin nonnullius momenti esse mihi videtur, quum, quod ex analogia cum articulatione vera effici potest, multo difficilior sanatio, ergo ankylosis, in iis pseudarthrosibus futura sit, quae diarthrosi similes sunt; ad eas sanandas

Digitized by Google

plerumque resectione opus erit, quum mitioribus remediis resistant. Hujus sententiae exemplum gravissimum casus noster primus est.

In pseudarthrosum curatione natura, ut Malgaigne poëtice ait, viam nobis indicavit. Duos casus narrat, ubi lapsu in membrum, in quo pseudarthrosis erat, et erysipelate, quod forte accidit, pseudarthroses sanatae sunt. Nova ergo inflammatione opus est ad sanationem. In eo autem cum Malgaigne non consentio, quod dicit, nonnisi partium mollium, quae pseudarthrosin circumdent, inflammatione opus esse. Nam maxima quidem exsudati pars ab iis exhibetur, attamen ad callum osseum formandum certe etiam exsudatione aliqua ex periosteo et ipso osse opus est. Curandi rationes non solum, quod Malgaigne opinatur, partium mollium inflammationem spectant, sed omnes simul majorem hyperaemiam et inde activitatem auctam in ipso osse excitant, nonnullae etiam, ut fricatio fragmentorum inter se et eorum terebratio, recta via inflammationem ossis reactivam intendunt.

Saepe omnino nulla ipsius pseudarthrosis curatione opus est, sed sufficit, respicere causas, plerumque ergo therapiam fracturae, quae antecedebat, non justam. Ita si ademptio victus aut stimuli consueti adfuit, saepe sufficit, victum largiorem et potatoribus spirituosa dare, cujus rei exemplum perspicuum casus noster secundus est. Conditiones iniquae tollendae, dyscrasiae sanandae sunt.

Si, ut plerumque, mobilitas fragmentorum in vinculis laxioribus non justis fracturae non sanatae causa est, saepe diu etiam postquam fractura accidit vinculum astrictum immobilitatem absolutam efficiens consequenter continuatum ad pseudarthrosin sanandam sufficit, quod exemplis idoneis a Bonnet traditis probatur (Gaz. médicale Sept. 1839); in casu nostro primo frustra haec ratio adhibita est. Non solum immobilitate fragmentorum perfecta, sed etiam inflammationem excitando methodus ab Amesbury inventa proficit; hic vinculum astrictum adhibet et pressionem localem fortem in regione pseudarthrosis facit, ut dolor vehemens ibi exsistat; optimos inde eventus se vidisse profitetur. Ad pseudarthroses femoris sanandas, si fractura obliqua et dislocatio longitudinalis adest, extensio permanens, quae apparatu aequilibriali a Mojsisowicz invento et a Middeldorpf modificato vi paullatim augenda efficitur, remedium optimum est. Methodus illa praesertim a Paul commendatur; idem et Middeldorpf 8 pseudarthroses hoc modo sanaverunt. Apparatus ille effectum habet hunc, ut, dum repositio paullatim fit, qua ligamenta fibrosa rumpuntur aut extenduntur, simul inflammatio excitetur, qua sanatio perfecta adjuvatur. Quod ad therapiam internam, duo inprimis remedia a variis praedicantur. Primum mentionem facere volo remedii, quod quomodo et cur effectum in hac affectione habeat omnino ignari sumus, et in cujus gratiam nihil citari potest, nisi commendatio multorum summorum chirurgorum: hydrargyrum id est usque ad salivationem datum, praesertim a Fleury adhibitum et postea saepe optimo eventu. Facilius intellectu effectus alterius remedii videtur, quod nuper primum in usum venit, calcariae phos-

Digitized by Google

phoricae. Jam Rhazes et Avicenna in curatione pseudarthrosum lapidem quemdam, quem vulgus mumiam nominaret, commendaverunt, necnon Fabricius Hildanus lapidem bituminosum quemdam. Hos lapides calcariam phosphoricam continuisse sententia non plane refutanda est. Sed nuper demum praesertim a Benecke *(der phosphorsaure Kalk etc. Götting.* 1850) calcaria phosphorica valde commendatur. Nuperrime Milne Edwards experimentis cum animalibus factis probavit, fracturas breviore tempore sanescere, si calcaria phosphorica interne daretur. Paul, qui eam tribus pseudarthrosi laborantibus dedit, nullum quidem effectum vidit. Non dubito, celerem sanationem praesertim in casu nostro secundo ex aliqua parte calcariae phosphoricae ascribere, et eo magis eam commendo, quum ejus usu omnino nullum incommodum exsistat. Etiam operationibus ad pseudarthrosin sanandam factis semper adjuvans in usum venire potest.

Si rationes, quas adhuc memoravi, ad pseudarthrosin sanandam non sufficiunt, ad remedia recurrendum est, quae omnia, ut jam supra dixi, eo spectant, inflammationem recentem in partibus mollibus et ipsis fragmentis excitare et ita exsudatum ejusque mutationem in callum osseum producere. Primum irritamenta externa in cute applicanda sunt; Malgaigne maxime sinapismos commendat, alii vesicantia; optima est tinctura jodi, quam Buchanan primus adhibuit et postea multi saepe optimo eventu. Simul, ut fragmentorum quoque superficies irritentur, ratio quam Celsus jam descripsit (de medic. l. VIII c. X) haec adhibenda est: fragmentorum superficies vehementer inter se fricentur, usque dolor et tumor in pseudarthrosi exsistit, et saepius hoc iteretur. Guenther et Langenbeck distorsione fortique tensione et flexione id efficiatur volunt, ut massae fibrosae intermediae rumpantur, quae ratio tam energica est, ut sectio subcutanea forsan mitior esset. Ratio praesertim si pseudarthrosis in extremitate inferiore adest utilis haec est, fragmenta vinculis immobilia stringere et tunc aegrotum jubere, membro uti. Pondere corporis nunc, si homo ambulat, fragmenta continuo irritantur, quod interdum sanationem efficit. Etiam in humeri pseudarthosibus haec ratio nonnunquam bono eventu adhibita est, in casu primo nostro autem omnes hac methodi nihil efficiebant, ex ea, ut conjicio, causa, quam supra memoravi. Si res ita est, ad operationem fugiendum erit, quarum variae adhibentur.

Acupuncturam Malgaigne primus commendat, ipse autem frustra eam tentavit. Postea Wiesel bono eventu eam fecit. Paul ad diagnosin saepe ea utitur, quum omnino sine incommodo sit. Acus a Karlsbad per massam fibrosam intermediam variis directionibus transmittuntur, unde inflammatio utilis nascitur. Nonnulli etiam electropuncturam adhibuerunt. Setaceum primum a Winslow commendatum et a Physick adhibitum vario modo in usum venit. Alii per multos menses setaceum in pseudarthrosi continuum applicabant, alii per paucos modo dies. Alii fragmenta antea incisione aperiebant, alii non. Alii inter fragmenta setaceum transmittebant, Oppenheim autem juxta fragmenta setacea praetermittebat. Comparatione a Malgaigne facta

Digitized by Google

patet, optimos exitus apparuisse, si per 1—2 hebdomades setaceum applicaretur, eosdem autem incisione facta aut non facta. Norris setaceum valde commendat, comparationes autem ab Oppenheim factae non aeque huic operationi favent. In antibrachio et crure meliores exitus inde videntur, quam in humero et femore; sed in his pseudarthroses omnino difficilius sanantur. Ceterum methodus ab Oppenheim inventa optima esse videtur: duo setacea hinc illincque juxta fragmenta per partes molles transmittit, quae removet, postquam suppuratio coepit. Ipse bonum exitum inde vidit. Somné feliciter rationem adhibuit hanc: ab altera pseudarthrosis parte duas acus triquetras hinc illinc ita per partes molles juxta fragmenta praetermisit, ut utraque acus in altera parte per eandem aperturam appareret; tum per cannulas filum platineum transmisit et partes molles inter utrumque quo acus infixerat punctum persecuit; filum deinde quasi ligaturam paullatim strictius ita contorsit, ut ligamenta fibrosa intermedia scinderentur. Forsan quoque adhiberi posset ratio quantum novi nondum commendata haec, ut pro ligatura simplici apparatus galvanocausticus a Middeldorpf inventus adhiberetur; tunc uno tenore massae intermediae scinderentur et simul cauterisatio fieret. Cauterisatio enim vario modo nonnumquam bono eventu adhibita est, praesertim ita, ut quum alterum fragmentum resectum esset alterum butyro Antimonii aut kali caustico illineretur. Mayor plures pseudarthroses cauterisatione subcutanea sanavit: acus triquetras per pseudarthrosin transmittit, cannulas relinquit et in eas fila ferrea in aqua fervida calefacta immittit, quibus inflammatio idonea excitatur. Sectio subcutanea massae ligamentosae et superficierum fragmentorum rasura a Ch. Bell commendata sed adhuc modo infausto exitu facta est. Attamen haec methodus pluribus experimentis digna esse mihi videtur, quum propter analogiam optima de ea sperare liceat. Terebratio fragmentorum cum aut sine sequente conorum eburneorum adactione a Dieffenbach primo inventa et facta ipsius ossis inflammationem reactivam intendit, et jam gravior est. Quamquam in casu primo nostro haec operatio effectum nullum praebuit, tamen exitus ab aliis observati eam repetere hortantur. Dieffenbach a 5 pseudarthrosibus, in quibus hanc operationem fecit, 4 sanavit, Paul a 4 pseudarthrosibus 3 ita sanavit, Detmold et Brainard unam quisque pseudarthrosin hoc modo sanaverunt.

Ultimum refugium semper resectio erit, operatio gravis nec omnino periculi expers. Primum a White a. 1760 facta est, et postea a multis saepe optimo eventu. Hac operatione vulnus ossis plane recens efficitur et pseudarthrosis in fracturam recentem cum vulnere complicatam inde mutatur. Secundum comparationes a Malgaigne factas pseudarthrosum humeri dimidia fere pars hac operatione sanata est, pseudarthrosum femoris magis etiam parte dimidia, sed quartus quisque periit. In ceteris ossibus multo meliores erant exitus. Semper, si fieri potest, utrumque fragmentum resecetur; sola rasio aut cauterisatio superficierum fragmentorum periculum non imminuit nec tam certa est in effectu; modo si difficillimum est, utrumque fragmentum

Digitized by Google

resecare, alterum cauterizari potest, quum id saepe sufficiat. Quum coaptatio perfecta fragmentorum maximi momenti sit ad sanationem efficiendam, ligatura alliganda sunt fragmenta, quod Rodgers primus commendavit, ita ut fragmentum utrumque terebretur et filo platineo illa inter se jungantur. Casum primum nostrum hoc modo plane sanatum videmus.

Nisi hae omnes rationes aliquid efficiunt, vinculis, quae fragmenta quam maxime immobilia faciunt, usus membri quam optime fieri potest aegroto restituendus est; aetas erat auxiliis destituta, qua membri amputatio facta est propter pseudarthrosin.

Digitized by Google

THESES.

1. Opium et corporis usque ad defatigationem exercitia optima ad delirium potatorum sanandum remedia sunt.

2. Nihil nisi cordis pulsatio auscultatione percepta foetus vivi certum indicium.

3. Carcinoma mammae plerumque exstirpationem indicat.

4. Herniarum inguinalium operatio radicalis est refutanda.

Digitized by Google

1857. VII.
MEDIC. III.

DE

FEBRE SIC DICTA MARCHICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

AEMILIUS STORM

HUSUMENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVII.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *W. F. G. Behn*,
h. t. Decanus.

Digitized by Google

Ad finem provinciae Eiderstadensis septentrionalem, ubi regio inchoat editior, quae dicitur vernacula Geest, haud procul a marchiis ad septentriones vergentibus, in ora patriae nostrae occidentem spectanti, nato mihi fieri non potuit, quin nomen febris Marchiae, inde a prima infantia memoria servatum, ante oculos saepe tulerit morbi tamquam imaginem longe diffusi et metuendi. Cujus morbi casus quamquam in patriae universitatis Kiliensis institutis clinicis rari tantum curantur, quum tamen occasio febris illius memoriam revocandi non deesset, consilium in animo est adamatum, tractando hanc rem summum doctoris honorem adipiscendi.

Nova afferre nolui, sed dare volui febris descriptionem quam maxime probabilem et quatenus fieri potuit expositionem statisticam, quomodo in marchiis patriis maximeque Eiderstadiensibus illud genus febriculosum apparuerit. Quod conanti mihi difficultates devincendas ne dicas parvas, positae sunt primum in hoc, quod casuum observandorum nulla mihi ipsi oblata est umquam occasio inque primis, quod numquam vidi epidemiam proprie sic dictam; deinde, quod quidem minoris est momenti, ex hoc, quod satis magnus eorum numerus deest, quae sectione inventa sunt, quoniam, ut postea videbimus, perpauci homines hac ipsa febri affecti mortem obeunt.

Itaque ea, quae sequuntur, e medicorum in Marchia optimorum relatis quum hauserim, literas ad hanc rem pertinentes diligenti judicio magna cura subjeci, adjeci autem pauca tantum a me ipso observata.

Tractandi hic erit progressus, ut enumeratis literis primariis, primum morbum describam, deinde aetiologiam, qualis observanda mihi videtur, instituam, denique ut, adumbrata morbi quasi imagine, in uno ex omnibus, quae nunc probantur, nosologiae systemate ei locum suum tribuere operam dem.

Literae ad febrem, quae dicitur, Marchiae pertinentes in Slesvigia Holsatiaque ducatibus observatam, sicut ad epidemiam febriculosam aestate anni 1826 grassatam:

Irenaeus Vehr, De febre continua epidemica Marchiam Ao. 1641 infestante.

Christopherus Tinctorius, De febre continua Ao. 1640.

Digitized by Google

Fried. Hoffmann, De febre maligna Marchiae epidemia 1699.

Hannaeus, De febribus Eiderostadenses corripientibus epidemicis. Dissertatio inauguralis. Hafniae 1735.

P. C. Lüders, Kirchenprobst, Abhandlung von der Marschkrankheit, die unter dem Namen Stoppelfieber bekannt ist. Flensburg 1761.

Dohrn, Dr., *Physikus in Heide, Küstenepidemie von* 1826, *insbesondere in Norderditmarschen. Altona* 1827.

Dohrn, Physikus in Heide, Altonaer Mercur von 1826, *No.* 168.

Friedlieb, Dr., Physikus in Husum, Bericht über die re- und intermittirenden Krankheiten und Marschfieber im Husumer Physikatsdistrict, besonders im Jahre 1826, 27, 28, 29.

Dr. Hachmann, Die Epidemie in Ritzebüttel, im Hamburger Gebiet 1826.

Dr. Wendt, Kritisk Resultat angaaende en i Aaret 1826 *herskende Epidemie. Kiöbenhavn* 1831.

Mansa, Ueber die Kaltfieberepidemie auf Langeland 1826.

De febre Marschiae, quae dicitur.

(Nomina eidem morbo apposita lingua vernacula sunt: *Aehrenseuche, Stoppelseuche.*)

In febris genere, quod titulus perhibet, stadium prodromorum si apparet, incommodis gastricis diu manentibus atque levibus constat, nec non universa lassitudine, ut hominem pigeat omnis operae antecedentis. Usitatum est, quod febris primum apparet

I. ex stadio remittentis.

Comprehenditur homo subito, tempore, ut solet, meridiano, frigore jactanti, succedente ardore atque sudore. Accedunt dolores vehementes et contrahentes in regione epigastrica, ructus, abdominis tympanitis, flatulentia. In plerisque casibus simul aeger de pressione ipsisque doloribus magnis in regione biliosa queritur; regiones et epigastrica et biliosa pressione irritantur et abdomen eflatum quidem est nec tamen dolorosum. Febris naturam induit remittentem; pulsus plenus et moderatus est et raris casibus apprime frequens. Deinde celerrime accedunt cetera omnia gastritidis indicia acutae. Crescit circa praecordia angor, sequitur nausea et brevi post vomitus. Lingua crasse et late contegitur, sitis adest plerumque vehemens, cutis tactu est calidissima, facies et oculi sanguine abundantes turgescunt. Primum ciborum, quod reliquum est vomitu ejicitur, deinde ejectum magis magisque fit subviride, biliosum, amarum.

Morbus rarioribus casibus in hac gastritidis acutae similitudine sola acquiescit, sed compluribus alia accedunt indicia, quae morbum ad gastroenteritidis similitudinem magis commutant. Sequuntur enim alvi dejectiones vehementes atque turbidae, interdum etiam quasi prosilientes, quales usitatae sunt in proctitide. Quae faecium ejectiones

Digitized by Google

conjunctae plerumque sunt cum tenesmo, nec raro observantur abdomen tumidum et flatulentia, colica fere absente. Gastroenteritidis haec signa quum adsint, aegrotus de capite compresso et cephalgia vehementi queritur. Procedente morbo turbulentissime, sensuum errores, hallucinationes, deliria eaque furibunda saepe observantur. Corporis temperatura universa valde aucta atque elatior; lingua in siccitatem prona, sitis vehemens. Urina excreta pauca aut normali est specie, aut mediocriter excitata, mixta non raro cum acidi urinosi sedimento. Sin indicia tempore manent longiore, aeger saepe fit soporus, vel etiam comatosus. Cutis fit frigidior et sudore glutinoso contegitur. Ipse pulsus minutior minus sibi constat, nec volente aegro faeces urinaque ejiciuntur. Si sui adhuc compos erit aegrotus, de surarum tetano interdum queritur. — Negari non potest magnam huic conditioni similitudinem inesse cum cholera nostrati. Multa tamen priori absunt indicia, posteriori quae propria videntur atque singularia.

Inei imperiti ipsique medici parum experientes non raro timent, morbo tam tumultuose procedente, ne mors intret celerrima, quum medicus quisque magno usu praeditus, non nesciat, curandi quidem experimenta in hoc morbi stadio parum esse utilia, mortem tamen rarissime intrare. Medicus ad auxilium accitus aegrotum plerumque invenit hac gastroenteritidis acutae ratione affectum. Horas nonnullas post omnium indiciorum remissio quaedam saepe sequitur, die autem sequente tempore, ut solet, fere eodem, quam quo morbus primum institit, altera omnium signorum exacerbatio observatur. Multis casibus ab initio ratio tertiana manifesta insita est, ut diebus imparibus omnia indicia multo graviora appareant. Quod morbi stadium tres plerumque hebdomades, at interdum aut longius aut brevius susistit. Tempore procedente omnia indicia imminuuntur, ut primis saepe diebus videantur vehementissima. Si convenientem aegrotus se habuerit, in hujus stadii fine omnia indicia acuta amissa erunt. Febris tum est minuta obtecta, appetitus deest fere omnis crebrarumque dejectionum intestinalium loco obstructio apparet. Aeger se fessum et demissum sentit, sui tamen omnino compos conscientiaque est nullo modo perturbata. Cutis calore est pallido, saepe lurido vel cadaveroso. Inde ab hoc tempore magis magisque manifestior explicatur febris natura et instituitur stadium consequens. Jam nunc lienis crescens semper magnitudo animadverti potest. Contra si neglectum se habuerit aegrotus, illud stadium in longum tempus producitur, nulla febris forma manifesto apparente.

De hujus stadii complicationibus.

Signa cerebri, quibuscum stadium saepissime complicatur, ab initio saepe apparent, quum nos cohibeant, quominus veram morbi quasi imaginem intelligamus. Itaque non solum ansam dant, ut febrem cum typho confundamus, sed difficile etiam reddant, imprimis apud infantes a morbis cerebralibus febrem recte distinguere. Hujusmodi complicatio tam est frequens, ut in superiore cum ceteris morbi indiciis a me descripta sit. Cujus causam, si inquiries ratione pathologico-anatomica, raro

Digitized by Google

positam esse in meningitide et exsudatione inde proficiscenti, sed plerisque in casibus in nimia cerebri hyperaemia inesse inveniens. In qua tamen, maxime si arteriarum morbus simul adest, mors subita eaque apoplectica ingruere facile potest.

Pneumoniae etiam cum stadio febris supra descripto complicatio frebris est, ibi praecipue, ubi tubercula adsunt, quibus ad ineundam complicationem inclinatio quaedam primum insita est.

Inflammationem membranarum serosarum, pleurae, pericardii, peritonaei, quamvis ceteroquin rariores appareant, passim observantur perinde atque in endocarditide, si conveniet ratio quaedam epidemica idonea. Conclusio igitur ex analogia facta est, qua indicia cerebralia rara tantum ex membranarum serosarum inflammatione oriri in superiore professus sum.

Cum *rheumatismo* febris complicata rarius etiam observatur, et rarissime cum rheumatismo articulari; utriusque tamen rheumatismi forma interdum reperitur. Ceterum omnes fere morbi complicationes ineunt. Crebriores autem erysipelas et parotitis inire videntur.

II. De intermittentis stadio.

Stadio intrante aegroto adsunt omnia indicia, quibus intermittens in longus tempus producta apparere alias solet, concoquendi facultas imbecillima, appetitus absens, taedium et imbecillitatis sensus ceteraque alia. Cutis colore saepe est lucido, cadaveroso, livido, sicca, squammulis secedentibus. Abdomen saepe afflatum est, lien magnitudine crescere animadvertitur vel saepe tumorem exhibet magnam. Hepar etiam majus invenitur. Primo tempore febris forma intermittentis manifesta distingui non potest, quum crebro forma mutetur, post autem praecedentibus tribus vel quatuor paroxysmis minus claris, si fauste eveniet, forma constituta erit. Sin male se gesserit aeger aut mala erit constitutione, certa febris forma interdum nulla omnino apparebit.

Forma febricula creberrime observatur tertiana, modo pura, modo duplicata, modo duplex. Hannaei haec sunt verba: „quantum hactenus observavi, febres referri possunt, vel ad tertianas, modo continuas, modo duplices, modo duplicatas, modo anomalas.“ Rarius observatur intermittens quartana, numquam fere quotidiana. Forma febricula anteponens sive postponens creberrima est. Itaque in hoc stadio saepissime invenitur febris intermittens tertiana anteponens sive postponens. Si febris forma manifesta exculta erit, temporis momentum ad adhibendi curandi rationem idoneum aderit et plerumque tum continget, ut remediis febrifugis lege artis adhibitis ipse morbus depellatur. Sin autem aegrotus male se geret sive tenui erit constitutione, certa febris forma multis casibus aberit, iisque quidem difficilibus, qui curari et prognosi distingui possint. Tum enim omnia apparent indicia, quae morbos sanguineos interque hos imprimis intermittentem consequi novimus. Quae in posteriore afferentur, ubi de morbis febrem consequentibus sermo erit. Jam vero morbo curatione prosperrima depulso, interdum tamen mali morbi consequuntur; certum saltem

Digitized by Google

est, infirmitatis sensum animumque depressum longiore tempore restare, partes, per quas concoquitur, diu esse hebetatas hominemque in universum ad aegrotandum esse pronum. Qui quidem facillime febri recidiva afficitur, de qua postea sermo erit, ubi de ceteris morbis consequentibus dicemus.

De morbis febrem consequentibus.

Febris recidiva quum morbus iteratus tantum sit, non oportet amplius tractetur. Memorandum tamen est, in recidiva stadium remittentis brevius plerumque esse nec aeque; ac in primo morbo, tumultuosum procedere, recidivam autem propter constitutionem praecedenti jam morbo turbatam, quum et processus minime sibi constet, difficiliorem semper esse, quae sublevetur. Deinde *tumores lienis* semper fere febrem consequuntur, unde fit, ut et in nutriendum et maxime in sanguinem comparandam membrum morbosum mutuam vim suam referat. Quod quae sequuntur, apparent in succis viribusque corruptis, saepe in morbo hydropico, nec raro mors, praecedentibus hujusmodi signis, intrat. — *Morbus Brighti* saepe hydropi suppositus esse videtur, per se tamen febrem raro consequitur. — *Hepatis affectiones morbosae*, febrem non raro consequentes, ex magnitudine hepatis, modo magis modo minus aucta apparere constat. Telarum mutatio constare censetur tum in eo, quod vernacula dicimus lingua „*speckige Entartung*," tum in mutatione quadam ad id, quod dicimus „*fetthaltige Muskatnussleber*." Quas degenerandi formas vel semper consequetur universa cachexia, creberrime autem hydrops, cujus origo posita plerumque erit in ascite. — *Tuberculosis.* Maximo periculo febris genus, de quo dicimus, iis hominibus esse solet, qui ad phthisin naturam tamquam hereditate pronam habent, aut qui ea jam affecti sunt. Tuberculosis ex febri orta crescit plerumque vehementissima, quod quidem ex febris vi in nutriendum male valenti explicari debere verisimillimum videtur. Sed phthisis interdum infestat homines adhuc sanos, nulla causa tamquam hereditaria ad eam inclinantes. — Ceteri morbi, qui consequuntur, plurimi ex singula quaque praecedentis febris complicatione profiscuntur, exempli gratia cordis vitia. Qui quum parum sibi constent, inter ipsos morbos consecutos numerari vix possunt.

Quae instituta sectione observata sint.

Quum aegros febri Marchiae, quae dicitur, affectos raros tantum, eosque ne ipsa quidem febri, sed aliis morbis caecum complicatis, vel fortuito accedentibus tentatos, mortem obire in superiore dixerim: sectionum institutarum numerum parvum, eaque quae institutis illis in lucem prolata sint, pauca tantum esse necesse est. Operam equidem dedi, res quam plurimas e diversis epidemiis a medicis compluribus, instituta sectione, disquisitione pathologico-anatomica collectas inter se comparare. Quae, quamvis numero paucae, probant tamen, id quod sectione maximum repertum

Digitized by Google

sit, cum illo omnino convenire, quod intermittentem malignam sequi soleat, ita ut ratione etiam anatomica febrem marchiae eandem esse atque febrem intermittentem constet. In quo quamquam confiteri debeo, me propriis oculis nullam post febrem illam mortui sectionem inspexisse, contendo tamen, talia in ea numquam observari, qualia febrem cum typho eundem esse morbum testentur. Itaque quae de sectionibus anno 1847 institutis tradidit Löfflerus, chirurgus militum, quum fere in omnibus tumores intestinales typhosi apparuerint, ita impugnare velim, ut eos, qui secti sint, non febri illa, sed typho mortuos esse contendam. Quod eo magis velim, quum medicis Eiderstadensibus aestate ejusdem typhi certe casus, nec tamen febris illius curandos fuisse audiam.

Ea, quae sectione apud eos in stadio remittentis, qui mortui erant, inventa sunt, omissa complicatione, quam cujusque fere mortis veram causam fuisse demonstrari potest, haec fere erant: in *cavo cerebri* meningae et sinus, cerebrum ejusque vasa sanguine abundantia, ventriculi cerebri plerumque liquore seroso pleni, in *cavo abdominis* lien et hepar magnitudine magis minus normali, sed mollia et sanguine copiosa, ductus choledochi saepe obturati. Stomachus cum cetero tractu intestinali diversa inter se ratione inflammati inveniebantur. Glandulae tractus intestinalis in singulis quidem casibus tumidae erant; nec tamen ulcera intestinalia locum obtinuisse traditum est. Renes tum hyperaemiam, tum primum stadium morbi Brighti exhibebant, tum erant — idque saepissime — conditione normali. In *cavo thoracis* organa plerumque erant sana, aut, prout complicatio singula semper aderat, affecta.

Quae sectione apud eos inventa sunt, qui in stadio intermittentis mortui erant, adeo cum iis, quae intermittenti vulgo reperiuntur, convenerunt, ut sat esset haec ipsa memorare.

Prognosis.

Prognosis in singulis casibus diversissima est. Fausta institui potest, si homines alioquin sani aetate sunt media, contra gradatim infaustior erit, prout conditiones erunt minus convenientes. Morbum semper pendere a nutriendi turbatione vehementi, in longum tempus producta, in superiore verbo jam attigi. — Recidivae igitur prognosis propterea erit minus prospera, quod nutriendi turbationibus corpus diutius, propter morbum praecedentem, expositum fuerit, in quo causa etiam est, cur et morbus difficilior sit, qui sanetur, et crebriores morbi consequantur. Casus in tempus prorogati eorumque hominum morbi, qui infirma tantum sunt constitutione, duplici ratione infausti sunt. Altera quum non raro accedat, ut nulla febris forma manifesta appareat itaque temporis momentum certe observare vix possis, quo sanandi ratione optime inchoes, quo fit ut morbi sublevandi finem difficile assequaris; altera quum ad eundas recidivas tum inclinatio saepe sit magna morborumque numerus consecutorum non parvus. Complicationum perinde atque morborum consequentium prognosis pro genere diverso diversa erit. Itaque in universum febri marchiae in rerum conditionibus

Digitized by Google

faustis prognosin etiam prosperam institui posse contendo, quum; si contrariae res erunt, praevideri non possit, quae futura sit vis ejus damnosa.

Therapia.

Prophylaxis eo constat, quod epidemiis grassantibus homines nondum affectos marchia amovendos curatur. Quod quidem semper fieri non potest; ubi tamen poterit, hominibus imbecillis ad tuberculosin inclinantibus, id maxime suadendum est.

Curatio, in utroque febris stadio diversa, a medicis marchiam habitantibus ratione fere semper eadem adhibetur.

In stadio remittentis — idque maxime in casibus non praeter usum procedentibus — gerendi ratio ad regulam quandam exaequanda tantum est. Cures enim aegrotos in cubiculo bene temperato, sicco, aëri pervio cubandos, lecto tranquille tenendos. Cibos proponas leves, ad solvendam alvum non idoneos, jura imprimis pomaria parva multitudine. Medicina non opus est, praebere tamen potest solutiones natri bicarbonici, saturationes, pulveres acrophoros, aquam Selters. Alia sicut emetica, purgantia, apta tantum afferuntur in stadii prodromo, rarius observato; morbus postquam ingruit, male illa feruntur. — Alvum obstructam auferet ol. ric. cochlear. Vomitus si minus est, a plurimis medicis proponuntur potiones, quae vernacula dicuntur „*kohlensäurehaltige*," aut tincturae antispasmodicae, quarum sunt: tinctura Valer. aeth., liq. c. c. succ., liq. Ammon. anisati et cetera. Alii glaciem adhibitam, sive pilulas, quae dicuntur „*Eispillen*," magnae utilitati esse profitentur. Alii hyperemesin sublevare conantur remediis derivatoriis, regioni abdominali applicatis, cucurbitis. Diarrhoeae nimiae difficiliores etiam sunt, quae curentur. Opium abhibendum non esse omnes fere medici inter se conveniunt, quippe quod cerebri congestiones, jam quae adsint, augeat.

Plerique medici liquores acriores applicando, aut sinapismos abdomini infricando prodesse student. Adhibentur etiam clysteres amyli et opii. Diarrhoeas impugnare medicamentis internis jam propterea difficile est, quoniam simul adesse solet vomitus vehemens, quo medicina statim ejicitur. Febri dominante vehementissima simulque si magna cerebri symptomatum ratio aderit, utile erit, cerebri hyperaemiam eo impugnare, quod cataplasmata frigida, sacculi glacie impleti adhibentur hirudinesque regione temperali applicantur. Exitus lethalis si complicatione aliqua impendet, remediis singulo cuique casui convenientibus agendum erit. Cunctis casibus unum remedium, sive castoreum, sive mochum, sufficere cum medicis nonnullis marchiam habitantibus vix consentiam.

Stadium intermittentes. Ipsa curatio medica in hoc febris genere tum demum inchoat, si febris forma manifesta exstare coepit, vel ut rectius dicam, manifesta constituta erit. Quum indicia tumultuosa et gastrica fere omnia amissa sint, perturbationes tamen tractus intestinalis saepe adhuc adsint, remediis, remediis febrifugis

Digitized by Google

praemissis, concoquendi facultatem meliorem reddere medici solent. Quem ad finem praebetur natrum bicarbonicum, chlorammonium, remedia amara ceteraque pauca. Nec tamen licet ipsum febrifugum nimis cunctari, quod quidem semper fere bene feretur. Febrifugum plerumque est chininum; alia febrifuga quae secuta sint nescio. In praebendo chinino rationem medici sequunter in intermittenti usitatam, at utile est, febrifugum ratione prophylactione diebus usitatis reiterare. Quomodo semper fere ad morbum tollendum satis valet. Quo sublato, curatio subsequens accurate adhiberi debet, et quae ad cibos, sanescenti praebendos, et quae ad totam gerendi rationem pertinet, quum alioquin non solum tardior sit convalescendi progressus, sed etiam recidivae aliique morbi instent. Difficile esse potest, adhibendi febrifugi momentum recte judicare, si vehementer febris aut anteponit aut postponit. Febri magis procedente, quum certa plerumque forma appareat, utilius esse dicitur, febrifugi usum in aliud tempus differre. Casibus nimis productis aegrisque malae constitutionis chininum adhibitum non sufficit. Saepe chinino cum opio aut cum remediis amaris conjuncto id saepe assequeris, quod solo chinino non potueris assequi. In aliis etiam casibus, imprimis postquam chininum ratione convenienti jam adhibitum est, febris eo vincitur, quod chinini usus in tempus differtur satis posterius, aut quod, si antea portiones datae sunt majores, tum portiones praebentur minores et sic ex contrario. Ultimum refugium, perinde atque in febri intermittenti tenaci in eo inest, quod aegrotus in aliam terrae regionem, eamque quidem editiorem, quae *Geest* dicitur, a marchia quam maxime remotam, transfertur.

Recidiva simili ratione, qua morbus praecedens, curanda est. Morborum curatio consecutorum alia non est, quam quae universa lege therapeutica ad eos pertinenti, praescripta est.

Brevia quaedam de epidemia longius atque vehementius grassata nec non de ratione, quae inter febrem Marchiae, quae dicitur, intercedat et febres in regione aequinoctiali grassatas.

Descriptione mea superiore genus febriculosum post Marchiam ditum ita exegi, quale et in plerisque epidemiis minus gravibus et maxime in provincia Eiderstadensi inde ab anno 1826 observatum sit.

At animo conspiciemus morbi quasi imaginem multa ratione aliam, si ea audierimus, quae de epidemiis gravissimis, quae grassatae sunt anno 1614, deinde an. 1640, mox an. 1699, tum an. 1734, postea an. 1791, denique an 1826 observata et literis tradita sunt.

At epidemiae indiciis et processu inter se ita differunt, ut de singula epidemia in omnem partem satis hoc loco non possit tractari. Epidemia anno grassata 1826, ea quidem optime descripta, haec fere fuisse nobis videtur. Exstitit per temporis

Digitized by Google

spatium inde ab ultima mense Junia usque ab mediam mensem Decembrem. Morbi precessus, quam maxime diversus, saepissime hic erat: Aegri vehementi et animi et corporis depressione affiiebantur. Qua postquam diutius aut brevius occupati sunt, in ipsum morbum inciderunt, ingruente vehementi febri remittente, illi non dissimili, quam in superiore descripsimus. Signa gastrica plerumque non erant tam gravia, et insignis febris remissio vulgo observabatur. Exacerbationes non semper vesperi, sed aliis quopue dici temporibus apparebant, conjunctis fere sempor vomitu, angore, frigore, qui quidem cum ardore mutabatur, nec raro erat vehementissimus. »Praeterea morbo procedenti ratio, quae dicitur, tertiana aderat, ut febris incidiaque consecuta diebus imparibus graviora essent, quam paribus. Dies plerumque quatuordecim postquam processit, morbus transire solebat in stadium quoddam, ut verbo dicam, typhoide, cujus post exitum quum apparuissent omnia typhia signa, aut valetudo denique restituta est, aut mors intravit. Nec tamen morbum fuisse aut ipsum typhum, aut stadium typhoide tale, quale in cholera morbo observari potest, satis testantur de corporum sectione inde ex illo tempore literis tradita, maxime memoranda illa Frickii de epidemia Groningiana, illaque Hachmannii de epidemia Ritzebüttelam infestante, praefecturam Hamburgensem.

Quamquam haec quoque epidemia tam diversum morbi processum singulis casibus exhibuit, ut indicia fere omnia, quae in febribus apparent intermittentibus, observarentur.

Tanta indiciorum varietas, regnante epidemia graviore, memoriam nobis affert illorum, quae de febribus in regione aequinoctiali grassatis Senac (l. c. p. 158 sqq.) descripsit, qui quidem ex una epidemia variissima perhibet signa observata, utpote, quae alias colligas necesse est ex omnibus, quae de febribus, aestuosas terrae regiones infestantibus, passim observata sunt. In universum genus febriculosum in Marchia, qualis est ejus natura in epidemiis vehementissimis, febri simillimum est in regione grassatae aequinoctiali.

Quum longum esset, singulam quamque epidemiam febriculosam, quae Marchiam infestaverit, hoc loco describere, in superiore eae tantum literae allatae sunt ad rem pertinentes, quas propriis oculis inspexi. Librorum illorum, quibus febres in terris grassatae peregrinis, maxime in regionibus, a circulo aequinoctiali proximis, describuntur, hi in manum mihi venerunt:

Fricke, Bericht über seine Reise nach Holland 1826.

Fricke, zweiter Bericht über die Epidemie in Gröningen 1827.

Ludwig Hermann, über die Wechselfieber in Algier. Frankfurt a. M. 1836.

A. Hespel, maladies de l'Algérie 1836. 51.

F. C. Maillot, recherches sur fièvres interm. du Nord de l'Afrique 1835.

Rob. Jackson, Fieber in Jamaica 1796.

John Hunter, Truppenkrankheit in Jamaica 1792.

Digitized by Google

W. Arnold, a pract. treat. on the Bilious Remittent Fever. London 1840.
John Clark, Beobachtungen über die Krankheiten in den heissen Gegenden. London 1792.

Comparatis iis, quae de febribus scripta sunt in regione aequinoctiali grassatis, cum iis, quae de nostris febribus intermittentibus relata sunt, si exploravimus ea, quae inde sequuntur, maxima videbitur harum febrium signorum inter se similitudo. Neque enim solum conditiones soli ceteraque momenta aetiologica inter se simillima sunt, — nam loci palustres et aestates usitatis calidiores, praecedentibus inundationibus ad utrum febrium genus producendum plurimi valent — sed etiam in universo signorum apparentium ordine mirum quae sit aequabilitas. Quamquam hepar illis febribus in regione aequinoctiali maxime affici vulgo putatur, dum apud nos membra respirabilia febri affecta magis inveniuntur: hoc tamen discrimen inter illas febres et has, quae marchiam infestant, earumque epidemias vehemensissimas fere nullum est. Nam natura biliosa febris in marchia grassantis quum in universum animadvertitur, tum magis etiam in epidemiis vehementissimis praevalet. Quamvis hepatitis acuta, hepatisque abscessus in hoc genere febriculoso non observati sunt, continuus tamen in regione hypogastrica dextra color, icterus non rarus, tumor hepatis, qui observabatur saepe post morbum sequens, sicut aliae circulationis hepaticae turbae manifestissime ostendunt, hepar quoque hoc genere febriculoso vehementer affici. Alteram etiam similitudinem quandam cum illis febribus in regione aequinoctiali febris, quae marchiam incadit, communem habet. Nam ratio, qua magnae epidemiae terram invadunt, tam diversa atque varia esse solet, ut anno 1826 multi auctores, inter quos Friedliebius Husumensis, Dohrnius Heidensis, judicio vacillaverint, essetne febris, an typhus, an alius morbus adhuc qui nondum adfuerit, an potius genus morbosum utroque illorum mixtum. At virorum doctorum Louis, Hübbe, Reye de epidemia aestiva anni 1826 haec est sententia callida: febrin Marchiam invadentem, si nomine comprehendi debet genus perhibenti, nec esse febrin biliosam, nec febrin mucosam, nec typhum, quum morbi indicia, quae his nominibus amplecti soleamus, apud omnes aegros in universum nequaquam apparuerint, sed a singuli cujusque aegroti natura et vi magis pependerint, quam in ipso morbo posita visa sint.

Iidem viri, quum epidemiam in Germania septentrionali grassatam comparare conati sint cum illa in Hollandia grassata, probatum instituerunt, utramque uno genere comprehendi, temperatam quidem singulam esse effectibus endemicis, omnemque epidemiam momentis epidemicis auctam atque graviorem factam, ut verbo dicatur, intermittentem.

Generis febriculosi Marchiae, quod dicitur, aetiologia et genesis.

Probatum est, morbum singulis casibus sparsisque numquam apparere, quocum omnes, quos ipse adii, medici convenerunt. Quaerenti mihi medicus in Eiderstadia celeberrimus: pro certo habeo — inquit — si hodie primus morbi casus mihi curandus

Digitized by Google

erit, curandi copiam proximis diebus post utraque manu me occupatissimum habituram esse. Morbus vehementer ingruere vulgo coepit epidemicus annis 1614, 1640, 1699. 1734, 1791, inque primis an. 1826; evenit mitior ceteris annis, quum vel multorum annorum intervallis Marchiam omnino non infestaverit; sic nunc deest Eiderstadiae morbus inde ab anno 1847. Ex eo intelligas, quanta vi morbus provehat, quod Friedlieb physicus anni 1826 mense Augusta nullam in Eiderstadia domum fere fuisse dixit, quin homines febri affectos in se haberet, immo domum felicem praedicari debuisse eam, qui vel unum haberet hominem febri liberum. Hominum 5367 Ritzebütteliam praefecturam habitantium anni 1826 aestate autumnoque febri afficiebantur tribus millibus ducentis triginta sex non pauciores.

Causas explorare, ex quibus epidemiae omnis impetus semper pependerit, imprimis certe judicare, quatenus terrarum conditiones ad epidemiam pertineant, perdifficile est. Si alteram in partem negare nequimus, solum Marchiae lutosum ad proferendam febrem multum conferre, quum regionibus mari quidem adjectis, sed editioribus, morbus nunquam appareat, in alteram partem in hoc posita omnis causa esse non potest, quoniam complurium annorum intervallis genus illud febriculosum abfuisse videmus.

Causas quum investigarim, quae essent ex quibus maxime febris penderet, quamvis dubium illud miasma, quod dicitur, invitus in memoriam redegerim, non potui tamen, quin in hoc omnem causam posuerim. Etsi enim de miasmate sententias illas tamquam puriles, quarum auctores ante hos triginta annos vixerunt, Friedlieb aliique medici aequales, non sine risu nos despicere solemus: despiciendo tamen nulla explicandi ratio alia oblata est, quare quum miasma, idque palustre vel lutosum, hoc loco sine ulla dubitatione instituam morbi causam, id intelligo tale, a quali proximus pendeat morbus, — verbum tantum pro re, quae accuratius definiri nequit. Itaque quum causas afferam, quae miasma producere possunt, eas simul intelligo epidemiam quoque producentes.

Harum causarum genus, quod dicitur praedisponentium a genere, occasione certisque conditionibus ad epidemiam invitandam allato distingui potest. Illud genus causarum praedisponentium, vel ut verbo utar graeco, endemiarum, intelligo ex terrae situ et soli conditione, sicut ex habitantium moribus oriri. De quo breviter afferam haec:

A. De causis praedisponentibus.

Accurata locorum in Marchia sitorum descriptio non pertinet ad rem, hoc tamen huic loco apte inserendum videtur.

Post ingentem eruptionem, qua ex interioribus terrae continentis partibus in mare aquae ante haec millia annorum prorupisse putantur, quum ad finem haec terrarum turba venisset, naturali factum est necessitate, instante iterum tranquillitate, ut partes non solum ex terra continenti orae patriae nostrae, in occidentem vergentis,

Digitized by Google

abruptae, sed etiam fluminibus secum ductae iterum quiescerent. In his propter pondus saxa partim ad maris, partim ad fluminum fundum primum abscesserunt. Quibus tardius sabulo resedens, fluctibus marinis ad ripar, integras relictas, depositus, fundum formavit marchiae. Terrae partes subtiliores et leviores, argilla, latum, calcis partes non paucae, sicut eae etiam partes, quae aqua poterant solvi, priusquam resederunt, diu mevebantur, neque, nisi rerum ordine prius restituto maris quotidiano accessu et recessu ab acquis poterant secerni. Nec aliud contigit partibus vegetabilibus, aquae propter levitatem innatantibus. Quae simul cum partibus terrosis a fluctibus in sinus dejectae, et terrae continenti et fluminibus alte injectos, aestu maris decrescente magnis molibus cum terra mixtis, relictae sunt, unde terra orta est nostro sermone, quae dicitur „*Moorgrund*." Super has straturas ex partibus terrosis et vegetabilibus constantes, fluctuum processu innumerabilium et crescentium et decrescentium nova purae terrae stratura assedit. Et haec ipsa Marchiae origo est, cujus inter inferiorem straturam subulosam et superiorem lutosam suppositum est ipsum solum, quod dicitur „*Moor*."

Marchia post illud tempus eodem modo orta est, quo oritur etiam nunc, quod ex terrae continentis partibus interioribus in mare continuo a fluminibus ductae subtiles argillae, soli, sabulonis, calcis partes, ad terram vel super terram, adhuc jam constantem, sternebantur. Terra, super quam marchia nostro tempore prosternitur, verbo dicitur vernaculo „*Wattland*," aggeribus nondum circumclusa, mari adsita, cujus aestu quotidiano inundatur. Cui terrae solum etiam suppositum est, quod dicitur „*Moor*," ita, ut locis quibusdam, qui donec aestus crescit, inundati sunt, decrescente aestu, turfa, quae dicitur, fodi possit.

Marchiae nostro tempore formatae ab illa distinguendae aggeribus multo tempore ante circulosa, nomen datum est vernaculum „*Seemarsch*." Omne tamen discrimen, ut ex iis apparet, quae supra dixi, positum est in eo, quod inde a locorum finibus editiorum, qui „*Geest*" nominantur, usque ad mare stratura lutosa crassitudine sensim augeatur, quo modo fit, ut prope a finibus illis paucas jam pedes sub summa terra solum inveniatur illud, quod nostro dicitur sermone „*Moorboden*," quum ad oram marinam straturae reperiantur 16 vel 20 pedes crassae. Itaque manifestum est, in omni ducatuum nostrorum marchia tres esse straturas crassitudine sola inter se diversas. Deinde apparet ex iis, quae supra de marchiae origine exposui, mirum non esse posse, si locis quibusdam majoribus vel minoribus unam e tribus straturis, quas dixi, aberit; — abesse enim non raro videtur stratura illa, quae vernaculo dicitur „*Moorschicht*."

Praemissa descriptione, brevi illa de terrae natura et situ, mirum non videbitur, febris genus, illi palustri simile quoddam, ex marchia originem duxisse. Quid enim? reperire in marchia solemus sub stratura lutosa, subluto, argilla, marga, solum quoddam uliginosum vel palustre. Unde insignis vegetabilium copia ad putescendum

Digitized by Google

aptorum. Dum strauris lutosis, crassitudine diversis, magnae straturae palustres passim substratae sunt, solum et supra has et supter omnino ita est constitutum, ut aquas stagnatas facile in se inclusas teneat. Ex strauris palustribus et ex aqua insignis vegetabilium putriscentium copia oriatur necesse est. Inde proficiscenti respirationi evadendi occasio affertur partim stagnis quibusdam; in locis praesertim demissoribus non raris, quorum nomina illic habitantes sua perhibent lingua „*Wehlen, Tiefen, Spältingen*," partim fossis per omnem marchiam frequentissimis. Ne praetermittam, quod ad similitudinem locorum palustrium timuendorum in terra, gramine vacua, sicut in itineribus hiatus quosdam altos et latos saepe vides, solis ardore factos, ex quibus respiratio maligna facile potest exire.

Memorandum hoc loco etiam est, quam sint hominum domicilia in Eiderstadia locis omni ratione incommodissimis plerumque condita. Quamquam solum maxime est humidum, fundamentum habitationibus substruitur minimum, domus pleraeque unam habent tabulationem itaque conclavia, quae plano pede sunt, quam maxime humida, post ut inceptiis quasi cumulus afferatur, arbores circa domum plantantur ultimam soli humorum exurendi occasionem auferentes.

Notum esse aestimo, quam bibendam ex aqua in fossis stagnata hauriri, quam percolando non purgari constat. Aliud etiam, quod observatum est, ad rem pertinet. Ebriositas quaedam et voracitas, ex rerum familiarium copia quadam et ubertate alitae dominantur, et eo sunt perniciosiores, quo minus earum patientes sunt, ne dicam homines ipsam Marchiam habitantes, alii tamen non pauci, qui messium tempore e locis, qui „*Geest*" dicuntur, in marchiam migrant; immo omnibus eo ipso perniciosissima sunt vitia, quod messium mensibus calidissimis maxima libidine evagentur. Jam circumspiciendum etiam est singulare aliquid, quod maxime in Eiderstadia obtinet. In usu enim est laborum per diei spatia distributio parum salubra. Ut operarii quam maximae utilitati sint, horologia ita ordinatur, ut false tempus binis circiter horis serius indicet, quam vero est, quo fit, ut illi aestatis noctibus frigidis nimis mane, exempli causa, quum hora post mediam noctem quarta deberent, hora jam altera laborem adeant, quum hora duodecima deberent, hora jam decima coenent itaque dies tempore calidissimo inde ab hora duodecima usque ad alteram post meridiem horam laborent.

Afferre omnes causas tam in terrae conditionibus quam in populi moribus et consuetudine positas, longe erat. A quo desistens a causis praedisponentibus jam ad singularum epidemiarum causas occasione certisque eventibus allatas exponendas me converto.

B. De causis occasione allatis.

Causas occasione allatas post id, quod supra dixi, intelligo oriundis singulis epidemiis, quae sunt rerum conditiones datae, causam afferre. Quam ad rem quae

Digitized by Google

pertinent duo observanda esse et omnes de hac re auctores profitentur, et medicus quisque peritissimus affirmat, *duo momenta*, quae marchiae maximae esse perniciei vox etiam populi est. In alteram partem sunt aqua inundationes marina praecedente sive autumno sive vere, maxime ei delapsus, quo opus est, non habent, ut aqua effusa stagnet. Sunt tamen etiam aquae dulces post imbres et nives continuos et magnos coeuntes, quae praecedente sive autumno sive vere a coelo delapsae sunt. In quo id, quod aquarum derivandarum ratio annis postremis tam exculta inque meliorem conditionem instituta est, praeterea, quod aetates eorundem annorum simul erant frigidiores, maximi ad amovendas epidemias febriculosas annis recentissimis erat momenti. Inundatio sola tamen ad producendam epidemiam non sufficit, quum vel potius febri oriundae tempestas vehementer humida obstet, nec post maximas inundationes secutas esse epidemias saepe videmus. Accedat igitur necesse est novum quoddam momentum *alterum*, quod est temperatura vehementer aucta atque elatior. Itaque undique probatum est atque certissimum, aestatibus solis calidis invasisse epidemias, easque perniciosissimas ingruere, si forte post autumnum sive ver multa inundatione abundans, aestas sequitur calidissima. Probari deinde potest, primos tum semper febris casus in regionibus apparere, quae erant inundatae. Epidemia anni 1826 vel pessime additur, ubi post inundationem an. 1825 universe effusam aestas secuta est calidissima. Afferre possem plura etiam testimonia. Quidnam sit, in quo haec caloris vis pestifera praecedentibus inundationibus posita sit, id ipsum manifesto ostendere, difficile est, nec equidem plura afferre audeo, sed singula tantum, rem magis indicantia, quam illustrantia. Naturale fit, ut vitia hominum incolentium in superiore dicta, voracitas illa mosque nimis mane lecto surgendi, regnante calore, se reddant perniciosiora. Accedit, ut aqua, vegetabilibus completa, majore calore facilius ita putescat, ut saepe aquam bibendam aestatis tempore invenierim colore herbacco, non raro male redolentem ipsamque foetidam, infusoriis plenissimam. Deinde ne omittam, potiones etiam alias ab operariis in agrum secum portatas celerius atque facilius corrumpi acidasque fieri, inter quas cerevisiam.

Afferenti mihi haec omnia momenta ad epidemiam producendam valentia, primaria tamen causa in alia re posita esse, a calore etiam probata, videtur. Quis enim inter omnes illos, qui in marchia nati sunt, non vidit, vaporum straturas humidorum, binos vel tres pedes altas, super summam terram stratas easque vesperibus aestivis multos pedes altas, albidas, ut, qui permeat, non solum pedibus, sed toto corpore sit uvidus. Vapores plerumque foetidissime redolent, quorum in partibus arte chemica disquirendis hoc loco ne nimis mores, hoc solum contendo, praeter partes, vapori palustri vulgo insitas, nullas inesse ei proprias et singulares. Itaque quamvis profitear hujus miasmatis naturam et indolem a me non esse exploratam, vim tamen ejus damnosam ex eo intelligere velim, quod et domus habitatienesque et vias viatoresque vapore illo humido tamquam velatos esse vidi. Quanam vero ratione calor hanc

Digitized by Google

vaporum multitudinem nimiam super terram colligere possit, ne id ipsum explicem facile quisque mihi condonabit.

Nomina manifesto indicant, quae populus sua lingua febri tribuit „*Kehrenseuche, Stoppelfieber*," in frugibus ab agris amovendis aliquid inesse vulgo putari, quod epidemiae faveat. Quod non sine ullo jure putari ex eo apparet, quod frugum metendarum tempore epidemiae origo esse solet. Quod ipse mihi explicare velim hoc modo. Dum enim pascua solis radiis faciliorem in se aditum permittunt itaque cohibetur, quominus humores majores accumulenter, agri frumentarii solis radiis in inferiores partes introitum prohibent. Simulatque frumentum metitur, et copiosiores sunt humores solis calore vaporantes et vapores hominum valetudini eo perniciosiores, quo diutius humores in locis suis constiterunt. Itaque epidemia plerumque optima messium mensa Augusta ingruit.

Epicrisis.

Post ea, quae supra instituimus, si febrem marchiae, quae dicitur, certo cuidam morborum systemati inserere conabor, id mihi tum bene successurum esse censeo, si et omnem ejus processum — eventum intelligo in intermittenti — ut rationem aetiologicam semper bene respexero. Quam quidem rationem aetiologicam morbi intelligo originem, ex locorum certis conditionibus ad malariam producendam idoneis. Quas conditiones marchiae non deesse in superiore satis me probasse puto.

Definiendo me liberatum quemque habitarum esse existimo, qui sint morbi, quibus in universum hodie nomen tribuatur vernaculum „*Infectionskrankheiten?*" deinde quae sit inter hos malaria? Nemo contendet, febrin marchiam invadentem non esse morbum miasmaticum, qui dicitur, sed contagiosum; — quoad tandem discrimen, quod sit inter morbus miasmaticos et contagiosos omnino certum institui vere potest. Morbum enim ab uno ad alterum transferri, materiamque contagiosam certam quandam in homine, qui aliunde ea afficiatur, crescere, in genere febriculoso, de quo sermo est, eadem ratione monstrari nequit, qua in typho et cholera.

Conabor febrem marchiae, quae dicitur, inter morbos, qui vernaculo *Infectionskrankheiten*, eam malariae speciem instituere, cui tempore recentiore nomen *febrium malariarum remittentium aut continuarum* viri docti apponere coeperunt.

Morbum malarium illam febrem habeo, primum, quod originem suam ducit ex eodem causarum genere singularium, non contagiosarum, sed miasmaticarum, ex quo febris intermittens proficiscitur, deinde quod cum hac illi singularia quaedam in turbationum ratione aequa sunt, quatenus haec disquisitione anatomico-physiologica adhuc explorata sunt, praecipue denique quod inter utramque insignis indiciorum similitudo est et utrique inest ad paroxismos febriculosos inclinatio, qui ordine quas rhythmico procedunt. Quod quidem incipiente febri illa manifestum non exstat, sed indicatur tantum, procedente autem illa certius apparet et verum signum est.

Digitized by Google

Iterum febris illa cum ceteris malariis hoc etiam convenit, quod incertum saepe videtur, ubi sedem habeat et quod sedem habet diversam. Pertinet quidem imprimis ad hepar, ad lien et ad tractum intestinalem. Probare nequeo, cum magna tamen certitudinis specie suspicor, in hac etiam febre corpuscula sanguinis alba rubrorum impedio augeri nec in gravioribus febris statibus inveniatur. Itaque si in iis, quae sequuntur, febrem illam morbum dicam malarium, amplius demonstrare operam dabo, *febre esse illam intermittentem complicatiorem, ipsis complicationibus quae difficile cognoscatur.*

Reliquum est explicare, quid inter febrem illam et typhum intersit, res quidem nullo modo difficilis. Eo praetermisso, quod ad oram patriae nostrae occidentem spectantis, imprimis in marchia, typhus morbus videtur rarus, ingruendi ratione minimam habet altera cum altero similitudinem. Quis de typho cogitabit, praesertim de typho ileoso, si omnes in marchia medicos audierit inter se convenientes, ne unum quidem febri illa aegrotum sibi mori. Quod si afferimus, nunc omittamus licet rationem supra redditam, quot fuerint mortui in magnis epidemiis, exempli gratia anno 1826. Sed ipsum illud, quod e medicorum omnium de febre audivimus, tale est, quale e levissimis quidem epidemiis typhosis possumus tribuere. De typho autem exanthematico idcirco cogitari non potest, quod ipsum exanthema, in quo positum est magnum discrimen, febri illi omnino abest.

Ut amplius exponam, quid inter utrumque morbum intersit, hoc etiam afferro. Typhum interdum genere febriculoso intermittenti institui id non nescio quidem, nescio tamen typhum procedentem denique in febrem intermittentem plane mutatum exire posse, quod quidem in febriae Marchiae semper ordine fit. Deinde si negari nequit, quod observatum est, intermittentem, febrem marchiae, typhum simul eodem tempore invasisse, ex hoc tamen typhum et febrem illam unum eundemque esse morbum colligi nullo modo potest. Sin autem veteres nonnulli medici febrem illam in typhum transiisse dicunt, morbum aut typhum a prima origine, aut genus febris Marchiae complicatum fuisse contendo, cum typho nulla ratione conjunctum, sed statum quendam typhoidem, qui dicitur, cui tamen indicia plane abessent, quibus typhus constitueretur. Sed hoc vel posito et concesso, fieri posse, ut cum typho febris illa complicetur aut in typhum exeat, tantum abest, ut hoc ipso utrumque morbum unum eundemque esse probetur, ut id solum effici sentiam, binos morbos, qui sub nomine vernaculo „*Infectionskrankheiten*“ recentiore aetate viri docti uno attribuant ordini, eodem tempore invadere et unum eundemque hominem infestare posse. —

Quare si genus febriculosum, de quo sermo est, a typho omnino distinguendum esse post id, quod supra exposui, existimo, magis etiam, quam Griesinger fecit in libro suo de morbis, qui nomine comprehenduntur „*Infectionskrankheiten*,“ cum intermittenti conjungere id velim. Nam animo informare vix possum, quomodo mor-

Digitized by Google

bus tribus circiter hebdomadibus constitutus, febris quaedam gastrica biliosa haberi possit, post autem, illo tempore praeterito, natura intermittentis ejus appareat, maxime quum morbus, quod equidem sentio, a prima origine intermittentis formam et quasi semen in se habeat. Adeo quidem concedo Griesingero, viro magnae auctoritatis, ut *conjecturam* tantum proponam, quum quaeram, possitue forma intermittentis obscura quaedam atque obtecta diligentiore inquisitione investigari etiam quum stadium illud adsit acutum et gastroenterici, quod in superiore appellavi remittens? possitne forte illa inveniri in acerbationibus febriculosis certis dici temporibus insistentibus? — Intelligere non possum, quod Piorryus dixit, intermittentem propterea in remittentem atque continuam converti, quia gravioris cujusflam intermittentis paroxysmi vehementer prorogati inter se confundantur, et paroxysmorum subintrantium aut semper anteponentium ordo quasi vinculo conjunctus remissionibus vix interrumpatur; — intelligere non possum, hoc certis temporibus, casibus innumerabilibus simul apparentibus, iterum ac saepius eventurum esse, quod tamen iisdem locis per magnum saepe annorum intervallum ne semel quidem observatur. — Itaque rem ita mihi informavi, ut censeam, aut causam, ex qua malaria oriatur, si certa quaedam, sive locorum sive tempestatis conditione sive alia quadam re, adhuc ignota, occasio oblata fuerit, praeter febrem intermittentem ad producendum alium etiam morbum valere, in hoc casu ad efficiendum gastroenteritidem, qua ratione fieri possit, ut ex ea causa cum intermittenti simul proficiscatur gastroenteritis. Aut res ita se habet, ut iis temporibus, quibus malariae causa sola dominetur, intermittens tantum exoriatur, quum alia sit causa ad producendam gastroenteritidem necessaria, quae adhuc ignoretur. In utroque casu gastroenteritis febris complicatio quaedam esset, febris autem marchiae, quae dicitur, intermittens quaedam cum gastroenteritide complicata. In qua sententia eo potius perseverare velim, quo magis videmus intermittentes ceteris quoque terris, dum procedunt, eum genere gastrico ratione diversa complicatas esse. Itaque ad conclusionem pervenio, febrem in Marchia grassatam inihil aliud esse nisi intermittentem vulgarem, eamque cum magno morbi gastrici aut biliosi gradu conjunctam. Jam quid dicamus, si Hannaeus, medicus Tonningensis anno scripsit 1735: „morbus Eiderostadenses corripiens, est aliquis morbus ex genere morborum intermittentium, qui ex causa oritur polycholica?“ Recte illum dixisse puto et rectius etiam dixisset, si verbis usus esset his: „ex causa gastroenteritica, saepe cum affectione hepatis, imprimis polycholia complicata et iis obtecta.“

Jam vero ea modestia, qua medidicum profiteri decet juniorem atque munus publicum primum adeuntem, eum morbum habendum esse censeo febrem, quam tractando mihi proposui, cui quum plerumque stadium prodromorum absit, stadium gastroenteritidis acutae, per tres hebdomades manentis, naturam exhibeat febris remittentis, ex qua febris intermittens excolatur manifesta et diversis formis certo apparens. Si gastroenteritidis loco alii morbi primum observantur, tum certe febris adest inter

Digitized by Google

mittens compliata, talis quidem, quae febri Marchiae simillima est. Attamen ut definitionem de hac ipsa febri institutam tuear neque perturbationem in his rebus ingentem augeam, febrem marchiae tum loco invasisse maxime affirmo, si gastroenteritis acuta febrem certe explicatam antecesserit. Nimirum signa gastrica aliaque in hoc primo stadio simul apparare possunt, quod si fit, eo numquam cohiberi nec possumus nec debemus, quominus febrem etiam illam, de qua dicimus, adesse putemus.

THESES.

1) In pneumonia hypostatica situs variatio est optimum remedium.

2) Resectio articulationis genu omnino non rejicienda.

3) Medicus plus noxiis removendis, quam remediis adhibendis, prodest.

Digitized by Google

1857. VII.
MEDIC. IV.

NONNULLA
DE
NUTRITIONIS VITIIS IN HOMINIBUS
QUI
CORDIS AFFECTIBUS LABORANT.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

CAROLUS CHRISTIANUS THEODORUS KOCH
LEEZENSIS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR.
MDCCCLVII.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *W. F. G. Behn,*
h. t. Decanus.

Digitized by Google

Nutritionis vitia in hominibus, qui cordis affectibus laborant, physiologice inprimis tractata.

Physiologiae pathologicae in novissimis decenniis progressus non solum pathogeniae intelligentiam, sed etiam therapiam ex ea exortam eximie juverunt.

Therapiae reformatio ad modum illius, quae initium fecit, postquam physiologia ad meliorem intellectum progredi coepit, maxime necessaria fuit. Quod quidem ejusdem historia abunde demonstrat.

Coeca, ut ita dicam, experientia, aut rationis abusus turbam illam curationum inter se sine dubio discrepantium, peperit. Istud „αὐτὸς ἔφα“ vincula animo injiciebat per secula. In verba magistri plurimi oculis clausis jurabant, in auctoritatibus summam collocantes fiduciam.

Errores enim cum lacte nutricis suxerant fere omnes. Paucorum tamen clarissimorum ingeniorum critica mens ac sagacitas audebat, occultas atque involutas quasi res aliquoties aperire, aut viam ad meliora spectantem indicare saltem. Horum vero doctrinae partim non audiebantur, partim despiciebantur, ac pro nihilo putabantur.

Integrae vitae physiologica cognitio in dies interea crescebat. Quam ob rem corruptae quoque motus magis magisque perspicere, pari modo licebat.

Tam diu pathologica physiologia prospere coli non potuit, quam diu, morbum vim quandam esse inimicam, molem quasi corpus adorientem, qua hoc, natura duce, se liberare peteret, medici opinabantur.

Organismum aliunde non pendentem, bona aut mala valetudine utendi rationes extrinsecus suspensas non habentem fingere non possumus.

Physiologia docet, quomodo res extra organismum sitae agant in hunc, et contra, quomodo hic mutuo vim exerceat in illas. Quae res externae dum eadem intentione corpus movent, eundem semper in eo provocant actionum ordinem, quae iterum ac saepius sequuntur. His autem mutatis, organismi quoque actiones eodem modo mutantur.

Digitized by Google

Quamdiu corporis actiones fiunt, ut homo singularis secundum generis typum conservetur et regeneretur, tamdiu secunda adest valetudo. Irritatio autem et actio ex ea exorta, quam primum sint impares, adversa illico fit valetudo.

„Irritationes externae“ quid sint, exploremus oportet. Nobis quidem videtur, sanguinem, lympham, chylum, prae ceteris locum et materiam mutantes, res externas contingentes, ad organa quoque intus sita circuitu cursum dirigentes, ex irritationum externarum ordine non posse eximi.

Attamen non est negligendum, ipsum organismum magnam ad hos liquores habere vim; ita ut eorum qualitatem et materiam possit mutare. Quam ob rem dubitatio nobis affertur, num „irritationum externarum“ notionem illam latiorem defendere possimus.

Actiones, quas irritationes externae, insolito modo agentes, provocant, partim ita fiunt, ut vires compensentur; partim vero organum, quod prae ceteris impulsui inimico expositum est, per actiones constitutioni et viribus texturae impares mutuo vim exercere studet.

Quae quum ita sint, illius forma non solum in brevius, longius, sed etiam in omne mutari potest tempus.

In omnibus organis, quae mutationes aut scalpello facile demonstrandas, aut nervorum subtiliorem structuram corrumpentes habent, solitae irritationes eodem modo, quo insolitae agunt. Etenim actionum ordo, qui naturali irritationi par est, circuitus impedimenta habet. Actio, jam inde ab initio, vel in progressu impedita, eodem semper modo fit, dummodo ratio eadem sit. Organum morbo mutatum aeque, ac sanum sua ipsius autonomia, ut ita dicam, gaudet. Disciplina, quae organorum morbis corruptorum autonomiam docet, physiologia pathologica appellatur. Hoc quidem intellectu optimo jure locus ei debetur. Quam significationem secuti, pathologica quoque cordis physiologia gaudemus, cui plurimi non frustra summam dederunt operam.

Ipsa cordis, morbo corrupti autonomia ex corporis, ejusdem violentiae expositi actionibus sine dubio sequitur. Qua de causa hujus rei inscitiam diuturnam, per secula durantem paene admirati sumus.

At partim percussionis auscultationisque ars erat nova ac rudis; ita ut omnium cordis vitiorum certa diagnosis plane deesset; partim cordis integri totiusque sanguinis circulationis physiologia terra paene incognita erat. Quam ob rem de erroribus innumeris, qui in cordis pathologia et therapia inveniuntur, jure admirari vix possumus. Innotis enim functionibus unius ex catena organorum inter se cohaerentium membri, systematis organorum physiologia pathologica fundamento caret. Tuta igitur et immota haec sane esse non potest priusquam omnia praecepta institutaque dogmatica penitus sint exstirpata. Multa quidem nostro tempore physiologia ad hunc finem obtinendum fecit; sed tamen laborum initia vix vidimus.

Digitized by Google

Proinde, ut ad unum omnes hanc permagni momenti rem aggredi velint, optaverim. Verissimum enim est Hippocratis dictum:

„Ὁ βίος βραχύς, ἡ δὲ τέχνη μακρή,
ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερή,
ἡ δὲ κρίσις χαλεπή.“

Nequaquam igitur immemores sumus illius Horatiani:

„Computandum est, quid valeant, quid ferre recusent humeri.“

Propterea corporis, corde laborantis functionibus ex notis physiologiae praeceptis explicandis, organi, morbo corrupti ac systematum ex eo pendentium autonomiae indicandae operam dabimus in hac dissertatione inaugurali.

De vitiis nutritionis in hominibus corde laborantibus dum loquimur, excipiendae sunt eae organismi perturbationes, quae in primis horum vitiorum causis fuerunt. Hae enim, illis vitiis allatis, propter impedimenta in viis circulationis febre irritatae omnia exacerbantes, tamdiu permanent, quamdiu materia peccans, ut ita dicam primum afferens impetum, expulsa est. Quo facto, organorum integrorum simul cum illa cordis autonomia ad regulam quandam et normam redire solet.

His igitur perturbationibus neglectis, tacebimus de earum analysi, ut graeco verbo utar.

Nequaquam vero magnae illius depravationis, quam hae perturbationes oeconomiae organicae adduxerunt, immemores esse debemus.

Quod quidem maximam habet vim ad valetudinem aegroto restituendam.

Saepius vidi primam illam organismi inopiam crescente vi permanentem reditumque ad secundam valetudinem ab aegrotis retardantem. Juvenibus acuto rheumatismo cum cordis affectu correptis in dies magis magisque languescentibus ac rapide morientibus affuimus. Sed tamen in morbi initio cordis mutationes auscultatione et percussione observari vix potuerunt. Materiae ac virium acuto rheumatismo amissarum restitutio tardius ac difficilius semper fit. Plerumque tamen ne aegroti quidem periculum sentiunt. Doloribus enim quiescentibus, ita bene valere solent, ut temere infirmitatis remanentis plane obliviscantur. Persuasum nobis est, ex iis, quae supra diximus, apparere, debilitatem illam neglectam maximi esse momenti. Sed tamen taciti eam hoc loco praetereamus.

Medici inter symptomata, quae ex affectibus cordis longis orta sunt, distinguere solent. Nonnulla enim „localia,“ nonnulla toto corpori communia ab iis dicuntur. At nullam tamen hae distinctiones theoreticae vel practicae medicinae utilitatem afferunt. Neutrum enim symptomatum genus, ut mihi quidem videtur, ad diagnosin, vel therapiam adjuvandam prodesse potest. Contra ea optimo jure inter turbationis activae et passivae, ut dicitur, symptomata distinguimus. Activas illas appellamus perturbationes, quae ab unius, vel plurium organorum vi supervacanea oriuntur. Quae quidem vis aut texturae vitium est, (hypertrophia) aut plane non

Digitized by Google

cadit in conspectum. Quod quum acciderit, in nervis subtilioribus mutatis causam inveniri, putamus. Praeter has inter medicos agitur de functionum turbationibus, quae ex vi infra normam ac regulam recta via deminuta, aut ex roboris usitati impedimentis oriuntur.

Utraeque perturbationes, et activae et passivae, in cordis affectibus manifestissime sub oculos cadunt. Modo enim conjunctae sunt, eademque vi omnia turbant; modo hae multo fortiores sunt, quam illae; modo contrarium fit; modo altera earum sola imperium tenet. Quare harum cognitio et explicatio maximi est momenti iis, qui, ut par est, diagnosi et therapiae imprimis operam dant. Proinde turbationum symptomata medico ex propria natura assiduissime ac diligentissime discernenda sunt. Hic enim, ipsam curationem unice respiciat, sine dubio oportet. Quae de prima illa distinctione diximus, de hac tertia quoque nobis dicenda erunt. Nonnulli enim inter symptomata, quae ex nervis et inter symptomata, quae ex vasis orta sunt, distinguunt. Dubitare equidem non possum, utramque horum symptomatum speciem conjunctim semper adesse, ita ut nullo modo possint discerni. Quam ob rem haec distintio prorsus inutilis mihi quidem videtur.

Quid valeant singula symptomata ad diagnosin, nobis non est explicandum. Contra ea loco idoneo accuratius significare studebimus, maximi eadem esse momenti ad curationem prospere dirigendam. Non minus silentio praeteribimus quaestionem: quaenam affectuum cordis species unius aut alterius generis turbationes prae ceteris provocare possint.

Hoc solum igitur nobis erit disputamdum: *quemnam eventum ac finem corpori aegroto afferat unumquodque turbationum genus, quas ante diximus.* Qua de causa ab initio ad finem eas persequamur non solum ad tempus, sed etiam ad locum.

Utraeque turbationes, congestionem efficientes, initio sanguinis distributionem naturalem prohibent. Aut sensim existunt, tardeque cressunt, aut ex improviso incidunt. Neque contendere ausim, hanc rem nullius esse momenti ad ordinem sive decursum, quo postea morbus utitur. Sensim nasci ac crescere solent in simplice concentrica vel excentrica, ut medici ajunt, cordis hypertrophia, valvularum vitiis deficientibus. Quod quum acciderit, activae plerumque efficiuntur turbationes. Subito contra existunt ex inflammatione acuta, valvulis destructis. Quo facto passivas turbationes saepius vidimus, functionibus laesis.

Non raro in circulationis turbationibus congestiones ita praevalent, ut has pro illis ponere liceat. Quam ob rem inter activas et passivas congestiones anxie non distinguemus. Promiscue his dicendi formulis uti, licere videatur. Etenim nunquam fere utrumque congestionum genus separatim invenitur. Mutua contra inter se cohaerent vi. Terminus est, ubi confluunt; ubi causas moventes, affluxum fortiorem, vel defluxum impeditum, in loco accuratius discernere nullo modo possumus. Haec quidem res therapiae nocere non potest, dummodo medicus in primam causam oculos

Digitized by Google

conjiciat, atque ante omnia perscrutetur, utrum majore vi solum agere possit cor, an impedimenta, quae contra faciant, adsint.

Hanc vero rem prae ceteris in singulis casibus semper cognoscere debemus. Quod fieri potest non solum praesentis turbationis localis, sed imprimis cordis corrupti omniumque symptomatum toto corpori communium diligentissima investigatione. Vita ante acta, anamnesis, ut medici ajunt, ante omnia auxilio erit.

Quum igitur neutrum turbationum genus separatim adsit, inter eorum eventus neminem distinguere posse, parsuasum nobis est.

Sed tamen experientia docere videtur, illas turbationes, quae maxima ex parte activae sunt, nobiliora corporis organa prae ceteris subito corrumpentes, per hyperaemias, ad inflammationes acutissimas accrescentes, per haemorrhagias et apoplexiam mortem afferre. Illae contra, quae passivae plerumque appellantur, sensim, totius corporis depravatione paulatim crescente, vitae finem adducere solent.

Negligemus igitur in his, quae sequentur, ipsas circulationis turbationes. Earum symptomata autem: congestiones, hyperaemias, aliaque tractabimus.

Sanguinis distributio non aequalis sicut filum rubrum cordis morbo corrupti historiam pervadit. Quae quidem ipsa magnum nutritioni impedimentum infert. Actiones enim compensantes, quatenus fieri poterit, eam sequantur, necesse est. Hae vero sine dubio immoderatam materiae mutationem in omnibus organis efficient. Quam mutationem profusae secretiones et excretiones sequi debent, ita ut brevi functionem depravatio in singulis organis inveniatur. Quae quidem depravatio tanto fortius mutua agebit vi, quanto major organo inest vis, in quo illae fiunt actiones.

De mutatione autem physicarum circulatinis causarum in singulis casibus dubitari nullo modo possumus. Clarissimi enim viri, physiologiae et pathologiae peritissimi, maxime perspicue eam demonstraverunt. Quae quidem mutatio ex ejusmodi naturae legibus sequitur, ut mathematica subtilitate definitae, ambiguum intellectum nequaquam admittant.

Sed tamen haec theoremata generalia praemittere liceat.

I. Mechanica stagnatio sive stasis, ut graeco verbo utar, in iis corporis locis primo semper sensibus percipitur, ubi 1) cordis impulsus minime adjuvat sanguinis fluxum; ubi 2) minime resistunt vasorum parietes; ubi 3) maxime agunt nervorum centra, quae, ut ille Virchow dicit, succorum mutationem moderantur; ubi 4) chemica corporis laboratoria sita sunt. Quae quidem omnia de vasis capillaribus optimo jure dici possunt.

II. Motus illi, qui in via circulationis per „stasin“ effecti sunt, naturae vim medicatricem, a plurimis maxime laudatam, modice sane, ut equidem puto, imitantur.

De qua re in pathologia nunc quoque multae opiniones praejudicatae esse videntur.

Digitized by Google

Therapiae contra peritissimi viri optimo quidem jure contemplationi renuntiant, igiturque magis magisque verum cognoscentes motibus extraordinariis retardata circulatione prohibendis operam dant. Quos motus a nervis spinalibus ac sympathicis concitari, physiologia docet. Bernardii, Schiffii, Pflügeri, Browni-Sequardi, aliorumque experimenta accuratissima ac diligentissima hanc quidem sententiam affirmare, persuasum nobis est. Ramificationes illorum centrorum peripherícae magna ex parte ad fibras parietales musculares vasorum eunt, in ipsis vasis diametri 0,007‴ microscopio demonstratas, ideoque in primis vasorum capillarium initiis etiam agentes. Musculi vasorum annulares in naturali circulatione prorsus quiescunt. (E. H. Weber.) Sed tamen in phaenomenis pathologicis explicandis eorum actionibus carere vix possumus. Qua de causa non dubito, illas fibras, quibus propria contrahendi vis inest, adjutrices cordis, cujus effectus generalis debilitabatur, majoris esse momenti.

Arteriarum majorum motiones, quas manu sentire possumus, in hominibus corde laborantibus saepius ejus modi sunt, ut ipsae musculorum annularium contractiones causae earum esse videantur. Alia autem modo explicari possunt, quod igitur complures non frustra fecerunt.

Paralysis nervorum, qui ad vasa eunt, nequaquam negligenda est. Nunquam fere deest in hyperaemiis longis. Adest etiam in omnibus congestionibus celeriter advenientibus et abientibus ad modum illarum, quae animi commotionibus in cute saepius efficiuntur. Compensationis igitur vis illis arteriarum minorum contrationibus unice tribui potest.

Cordis motus difficilius intelliguntur. Hos quoque, a centris sympathicis incitatos, centra cerebro-spinalia, tamquam regulatores, moderantur.

Praeter illas fortiores cordis contractiones, quae, angustatis magnorum vasorum ostiis, efficiuntur, nulli sunt motus compensantes.

Ceteris motibus semper deest compensationis vis. Multi quidem illis quoque motibus, qui ab insufficientiis valvularum inter atria et ventriculos oriuntur, ejusmodi vim trubuerunt; sed tamen sine causa hoc fecerunt.

Etenim loco unius duae hic adsunt aperturae inter se contrariae, Alterius autem flumen non tenet parallelum, sed prorsus contrarium cursum. Crescente igitur vi illius tormenti, quo hae ambae aperturae communiter utuntur, utriusque sanguinis flumen in contrarias impellitur partes. Quam ob rem, illam quidem majorem vim ad compensandum circulationis motum aptam esse nullo modo dicere possumus. Homines tali modo corde laborantes optime valere, cordis actionibus ad vim et celeritatem solitam normam et regulam imitantibus, experientia evidenter docet. Quod praeterea ipsa Digitalis illa purpurea sine ulla dubitatione demonstrat, quae saepissime est aegrotis levamentum igiturque medicis perfugium et praesidium salutis.

Enimvero pathologica anatomia alium illis motibus locum concedit. Quo con-

Digitized by Google

siderato ad nutritionis vitia, quae singulis organis aeque, ac toto corpori accidunt, transibimus.

In musculis cordis ex valvulis laborantis varia pathologica anatomia demonstrat nutritionis vitia. Nonnulla eorum ex vi quadam organi conservatrice orta esse, equidem putaverim. Fortiores enim cordis actiones causae eorum esse videntur. —

Haec fere sunt:

Hypertrophia cujuscumque generis, excepta quidem ea concentrica, quae sine valvularum vitiis evenit, conservando organo inservit. Primum enim sanguinis non semper influentis et effluentis violentiae oppugnat. Tum vero incrementum afferens fibris, quibus vis movens inest, non solum per singulas quasque contractiones, sed etiam per ostiorum angustatorum dilatationem, sensim sensimque effectam, multiplicia vincit ac prorsus tollit impedimenta. Siquidem omnes aegrotis faveant res! —

Cordis dilatatio, quae sine hypertrophia fit, una eademque est, quoad finem, cum eam, quam atrophia prosequitur. Experientia satis docet perniciosum earum effectum, quem certe, praemature et saepe subito afferunt, praesertim parietum dilatatorum musculis degeneratis. Cujus rei cum simplici dilatatione frequens concursio eo minus notabilis est, quo magis ipsa dilatatio legibus vitae musculorum oppugnat, exceptis illis casibus, ubi causa movens ab initio fortissime egit, ita ut musculos una cum endocardio et pericardio corrumperet. Cor vitiis organi is affectum ab inflammationibus exsudativis nequaquam alienum esse, notum est. Quae quidem inflammationes eveniunt ex vasorum nutrientium hyperaemia, per constantem irritationem et ex permanente dispositione rheumatica effecta. Ubi morbus ab initio vasorum majorum parietes corrupit, aut sensim ad illos transiit (ut in „Atheromasiis“) anaemiam organo interdum affert. Quod quidem imprimis fit, arteriis coronariis laesis. Quibus vero destru tis, illud mirabile Heberdeni asthma effici videtur.

Quo quidem morbo correptis mors non dubia quotidie imminet. Sed nihil de hoc morbo! Ad alias transgrediamur res. —

Prae ceteris organis in *pulmonibus* per vitia cordis sanguinis circulatio turbatur. Turbationem primo mechanicam chemica celeriter sequatur, necesse est. Utraeque turbationes maximi sunt momenti propter materiae mutationem in ipsis pulmonibus apparentem. Hyperaemia nunquam deest. Haec vero in membranis bronchiorum mucosis catarrhum movet chronicum, initio quidem solas illas adorientem, deinde vero pulmonum quoque texta commutantem. Chemica turbatio, totum corpus tangens, ex prohibita aëris in pulmonibus mutatione evenit.

Aëris mutatio vero his fere impeditur:

1) Catarrhalibus bronchiorum secretis.

a) Tenuissimorum bronchiorum parietibus subtilibus pulmonum vesiculae adjacent, pellucentes, ut Kölliker dicit; ita quidem, ut jam hic, si partes integrae sint,

Digitized by Google

aëris mutatio fiat. Haec vero per secreta parietibus adhaerentia maxime prohibitur, aut prorsus tollitur; etsi, aërem permeare, liceat.

b) Bronchiorum minimorum nonnulla prorsus impedita ad tempus apparent. Pulmonis igitur vesiculae, iis accumbentes, ex elementorum laborantium ordine emittuntur.

c) Secreta tussim movent, per quam cordis actio multo fortior, respiratio vero incomposita fit; ita ut magis magisque inter se dissideant. Qua re fit, ut sanguinis inaequalis distributio foveatur.

d) Pituitis illis difficile exscreandis „bronchiectasiae“ efficiuntur. Hae aut extenuatos debilitatosque, id est atrophicos sine elastica vi, aut crassiores cum deformatis musculorum stratis habent parietes. Item forma quoque maxime discrepant. Imo etiam ad diversos et impares eventus tendunt. Primae illae, sacci formam plerumque imitantes, e musculorum bronchialium paralysi et violentiae elasticae interitu evenientes, sine dubio vitae oppugnant. Illae contra, quas cylindricas appellant, praecipue, quae late se diffundunt et majoribus musculis, pituitas fortius moventibus excellunt, ad vitam conservandam tendunt saltem. Quae quidem bronchiorum dilatationes in juvenibus corde laborantibus prae aliis „bronchiestasiis“, stricte sic dictis, saepissime inveniuntur, musculorum stratis ita incretis, ut intestini crassi ligamenta longitudinalia imitentur.

Aëris mutatio praeterea prohibetur:

2) ipsis pulmonibus corruptis.

In his hyperaemia sensim magis magisque valet, respirationis impedimentis ex bronchiis increscentibus.

Texta condensantur spissi retis capillaris expansione, ex quo „transsudata“ quoque aliquoties emittuntur. Praeterea majora, vel minora sanguinis ponders in spatia vesicularum interjecta effundnntur.

Vis elastica ex parte absumitur non solum per hyperaemiam, sed etiam per mechanicam respirationis inhibitionem, quae in bronchiis initium capit, postea vero in exterioribus pulmonum vesiculis maxime valet. Quae quidem vesiculae, aëre stagnante, sensim inflatae ad „emphysematis“ formam mutantur. In emphysemate vero vesiculae, tamquam si omnino desint, haberi debent. Hujusmodi enim defectus circulationis machinationem ac „chemismum“ eo magis inhibet et corrumpit, quo minus normalis pulmonum capacitas grave fluentis sanguinis usui par fuerit. Luce clarius est, plurimas illas texturae functionumque mutationes obstare, ne respiratio corporis necessitatibus sufficiat.

Solo enim musculorum bronchialium incremento vires, obstacula quaedam respirationis superantes gignuntur. Omnes hi status nequaquam in omnibus cordis vitiis conspiciuntur.

Digitized by Google

Pauci tamen omnino deerunt. Eorum graviores, horribiles aspectu, summa pericula saepissime afferunt, dummodo levis circulationis perturbatio accedat, quae quidem sano corpori minime perniciosa.

At relinquamus impetus corpori tam saevos. Etenim non hos ipsos, sed perturbationes eos adducentes, sensimque agentes describimus.

In iis, quae supra dixi, respirationis impedimenta exposui. Jam igitur examinabo: quomodo mala aëris mutatio, ex illis pendens, totum corporis sanguinem depravet.

Oxygenio corpori deficiente, „Carbone“ in sanguine remanet; et „nitrogenium“ quoque in corpore, tali modo aegrotante, non eadem mutatur ratione, qua in corpore sano. Quam sanguinis „dyscrasiam“ ex abundante acido carbonico oriri, multi opinabantur. Haec tamen opinio fundamento vanarum conjecturarum, physiologiae contrariarum, niti videatur. Contendunt enim: acidi carbonici ex sanguine ejectionem in corrupto pulmone impediri. Quod quidem negari vix poterit. Attamen, retardata hujus acidi effusione, dyscrasiam non gigni, sed potius impedita evolutione, verisimile mihi quidem videtur. Acidi carbonici exspirati quantitas par est oxygenii inspirati quantitati.

Oxygenii deminutione argumentis probata, nequaquam dubium esse potest, quin etiam minor carbonei quantitas in acidum carbonicum mutetur. Qua de causa minutiorem hujus exspirationem optimo jure contendimus.

Magnam habet delectationem, perscrutari, num forte his in conditionibus acidi carbonici ejectio per ceteras vias: cutim, renes aliasque fortius impellatur.

Commemorare liceat ea, quae de statibus biliosis veteres dixerunt.

Quos quidem una cum cordis et pulmonum vitiis saepius conspici, satis compertum est. Nequaquam illo vocabulo „statibus biliosis“ eodem utimur sensu, quo illi veteres; i. e. sine stricta distinctione. Copiosiorem bilis secretionem et excretionem in hoc statu plerumque adesse, crediderim. Quod sine dubio fuscis illis aegrotorum dejectionibus comprobari videatur. Bilis enim, prae ceteris corporis excretis magnum carbonei copiam continens, aptissime noxia carbonea e sanguine tollet. Praesertim quum, physicalibus resorptionis causis mutatis, minor ejusdem quantitas in intestinis resorbeatur. Quam ob rem in hominibus tali modo aegrotantibus magis, quam in sanis excreti naturam bilis tenere videatur. In feminis uterus certis temporibus carbonea e corpore emittit. Qua re acidi carbonici per pulmones exspirati deminutio, durans per menstruationis dies, in sanis feminis observata, indicat uteri facultatem, abundantia carbonea excernendi per sanguinis menstrualis ejectionem, quem carboneo copiosissimum esse, compertum nobis est.

At non solum sanguinis *carbonea*, sed etiam *nitrogenea* male mutantur. Qua de causa per corporis humani colatoria, ut ita dicam, praecipue per renes, *imperfecte oxydata* excernuntur. Corporibus oxydandis non perfecte mutatis, caloris quoque, oxydatione liberati, minor gignitur quantitas. Omnium igitur aegrotorum, qui respi-

Digitized by Google

rationis organis laborant, praecipue ubi pulmones cordis vitiis afficiuntur, membra, manus pedesque, frigida appareant, necesse est. Frigus, cutis vasis capillaribus sanguine abundantibus, permanet. Haec vero dum fusco sanguine impleta sunt, coeruleum cutis colorem efficiunt. Quare ad cor perscrutandum semper fere medicus extemplo commoveatur. Quae quidem caloris deminutio pertinacior esse solet. Aegroti enim sanginis in cute circuitum impellere accelerareque non possunt per activos motus, etsi in membrorum vasis capillaribus sanguis non deficiat.

Quae quum ita sint, calor, externis corporis partibus detractus, non satis restituitur. Cutis vero pulmonum functionibus auxilium ferre non potest, quod tamen rerum natura sine dubio desiderat. Inertissima cutis segnitias ad pulmonum valetudinem et ad sanguinis per totum corpus circuitum, ideoque ad cordis actiones permagni refert. Multi enim sanguinis liquores in corpore retinentur, sudores non moventur, vasa ad majora ideo tenduntur. Quare fortiores cordis contractiones ad sanguinis molem promovendam requiruntur. Itaque medicina rationali fretus, dicere ausim: illam cutis segnitiem in cordis hypertrophia maximam habere vim. Libentissime igitur respectu argumentationis illum doctissimum Traube auctorem cito, qui etiam contendit: in morbo Brightii sanguinis in renibus prohibitus circuitus maximi refert ad cordis hypertrophiam efficiendam. Increscit enim arteriarum tensio liquoribus retentis, per renes emittendis, et defectu vasorum capillarium in renibus obliteratorum.

Qua de re aegrotorum quoque diligens observatio certiores nos facit. Hos enim bene valere videmus, dummodo coeli temperatio cutis actiones permittat; ita ut sudores solvantur leviore corporis labore, quo cor non gravius incitatur.

Iis, quae de turbationibus, ex respirationis impedimentis pendentibus, supra dixi, nonnulla addere velim.

Donderus novissimo tempore prae ceteris docuit, quomodo pulmonum respirantium motiones ad circulationis machinationem valeant. Summa vero eorum, quae experimentis perscrutavit argumentis que affirmavit, haec fere est:

Non solum inspirantibus, sed etiam exspirantibus pulmonibus cor ejusque magna vasa minore vi comprimuntur, quam, qua aër ceteras omnes corporis partes praegravat. Quo fit, ut ad cor attrahatur sanguis, ideoque fluxus ejus acceleretur in venis, retardetur vero in arteriis, vi attrahente expulsantem vim inhibente.

Quam tamen attrahentem vim nullam fere esse in arteriis, sed in venis, praecipue jugularibus unice agere, contendit. Itaque illam vim, de qua supra dixi, adjuvare, nequaquam vero impedire sanguinis circuitum, putat.

„Adspiratio“ illa, in exspiratione fere nulla, inspirante pulmone fortissime agit. Quae respirationis ad circulationem vis affirmatur duplice cerebri pulsatione, aërisque adspiratione, in magnis venis dissertis observata.

Respirationis permanens mutatio cogitari quidem non potest, in qua, quolibet

Digitized by Google

in statu tranquillae respirationis, pressus ille cor praegravans aëris externi pressum superet. Nihilominus tamen, ubi aliquid et inspirationem et exspirationem aequaliter prohibeat, adspiratione per inspirationis spatium praevalente, venae praecipue hac vi adjuvante carebunt.

Qua ex meditatione sane optime explicantur illae congestiones ad caput celerrime accedentes, quamprimum respirationis profunditas et constantia impedimento paulisper afficiantur.

Hae vero congestiones in hominibus corde laborantibns longe graviores apparent, quum cordis contractiones non solum extemplo accelerantur, sed etiam fortiores fiant, dummodo levi careant adjumento. Quae quum ita sint, prae ceteris aegrotis illi de molestissimis capitis congestionibus queruntur, quibus ab initio morbi saepius cruciari coeperunt.

Congestiones istae capitis dolores ac faciei calorem ruboremque movent. His quidem neglectis, nequaquam despiciendae sunt congestionis ipsae. Communem enim valetudinis sensum turbantes, toto corpori animoque maxime noceant, necesse est.

Levissimus animi affectus in multis ejusmodi aegrotis faciei ruborem, aurium tinnitum aliaque movet; ita, ut hominum timor et pavor ab humana societate saepius eos rejiciat. Hac vero ratione ab hominibus secedentes, corporis animique aegritudinem scrutantur, praecipue, si, auxiis, territi homniis, noctis quoque quiete carcant.

Hypochondria igitur affecti, in melancholiam interdum incidunt. Quid igitur admirari possimus de veteribus, qni, animi sedem cor esse, per secula opinabantur!

Ad vecordiam non raro improviso increscunt animi alienationes; aut jam tum, quando morbus saevit, ex quo cordis vitium exortum erat; aut serius, illo quidem rediente. Quam ad vecordiam prae ceteris morbis rheumatismus acutus, cordis vitia movens, spectat. Quando organa morbo corrupta in integrum restituta sint, aut ad turbationes assueverint, mentis alienationes abire solent.

Anno priore Kiliae, in instituto clinico, honestissimo, doctissimo, dilectissimo Goetzio directore, juvenem vidi in endocarditide rheumatica vesania correptum, quamquam in cordis valvulis nulla fere vitia, nisi levissima, remanerent.

Mutatus aëris pressus quantum in ipsos cordis motus valeat, satis compertum nondum habeo. Attamen experientia docet: in omnibus morbis, ubi inconstantis pressus causae in cor agant, ejusdem palpitationes crebro adesse; et, vel aucto vel deminuto illius pressu, nos ipsos cordis motus sponte sistere posse (E. H. Weber).

Praedictis illis relictis, hic videatur locus idoneus, recordari illam turbationem, quae sine dubio ex capitis congestionibus cordisque palpitationibus pendet. Interdum enim sympathica concoctionis alienatio ex illis gignitur. Haec vero crebros vomitus gravemque saepissime dyspepsiam, difficillime medendam, identidem redeuntem, ac brevissimo tempore aegrotos quam maxime interdum debilitantem movet.

Ad quos quidem status procliviores sunt homines irritabiliores. In his autem

Digitized by Google

distincte perspici potest: vomitus graviore cordis labore gigni. Etenim una cum illis rhythmus, ut ita dicam, contractionum cordis eximie corruptus saepissime adspicitur. Quibus contractionibus ad regulam reductis, illi quoque vomitus sua sponte cessare solent.

In puero quatuordecim annos nato, summi ingenii animique temere commovendi, mihi aliisque persuasum erat, „stenosin“ atque insufficientiam valvularum aortae adesse. Omnia enim symptomata diligentissimaque perscrutatio hoc docuerant.

Per complures annos ante ejus mortem, quando gaudium vol tristitia ejusdem animum commoveret, cersissime praevidere poteram, fore, ut postero die, tempore matutino, graves vomitus acciderent; postquam primum cordis palpitationibus, deinde capitis doloribus, denique gravissima nausea cruciatus esset aegrotus!

In morbi initio ciborum concoctio, tempestatibus illis exactis, graviter non turbata est. Postea vero, sexto fere mensi ante mortem, postquam palpitationes ceteraque supra dicta symptomata, causa nota etiam deficiente, saepius acciderant, brevi tempore maxime debilitata et corrupta est digestio.

In hoc puero albumen ex urina nunquam esse secretum, monere liceat.

Sed oportet, ut eo revertar, unde egressus sum. Respirationis turbationes ad omnia, de quibus supra dixi, valere, mihi quidem persuasissimum est. Nihilominus nonnulla eorum, quae antea loco idoneo pertractavi, minoris momenti videantur, quam ea, de quibus nunc mihi dicendum erit.

Prae ceteris igitur organis ad hepar veniemus. Etenim venae portarum capillaria, aeque ac pulmones, circulationis turbationibus praecipue afficiantur necesse est Quod quidem ex anatomia, physiologia ac physica patere videatur. Attamen rebus physicalibus nequaquam eandem hic tribuamus vim, quam in quibusdam aliis organis

Saepius enim fit, ut hepar, corde pulmoneque gravius aegrotantibus, gravissimis affectibus perdiu resistere possit. Venae portarum sanguis, procul a corde, ejusdem contractionibus paululum tantum movetur. Ex intestinorum capillaribus, ubi fluxus jam multum retardatur, per unius vasis truncum in ipsius hepatis capillaria refunditur.

Quo magis capillaria diffunduntur in ramos, eo magis fluminis alveus ex vasis trunco dilatatur, eoque tardius ex naturae legibus succus nutriens perfluit.

Interpositis inter aortam et venam portarum intestinorum capillaribus, sanguine autem ex hac vena recta via in venam cavam effluente, hepatis sanguinis nequaquam corde impellitur, sed per venam cavam ad cor dextrum tantum attrahitur. Qua re circulationis turbationes in pulmonibus apparentes, sola vena cava interposita, recta via agere debent in venam hepaticam venamque portarum, quum pressum illum negativum‘ (E. H. Weber) deminuant.

Leviores hujusmodi stases a musculis vasarum, fortius se contrahentibus certe vincuntur. Ubi vero impedimenta increscunt et per longius tempus agunt; hepatis

Digitized by Google

structura ex toto mutatur, aut tamen singula textum constituentia corpora respectu spatii, quod implent, a regula et norma discedunt.

Primo et quidem saepissime hepar ad illam mutatur formam, quae dicitur „*Muskatnussleber*“. Quod fieri solet ad tempus, aut in perpetuum. Haec vero mutatio sola venarum injectione gignitur. Quae quidem ita extendi possunt, ut oculis etiam adspiciantur. Levissima tamen haec mutatio esse videtur. Virchow enim docet; post ipsam mortum eam posse oriri.

Ubi causa movens in perpetuum agit, arteriarum musculi sanguinis pressui resistere non possunt. Venae enim oppletae obstant, ne sanguinem emittant. Itaque ipsae arteriae sanguine abundantes extenduntur, ut totum hepar ad majus increscat volumen.

Qui morbus, nomine „hypertrophia rubra“ appellatus, imprimis notandus est. In hoc enim hepatis diuturnum periodicum incrementum decrementumque physicali percussione interdum demonstrari potest.

Peculiare hepatis textum, increscente per hyperaemiam vasorum extensione, ubi marcescit, „atrophia rubra“ gignitur (Virchow). Inter creberrime observatas hepatis destructiones ex cordis vitiis ortas permulti „cirrhosin“ notant. Hanc tamen ex corde corrupto nequaquam pendere, Bamberger optimo jure contendit. Quod quidem argumentis affirmavit.

Hepatis circulationis functionibus tali modo turbatis, venosae intestinorum stases celerrime advenire solent. Quae quidem, causis permanentibus, in perpetuum durabunt.

Sanguinis venosi abundantia vitales organorum functiones omnino obstrectat. Itaque languor desidiaque motus perisistaltici, catarrhus chronicus ceteraque omnia, „chemismi“ vitalis depravationem indicantia, hoc in statu haud diu deerunt. Physicales concoctionis causae maxime mutatae apparent. Corporum assimulandorum resorptionem per endosmosin exosmosinque, ac magna ex parte venarum ope fieri, satis compertum nobis est.

Pulsus vasa resorbentia intus opprimens maximum quoddam transgredi non debet. Eadem ratione, ne segnius fiat endosmosis, requiritur, ut horum vasorum succus nec supra, nec infra normam quandam, nondum quidem certe definitam, „concentretur“.

Ex iis, quae supra dicta sunt, abunde patebit, sanguinis pressum in venis justo esse majorem. Ejusdem concentrationem sensim sensimque justo minorem fieri, postea demonstrabimus.

Qua igitur duplice causa materiarum nutrientium resorptio eximie inhibeatur, necesse est. Venae carbonis hydrata praecipue resorbent. At tamen corpora proteina etiam ad hepar mittunt, quae ad sanguinis cellulas hic imprimis formantur. Albuminis et fibrini minor copia quum ex intestinis ad hepar ducatur, pauciores

Digitized by Google

quoque sanguinis cellulae sine dubio in hepate gignuntur. Quae quum ita sint, venis paulum resorbentibus, chylum ducentia vasa loco illorum laborare debent; ideoque materiarum crudarum multitudinem molestissimam recta via ad sanguinem ferunt (Virchow). Lymphae autem chylique albumina ad sanguinis cellulas formandas non aeque valere videntur, ac illa venae portarum. Ad sanguinis plasma ducuntur, eorum quidem eventu nondum comperto.

Quibus rebus gestis, sanguinis dyscrasia gignitur, quae „hyperalbuminosis“ nominatur (Vogel).

Resorptionis impedimentis perdurantibus, non solum quantitas sed etiam qualitas albuminis mutata videtur in sero. Albuminis enim fibrinique resorptione per venas inhibita, salina non eodem rejiciuntur modo; quae igitur pro illis a sanguine recipiuntur.

Sales alkalini quum albumen in sero solutum habeant, dubitare vix possumus, albuminis quoque qualitatem esse mutatam.

Et enim serum majorem illorem copiam acceperat; albumenque supra normam solvitur; ita, ut coagulandi amittat facultatem ac levitere sanguine emittatur, vasorum membranas permeans. Quod quidem sine dubio ipsorum aegrotorum adspectu affirmatur.

Procliviores enim ad albuminosas „transsudationes“ eos saepissime videmus.

Paucioribus in sanguinem receptis nutrientibus materiis, turbatio perfecte ex aequari nullo modo potest per copiosiores crebioresque materias nutrientes in intestina inductas. Quod quidem jam prohibent organorum sanguinem parantium mutationes, quae antea descriptae sunt. Inter haec organa hepar et splen primum obtinent locum.

Utraeque horum organorum functiones impediuntur. Neque enim sanguinis cellulae novae formari, neque consumptae illae reformari possunt, his organis tali modo aegrotantibus. In eorum vasis sanguis haeret, ideoque cavere debet facultate, crudas materias mutandi et ita consumendi, ut idoneae sanguinis cellulae formentur.

Haec tamen omnia, a norma discrepantia, usque ad subtiliores chemiae fines persequi, opus sane difficillimum est, cui par esse equidem non possum. At, circulationis turbationibus tali modo permanentibus, physiologia postulat, ut omnes organorum affectorum functiones ex toto mutentur. Itaque contendere ausim, splenis quoque functiones longe prius turbari, quam demonstrari possit. Hujus enim organi peculiaris textura obstare mihi videtur, ne leviores ejusdem alienationes scalpello demonstremus. De mutationum observatarum natura, genesi atque effectu ne verbo quidem disseram, ne risum concitem Lectoribus benevolis!

Notissimum enim est, nobilissimos, clarissimosque omnium seculorum scriptores de physiologicis splenis functionibus inter se maxime dissentire. De albuminosa vero lienis degeneratione tacere nolo. Ex sanguinis dyscrasia hyperalbuminosa eam pendere, equidem puto. Etenim, alia quoque organa ad similem degenerationem in

Digitized by Google

hominibus, corde laborantibus procliviora videmus; seriusque, dyscrasia, jam effecta, existere solent.

In vanis theorematibus diutius ne versemur, lienis morbos nunc relinquere et de ipsis renibus eorumque secretis omnino tacere liceat. Etenim, labori finem hic adducere oportet, quamquam plurima disputanda supersunt. De illo igitur Brighti morbo omnino taceamus, necesse est. Quod quidem eo libentius facio, quo magis rerum molem ferre recusant humeri!

Quam ob rem nihil quoque mihi dicendum est de variarum illarum turbationum therapia; ne quis jure dicat: quid novi homo novus afferet de his rebus maxime dubiis?!

Ut igitur Viri honoratissimi, doctissimi animo mihi propenso legere velint, quae scripsi, iterum ac saepius peto.

Digitized by Google

THESES.

1) Venaesectiones in hominibus, qui cordis vitiis organicis laborant, providentissime sunt adhibendae.

2) Krasis sanguinis, quae dicitur hyperalbuminosis ad albuminuriam cum vitiis cordis observatam magni refert.

3) Epithelia in villis intestinorum operculis stricte sic dictis non sunt praedita.

4) Resectio articuli genu nequaquam est rejicienda.

5) Chloroformium feminis graviter parturientibus sine dubio dari debet.

Digitized by Google

1857. VII.
MEDIC. V.

DE

LEMBERTI ENTERORAPHIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

FRIEDERICUS SCHUMACHER

FLENSBURGENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVII.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *W. F. G. Behn,*
h. t. Decanus.

Digitized by Google

De Lemberti enteroraphia.

Semestri aestivo, a. MDCCCLVI in nosocomio reverendissimi praeceptoris mei, Esmarchii Doctoris med. facta est operatio incarceratae hermiae cruralis, in qua operatione particula quaedam tractus gangraena affecta et perforata enteroraphiam postulabat. Adhibita est enteroraphia Lemberti, cujus praestantia, quum aegrotus undecim diebus postea propter gangraenam abdominis tegumentorum mortuus esset, sectione cadaveris denuo confirmata est. Historia morbi haec est:

Senex A. sexaginta duos annos natus jam decennium hernia crurali laboravit, ex qua quidem dolores et molestias non perceperat, dum initio mensis Junii anni MDCCCLVI obstipatio per quatriduum eum corripit et medicum consulere cogit. Mox, obstipatione non sublata, dolores vomitusque consecuti sunt et quum per taxin hernia reponi non posset, valetudo autem senis in dies deterior fieret, die 22. m. Jun. a. MDCCCLVI in nosocomium Friedericianum Kilianum receptus est.

In statu praesente omnes corporis partes sani erant, excepta superiore parte dextri cruris, ubi tumor repertus est, magnitudine ovi anserini, deorsum ligamentum Pouparti tangens, cujus superficies rubefacta erat, ita ut facile herniam cruralem agnosceres. Propter ejus superficiem inaequalem et tuberosam, praecipue omentum eo contineri putabatur. Quum valetudo aegroti magnopere turbari coepta esset, atque taxes frustra adhiberentur, herniae facta est operatio. Saccus herniae condensatus, aquam non continebat, sed praecipue omento concreto erat inpletus. Infra et intra omentum reperiebatur intestini pars incarcerata, longitudine quatuor digitorum, rufo vel coeruleo colore, quae oedemate intumuerat. Inciso ligamento Pouparti contigit, ut intestinum leniter tractum paullulum efferetur. Jam vero, ubi intestinum incarceratum fuerat, locus gangraenosus fere semidigitalis apparebat, cujus color erat mixtus inter ravum rufumque, in quo medio foramen aliquod in infundibuli similitudinem in

Digitized by Google

interiorem tractus partem penetrabat, parvae albae fabae et magnitudinem et figuram tenens.] | Acu anglica et tenuiore filo lineo duplicato Lemberti enteroraphia, et ea quidem a Dupuytrenio simpliciter reddita, adhibita est, omento ansa affixa et pars quaedam omenti pondere unc. j dr. jj scr. jj abscisa est. Inde haud magna exstitit haemorrhagia. Deinde, hernia reposita, externae cutis incisio nonnullis suturis claudebatur. Quo facto, aegrotus in cubili collocatus est, ut corpus integra quiete reficeretur. Ipsi tantum lac et aqua glacialis praebebatur, et in vulnere sacculus glacie impletus impositus est. Aegroti valetudo satis bona et peritonitis exigua erat, ita ut prosper successus certe exspectari potuisset, nisi septimo die post operationem factam gangraena abdominis tegumentorum, a cutis vulnere originem sumens, exstitisset. Octavo die sponte alvus dejectus est, i. e. duodevicesimo die post obstipationis initium; sed gangraena celeriter nunc per crus et thoracem usque ad axillam propagata est, ita ut aegrotus undecimo die post operationem factam collabens moreretur.

Spatio triginta sex horarum intermisso, cadaveris sectio instituta est a Webero, professore. Repertum corporis statum nunc describam. Gangraena abdominis tegumentorum usque ad musculaturam progressa est. Peritoneum hyperaemia tantum paullulum correptum est. Stomachus magnopere dilatatus est; in regione ejus pylorica unum ulcus sanatum, et infra pylorum in duodeni initio alterum adhuc apertum reperitur. Intestina gasis extensa sunt, et imprimis profundius jacentia rubriorem tenent colorem. Intestinorum membranae ibi exsudato inflammatorio infiltrata apparent, mucosaque paullulum tumida. Exadversus canalem cruralem pars intestini valde hyperaemica et cum aliis intestinorum particulis recentioribus adhaesionibus ferme concreta reperitur. Eam partem, quae juxta herniae portam sita est, incarceratam fuisse ex discolore ejus habitu facile cognoscitur. Eadem autem satis multo exsudato obducta est. Discolor intestini affectio circa quinque digitos sursum patet, sed membranae intestini firmae sunt. Pristino intestini ulceri, nunc exsudati copia fere oblito, angustia quaedam respondet intestini, digito adhuc facile permeabilis. Supra et infra locum incarceratum faeces et in ipsius intestini lumine filum lineum reperiuntur. Omentum majus in dextro latere sursum usque ad aperturam internam canalis cruralis porrigitur, ibique in eum penetrat. Reliquae corporis partes, praeter senectutis exordientis signa, nihil abnorme praebent.

Similem intestini per enteroraphiam Lemberti juncti atque persanati casum, in quo substantia trium digitorum ab eo abscisa erat, Dieffenbachius [1]) descripsit.

Quum jam antiquissimi chirurgi, quantum periculum ex vulneribus intestini oriri posset, satis bene perspexissent, Celsus ea per enteroraphiam sanari posse haud ignoravit. Sed post eum enteroraphia in abusum venit, ita ut medici ejus plane oblivisscrentur. Medio demum aevo, quum chirurgia denuo florere coepisset, viri

[1]) *Casper's Wochenschrift für die ges. Heilkunde.* 1836, *No.* 26. — *Froriep's chir. Kupfertaf. Heft* 76, *Taf.* 384.

Digitized by Google

harum rerum periti de curandis intestinorum vulneribus in diversas discessere sententias. Ambrosius Paré et Fabricius ab Aquapendente ea omnino pro mortiferis habebant; deinde etiam Scarpa [2]) quaque incisione spreta solam sanationis spem in peritonitico exsudato posuit, quo vulnus sponte oblineretur. Verduc et v. d. Wyl anum artificialem praetulerunt. Qui quum et ipse non solum molestissimus et ad sanandum difficillimus sit, sed etiam tantum ad eas intestinorum partes, quae a stomacho procul remotae sunt, adhiberi possit, rarissime a medicis factus est. Ejus autem loco enteroraphia iterum adhibita et commendata est, quamvis non sine multis multorum virorum vituperiis. Objiciebant enim enteroraphiam semper periculosam fore corporis violationem, vulneris margines licet consutos non accurate claudi, et deinceps ex filis remanentibus periculosam exsistere irritationem. Sed experimenta in animalibus [3]) atque imprimis in canibus instituta, in quibus intestinum deindustria violatum et denuo conjunctum est, violationem illam minime mortiferam esse ostenderunt. Ac Larrey [4]) quidem, quum multa animalia talibus experimentis tentasset, enteroraphia absoluta vulneris margines sponte conglutinari declaravit. Sin vero ii cum abdominis tegumentis aut organis circumjacentibus conglutinarentur, ait, hoc sponte sublatum iri, dum margines intestini ab illis postea per peristalticos intestinorum motus separarentur. Objici non potest, animalium experimenta non valere ad homines. Nam secundum virorum doctorum disquisitiones et animalium et hominum intestina plane aequaliter exsudatum secernunt valde plasticum, id quod in hac re summa quaestionis est. Alii, intestini juncturam per enteroraphiam vitantes, ansa applicata, intestinum tantum acus punctionibus ad externos vulneris margines religant. [5])

Intestinum jungitur eo consilio, ut vulnus celerius sanetur; atque jungi quidem intestinum necesse est, quam accuratissime, ut extravasatio excrementorum, quin ipsorum gasorum in abdominis cavum vitetur, itaque non solum inflammatio, sed etiam anus praeternaturalis prohibeatur. Quam ob causam enteroraphia ubique ad vulnera transversa et longitudinalia, licet minima sint, adhiberi debet, et si vulnera recenti tempore formata sunt, et si propter gangraenam substantia amissa est, et totae intestini partes correptae sunt. Contraindicatio reperitur in vehementiore peritonitidis morbo et si vulnerati margines intestini jam cum adjacentibus organis ferme concreti sunt. Integram autem intestini juncturam nondum contigit, medicis ulla ratione plane feliciter assequi. Nonnulli directa via eam perficere conati sunt, eo, quod alienis corpusculis utebantur, quae aut ipsa intestinum conjungerent, aut tanquam fundamentum

[2]) *Ueber Schenkel- und Mittelfleischbrüche nebst Zusätzen etc. von Seiler. Leipzig* 1822, *p.* 280.

[3]) *Operative Chirurgie von Dieffenbach. Leipzig* 1848.

[4]) Observation sur une plaie du bas ventre avec lesion d'un intestin grêle etc. In Revue medicale 1820, Liv. IV, p. 77.

[5]) Reybard: Sur le traitement des anus artificiales, des plaies des intestins etc. Paris 1827.

Digitized by Google

essent suturae applicandae. Inducta enim illa corpuscula putabant, postea una cum excrementis dejectum iri. Priorem illam viam Denans[6]) tribus annulis argenteis introductis persecutus est; ad posteriorem methodum spectat sutura quatuor magistrorum (1560)[7]), sutura Du Vergerii, Ritschii, Sabatieri, de la Peyronici, Amusati et Henrozi.[8]) Eandem methodum undecim etiam annis abhine Moreau-Boutard commendavit. Experientia autem inductis illis alienis corpusculis et inflammationem augeri, et peristalticos intestini motus usque ad agritudinem accelerari, et in ipsa excretione, periculosam obstipationem effici, docuit. Accedit, quod ipsa eorum inductio difficilis est et profundiores requirit violationes, quibus inflammatio augetur. Alii chirurgi, superiore intestini parte in inferiorem invaginata, enteroraphiam adhibuerunt, in quibus sunt Louis, B. Bell, Chopart, Dessault et Ramdohr.[9]) Quali invaginatione efficitur, ut mucosa et superficies peritonealis se invicem tangant; atque diversae cutis membranae ex legibus physiologicis omnino conglutinari non possunt. Itaque junctura tantum ibi institui potest, ubi margo inferioris intestini serosam intestini invaginati tangit. Quominus hoc fiat, facile plane prohibetur eo, quod margo vulneris contractis musculorum fibris semper extrorsum flectitur. Accedit alia difficultas inde oriunda, quod superior ab inferiore intestini tractu nunquam certe distingui potest. Tinctorum fluidorum potus ad inveniendam superiorem intestini partem neque sufficit, neque commendari potest. — Praeterea dicis gratia commemorabo suturam pellionum a Larreyo, B. Bellio, Heistero,[10]) suturam transgressivam a Petito et Garengeotico[11]) et suturam ansatam a Richtero, Löfflero et le Dranio[12]) adhibitam.

Si paullulum substantiae amissa est, Astley Cooper et Travers locum vulneratum similiter ac si arteriam, ligatura aliqua constrinxerunt, et non sine felici successu.

Jobert,[13]) quum ad physiologicum statum in sanatione vulnerum intestinorum animum adverteret, quoniam solae serosae intestini partes plasticum excudatum secernunt, primus ante omnia postulavit ut in enteroraphia illae se tangerent. Margines vulneris extrorsum flexos introsum flexit, atque et in superiore et in inferiore parte totum intestinum acu perforavit. Deinde perforati intestini extremos margines ita contraxit, ut serosae sese invicem tangeret. Jobertum secutus est Lembert,[14]) (cui nonnulli scriptores perverse nomen indiderunt Lambertii) cujus operationis methodus, quum minorem intestini violationem permittat, per experientiam maxime probata est.

[6]) Denans: Recueil de la société roy. de medicine de Marseille. I. année, No. I, 1826.
[7]) Louis in Memoires de l'Academie de chir. Vol. III, p. 192.
[8]) *Froriep's chirurgische Kupfertafeln. Taf.* 383, *Heft* 76.
[9]) Moebii: Dissert. obsc. misc. Heimst. 1730. — *Froriep's chir. Kupfertafeln a. a. O.*
[10]) Instit. chir. Tab. IV, Fig. 20.
[11]) Traité des operations. Paris 1748, Vol. I, p. 168.
[12]) Traité des operations. Paris 1742, p. 80.
[13]) Sur les plaies du canal intestinal. Par. 1827. — Traité des maladies chirurg. du canal intestinal. Par. 1829.
[14]) Repertoire generale d'anatomie et de physiologie pathologique. Tom. II, 3e Trimeste de 1826. — *Froriep's chir. Kupfertafeln. Tof.* 181.

Digitized by Google

Primum per unum vulneris labium, ita ut inter locum perforatum et marginem intervallum trium linearum remaneat, acum transfigit in serosam, circiter unam et dimidiam lineam inter intestini membranas promovet atque serosam denuo perforat, ita ut inter hunc locum et marginem cruentum intervallum existat unius et dimidiae lineae. Eadem ratione in altero vulneris labio exadversus sito primum infigit acum, ita ut una et dimidia linea distet a margine, deinde infra serosam promovet, eandemque perforat, ubi acus tribus lineis a margini distet. Tum specillo vulneris margines, propter musculorum contractionem extrorsum versas in lumen intestini deprimit, atque super impressos fila leniter contrahit, nodoque chirurgico, supra quem, tam parva distantia quam fieri potest, fila abscidantur, connectit. Itaque in interiore intestini parte, vulneris margines in longitudinem replicati eminent, ita ut membranae earum serosae se invicem tangant: in exteriore autem parte tantum linearis quaedam depressio animadvertatur. Jam vero brevi tempore plastico exsudato non solum serosae intestini membranae, ubi sese tangunt, conglutinantur, sed etiam totum vulnus una cum filo obtegitur et firmus quasi pons formatur, dum infra ejus eae partes, qui filo constrictae erant, necrotice emoriantur, una cum filo in intestini lumen decidant et deinceps cum faecibus dejiciuntur.

Eundem eventum noster casus haud dubie habuit, nam ut jam supra diximus, sectione instituta non solum vulnus plastico exsudato plane conglutinatum apparuit, sed etiam filum in lumen intestini repertum est. Itaque noster casus praestantissimam Lemberti enteroraphiam summa cum utilitate adhiberi confirmat.

Ipse Lembert eam in animalibus, post eum primus Cloquet in hominibus cum fausto eventu adhibuit. Similiter res cessit posterioribus medicis: Nunncianti, Bouissonio, Bobrikio et Denanso.

Dupuytren Lemberti enterotaphiam simpliciorem reddidit eo, quod suturam nodosam sutura continua mutavit, cujus fines simplici ligatura colligantur.

Iisdem argumentis, quibus Lemberti, Gelyi quoque enteroraphia a multis commendatur, quae quidem multo difficilior est. [15])

[15]) Recherches sur l'emploi d'un nouveau procédé de suture contre les divisions de l'intestin. Paris 1844.

Digitized by Google

THESES.

I. Nulla hodie sine microscopio anatomia.

II. Inquisitionem in cancerem, ope microscopii factàm, non sufficere contendo.

III. Manus medici obstetricii optimum ad pelves emetiendas instrumentum.

IV. Vasorum sanguiferorum systema ubique clausum est, ita ut secretio normalis nisi exosmosi, haemorrhagia vero nisi ruptione fieri non possit.

Digitized by Google

1857. VII.
MEDIC. VI.

DE

STRUMA CYSTICA ACCESSORIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

ADOLPHUS CAROLUS SCHLÜTER

PINNEBERGENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F.^a MOHR.

MDCCCLVII.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *W. F. G. Behn*,
h. t. Decanus.

Digitized by Google

De tumoribus cysticis colli adhuc pauca scripta sunt et in libris chirurgicis haud bene de iis actum est. Omnium tumorum cysticorum colli saepissime strumae cysticae observatae et descriptae sunt, quae cum auctore Rokitanskyo in duo distinguantur genera, secundam strumarum formam obtinent, cystosam dico. Verum rarissime struma cystica, quae cum glandula thyreoidea non cohaeret, ideoque accessoria dicitur, et observata et descripta est. In hac dissertatiuncula mihi proposui, ut talem strumam cysticam accessoriam describerem et accuratius tractarem, atque spero fore ut aliquid certe ad doctrinam de strumis cysticis accessoriis et in universum de strumis cysticis conferam.

E. Gurlt doctor privatim docens in universitate Friderica-Guilielma Berolinensi omnes cystarum colli et praecipue strumarum cysticarum casus, de quibus adhuc actum est publice, colligere atque ex collectis universalem quandam doctrinam de cystis colli constituere conatus est.*) Lectores benevolos mihi licebit ad hunc librum revocare, qui diligentissime conscriptus et ad chirurgiam practicam utilissimus est. Si Gurlt suo jure cuique auctori credidit et confidit, certe ea, quae ex comparatis diversis operationis methodis et cujusque successu constituit, ad therapiam et hygromatum cysticorum et strumarum cysticarum multum valebunt. Omnibus adhuc notis cystarum casibus in uno conspectu propositis, diversas operationis methodos dijudicare ei difficile esse non potuit. Praeter praestantissimam therapeuticam illius monographiae partem nonnulla etiam de symptomatologia et anatomia cystarum perbene, de strumis autem cysticis accessoriis pauca dicta sunt.

Jam vero, occasione oblata ad Gurltii monographiam rediturus, nunc ad rem ipsam transeo mihi propositam.

Huic casui strumae cysticae accessoriae, quem tractabo, plane similis, quod sciam, publice nondam commemoratus est. Antequam de eo casu disseram et ad alios casus et recentiorum auctorum sententiam respiciam, breviter historiam morbi enarrabo.

*) *Ueber die Cystengeschwülste des Halses. Eine chirurgische Monographie von Dr. E. Gurlt. Berlin* 1855.

Digitized by Google

Virgo, viginti quatuor annorum, cui nomen erat Christina Jissen, Angla, die V m. Nov. MDCCCLVI in nosocomium Fridericianum recepta est. Tribus annis abhinc primum senserat tumorem in dextra colli parte oriri. Qui tumor, cum decem hebdomadum spatio magnitudinem ovi gallini assecutus esset, punctione apertus est. Quo facto fluidum pellucidum et cum sanguine aliquantulum commixtum evacuatum est. Duobus annis postea tumor, qui crescere non desierat, cum jam magnitudine caput infantis exaequaret, iterum punctione evacuatus est; fluidum autem evacuatum obscuriorem tenebat colorem cacaotico similem. Antequam oriretur tumor, crebris ait aegrota capitis doloribus se laborasse, qui postea cessissent. Menstruatio autem ex eo tempore inaequalis facta est. Tumoris causam traumaticam esse demonstrari non potest.

Status praesens. Aegrota bonae valetudinis esse videtur, neque, in dextra parte colli praeter tumorem tanti ambitus, quantum habet caput infantis, quicquam morbosi apparet. Tumoris ambitus circumscribitur superiore claviculae, anteriore musculi cucullaris et posteriore musculi sternocleidomastoidei margine, hic autem per tumorem aliquantulum elatus est. In anteriore parte tumor non tam certos fines habet. Cum glandula thyreoidea, quae non amplificata est, non cohaerere videtur. Super mobilem tumorem cutis moveri potest et sana est. Cum ex superiore in inferiorem partem astrictae taeniae super medium tumorem extendantur, in lacinias divisus videtur. Illae taeniae tumorem in anteriore et posteriore parte in modum duarum bullarum curvant. In hisce regionibus cutis tantopere intenta est, ut fluctuatio, quae quidem certe sentitur, minus appareat. Si anterior et major bulla premitur, posterior altior fit. Si utraque premitur tumor non diminuitur; itaque quae in eo insunt, in altitudinem deprimi non possunt. Impressione autem tumoris evanescit pulsus radialis in dextro brachio. Pulsatio in tumore non invenitur. Neque pressa neque non pressa cysta doloribus afficit aegrotam. Translucens non est. Quamquam neque glutiendo neque respirando difficultatem affert, tamen si anterior tumoris pars premitur, motus quidam glutiendi exoriuntur.

Die VI m. Nov. punctione facta VIII—X unciae obscuri, fere nigri et liquidi fluidi evacuatae sunt, in cujus superficie crystalla cholestearini nabant. Sedimentum sub microscopio magnas cellulas granulosas et parvas partes substantiae colloideae ostendebat. Ex inquisitione chemica eo multum albumen et albuminata natri contineri consequebatur. Quamvis cysta plane evacuata esset, sequente tamen die in prius volumen redacta erat, ita ut iterum per punctionem aperiretur. Evacuata est, pressione adhibita, parva quantitas fere puri sanguinis et aliquantum aëris, qui in tumore etiam per percussionem demonstrari poterat. Ambitus cystae hac evacuatione diminutus non est. Sequente die vehemens apparebat sugillatio totius regionis circumjacentis, praecipue deorsum usque ad mammam, quin ipsius mammae, qua de causa antea jam decretam evacuationem cystae cum sequente jodi injectione amplius differre placuit.

Digitized by Google

Operatio radicalis facta est die XV m. Nov. Sectione transversa et cutis recisione deorsum sursumque totus anterior cystae paries nudatur, scinditur, cystaque fusco congulato fluido evacuatur. Anterior paries fere digitalis est. Cystae sectae marginum non parva pars removetur et in microscopica perscrutatione cellulosa glandulae thyreoideae elementa ostendit. Cavum satis longe lineam mediam versus porrigitur; in posteriore ejus ambitu altera cysta sentitur, quam non aperuimus. Cavum evacuatum linteolis carptis refercitur. E cystae pariete, ubi sectus erat, tanta sanguinis copia profluebat, ut duodecim fierent ligaturae et postremo anterior cystae paries, ut profluvium sanguinis sisteretur, suturis nodosis ad margines cutis alligaretur. Aegrota ante operationem non erat chloroformata.

Glacies, ne nimis valeret reactio inflammatoria, adhibita est usque ad diem XX m. Nov.

Die XVII m. Nov. linteolorum strata superiora linamentis oleo infectis commutata sunt. Febris orta non erat.

Die XX. m. N. Vulnus a die XVII quotidie linamentis in concentratam jodi solutionem intinctis obligatur.

Die XXV m. N. Ligaturae sensim removentur. Quotidie mortuae tunicae cystae partes eximuntur.

Die XXVIII m. N. Cavum magnopere diminutum erat. Ultima ligatura removetur.

Virgo in universum bonae erat valetudinis, quare cum vulnus purulentatione in dies ad minorem ambitum redigeretur, paucis diebus intermissis, quia in patrium vicum redire cupiebat, vulnere linteolo, quod unguento cerato simplice oblitum erat, obligato, ex nosocomio dimissa est.

Hunc casum ita describam, ut ipsam historiae morbi progressum sequar. In eo plura videmus, quae propter theoreticam et practicam utilitatem digna sunt, ut accuratius cognoscantur. Cetera minus accurate explicari possunt et ea, quae illustrare non possum, missa faciam.

Si progressum strumarum cysticarum et strumae cysticae in nostro casu descriptae inspicimus, paucis verbis omnia de hoc dicemus. Qua contemplatione ea quae adhuc hac de re constant, confirmantur. Ut omnium strumarum cysticarum, ita hujus quoque conformatio tardior fuit. Triennio demum cysta capitis puerilis magnitudinem assecuta est. In compluribus casibus a Gurltio allatis ejus progressus etiam diuturnior erat, in nonnullis vero, qui ab eodem scriptore commemorati sunt, cystae magnitudo etiam celerius crevit. Inter celeritatem, qua strumae cysticae accessoriae et non accessoriae crescunt, aliquod discrimen esse demonstrari nequit. — Subitum cystae incrementum ita explicaverunt medici, ut illud ex profluvio sanguinis in cystae cavum sequi atque haemorrhagiam in eo casu externam habere causam, ut impressionis, percussionis, similium rerum, dicerent. — In nostro casu tantus erat tumoris

Digitized by Google

ambitus, ad quantum raro cystae crescunt; quin strumae cysticae accessoriae nullus casus notus est, in quo ambitus tumoris nostro similis fuerit. Heister quidem strumam cysticam observavit hominis adulti fere non minorem ipso ejus capite.

De aetiologia strumae cysticae et strumae cysticae accessoriae nihil constat. In iis regionibus, ubi strumae endemicae sunt, causa et origo hujus morbi ex diversis rebus deducta est, ut ex peculiari mineralogica terrae formatione, et ex aliis. Quodsi ne in hisce quidem saepius redeuntibus strumae casibus aetiologia caret dubitationibus, eo minus apparet, unde non endemicae oriantur, nisi quod cohaerere videntur cum iis, quae ad vitam sexualem pertinent. Quae quidem res ipsam morbi originem non declarat, sed minime negligenda est et quoniam nullam aliam tam certo novimus, quae alicujus momenti sit ad strumam cysticam et quia plures strumae non endemicae, in sexu feminino plus quam in masculino inveniuntur, denique quia glandulam thyreoideam in initio graviditatis, rarius etiam in anomaliis menstruationis paullulum intumescere notum est. Inaequalitas menstruorum etiam in nostro casu adfuit. Quin quum traumaticam originem virgo negaret, nullam aliam hujus strumae cysticae causam certe invenire possumus. — Struma cystica accessoria in universum duobus modis oriri potest, aut principio accessio quaedam glandulae thyreoideae fuit, aut plane separatim in tela cellulosa sub cute vel inter colli musculos formata est. Utramque enim revera observari ait Gurlt.

Satis autem explicari potest atque aliquid certe valet, quod in anamnesi nostrae morbi historiae dicitur fluidum, cum primum cysta evacuata esset, pellucidum fuisse, cum iterum evacuaretur, colorem habuisse cacaotico similem. Auctore enim Gurltio in pariete interiore cystae, quae in pleno sanguinis parenchymate glandulae thyreoideae versatur, vegetationes reperiuntur, in similitudinem illius parenchymatis permultis non astrictis laqueis vasorum tenuissimorum impletae. In iis causa est, propter quam fluidum in cysta tingitur. Principio enim fluidum dilucidum est nisi illa vasa externa aliqua tumoris affectione dirumpuntur, qua sanguinis profluvio facto, fluidi color mutatur. Si talis autem affectio non aderat, punctio a medico adhibita eandem coloris mutationem efficit. Cum vero punctione facta cysta evacuatur, aequalis pressio parietum cystae tollitur. Interna pressio minor fit quam externa, ita ut tenuissimis vasorum parietibus diruptis haemorrhagia exsistat. Itaque fluidum intra cystam porro secretum, clausa punctionis apertura, per sanguinem, cujus color solito more mutatur, cruentatur. Si paries cystae interior fluidum secernere desinit, sequitur, ut id, quod cysta continetur, solidius fiat, sed raro tale quid accidit. Pergit enim interior cystae paries liquidam massam secernere, quae cum sanguine miscetur, quo evenit ut contentum illud, colore cacaotico simile fluidum inventum sit. — Quae res una cum aliis infra allatis multum ad confirmandam diagnosin differentialem inter hygromata cystica et strumas cysticas confert. Secundum solam externam tumoris formam et saepe etiam secundum ejus sedem, ut in nostro casu, dijudicari nequit, utrum tumor

Digitized by Google

in hygromatum cysticorum an in strumarum cysticarum numero habendus sit. Itaque si post primam talis tumoris punctionem dilucidum fluidum evacuatum est et ex jodi injectione statim sanatio sequitur, facile accidere potest, ut medicus sibi videatur hygroma cysticum curasse, cum tamen strumam cysticam et verisimiliter accessoriam adesse neglexerit. Sin vero post primam aut post secundam punctionem fuscum fluidum evacuatur, erit suspicio tenenda, num forte tumor curandus ad strumarum speciem pertineat. Nam excepta sic dicta cysta sanguinis, rarissime observata, in hygromate cystico fere nunquam hämorrhagia fit, quoniam ejus parietes plerumque nimis fibrosi sunt et raro vasibus abundant. Cum hygroma cysticum struma cystica eo minus facile confundi videatur, quo magis tumor in latere colli sedem habet, ad illud symptoma animus magnopere est advertendus; nam etiam in latere colli strumam cysticam et eam quidem accessoriam oriri posse et ex nostro casu sequitur et jam diu constitit.

Mirari subit, quod aegrota eo tempore quo magnus ille tumor formatus erat, fere nulla alius morbi symptomata praebuit, prius vero quam tumor oriretur, crebrioribus capitis doloribus laboravit. In fere omnibus magnarum strumarum cysticarum casibus, quos Gurlt attulit, congestiones ad caput apparuerunt. Nostro autem in casu verisimile est capitis dolores ante formatum tumorem, cum mensibus puellae, qui inaequales fieri coeperant, cohaesisse, postea autem aegrotam neque capitis doloribus neque omnino congestionibus ad caput vexatam esse propterea, quod venae non premebantur. Num forte res similiter se haberent in aliis strumis cysticis accessoriis, Gurlt non indicavit; ex uno autem casu diagnostica momenta colligi non possunt. Ex mea sententia tumoris sedes forte quadam et fortuna prohibuit, quominus congestiones ad caput orirentur.

Tumoris formationem et mensium perturbationem cum nulla alia constitutionis perturbatione conjunctas esse, bona valetudo aegrotae, sicut in statu praesente historiae morbi indicatur, ostendere videtur. Quibus de rebus non opus est ut pluribus disseramus. Nam morbi alicujus symptomata generaliora in reliquo corpore si accedunt ad strumam, digna quidem sunt, ad quae medicus respiciat, sed secundarium locum tenent et ex locali ipsius strumae naturae et perturbatione pendent, nisi alia symptomatum causa vel morbus quidam, cujus natura a struma deduci non potest, adsit.

Sedes tumoris mira est ob eam ipsam causam, quia de struma cystica agitur; de qua quidem in statu praesente historiae morbi sermo nondum factus est; cysta enim pro hygromate cystico habebatur praecipue propter ejus sedem et quoniam nullo modo cum glandula thyreoidea cohaerere videbatur. Si in anamnesi ea, de quibus supra dixi, accuratius respecta essent, diagnosis fortasse minus certo ad hygroma cysticum directa esset; immo dubitatio oborta esset, utrum tumor struma cystica accessoria esset. — Gurltio enim auctore necesse non est, ut cystam strumosam cum glandula thyreoidea cohaerere demonstretur. Talis enim connexus revera latere

Digitized by Google

potest medicum si forte cysta longius a glandula thyreoidea distat et per nimis tenuem laxamque substantiam cum glandula illa connectitur, quam ut respirando et glutiendo moveatur. Quin accidisse ait Gurlt in nonnullis casibus, ut jam supra dixi, ut cystam omnino non quidem cum glandula thyreoidea cohaerere, sed tamen ex parenchymate, quod et intra et circa cystae parietes repertum esset, eoque simili atque ex quo ipsa glandula thyreoidea constat, ortam esse, anatomica sectione demonstraretur. Qualem strumae speciem, Porta et Rokitansky strumam cysticam accessoriam nominaverunt. — Diversas sedes habere potest, aut in dextro aut in sinistro tracheae latere, ita ut dextro aut sinistro cornu glandulae thyreoideae respondeat, aut denique magis in medio collo, ita ut mediae glandulae thyreoideae respondeat et ab aliqua ejus parte originem sumere vel ipsa ejus accessionem formare videatur.

Omittendum non videtur in strumis cysticis accessoriis adhuc tantum minores cystas repertas esse, dum contrarium in nostro casu observatur. Tumorem ex duabus cystis constare operatione ipsa confirmatum est. Anterior quidem cysta magnitudine posteriorem multo superabat, sed haec quoque magnum habebat ambitum. Quantus cystae anterioris ambitus fuerit, ex eo consequitur quod VIII—X unciae fluidi in ea inerant. Cruveilhier in strumis cystas tantum avellanarum magnitudine invenit. — Taeniae illae, quae manibus sentiebantur et quibus tumor tantopere intendi videbatur, ut curvatus in modum duarum bullarum etiam bipartitus esse videretur, nihil aliud sunt quam crassior paries et elementa telae cellulosae solidiora. Haec quidem elementa hoc loco ita secreta sunt, ut diversis dimensionibus quasi sternerentur, et hoc modo in quandam taeniarum similitudinem conformarentur. Quibus laciniata esse cysta videbatur. Laciniatae strumae cysticae saepius observatae sunt: interdum multiplici modo divisae erant; in nonnullis vero casibus cysta non erat in partes divisa. Sententiam dicere audeam, in strumis cysticis accessoriis cystarum quantitatem non tantam esse, quanta est in strumis cysticis vulgaribus, quia illud parenchyma glandulosum ex quo oriuntur strumae cysticae accessoriae minorem habet ambitum, quam ipsa glandula thyreoidea. Et verisimile est cystas in strumis cysticis accessoriis non tam laciniosas vel partitas inveniri, quam in strumis cysticis vulgaribus.

Tumor in historia morbi dicitur, cum in luce poneretur, non transluxisse. Quod experimentum a multis auctoribus ad diagnosin confirmandam adhibitum est. In nonnullis casibus contigit medicis, ut hac ratione inter cystam pellucido fluido impletam et fuscius tinctam et carcinoma medullare satis certum discrimen invenirent. Saepius autem Gurlt dicit fallax esse hoc argumentum. Si ex fluctuatione parum perspicua dubitatio oboritur, utrum tumor aliqui cysta sit an carcinoma medullare, et radii solis vel lucernae alicujus per eum non perlucent, cave ne praepopere diagnosin finias, potius suspicionem teneas, num forte tumor cysta sit cum crassioribus parietibus, quam ut lux per pellucidum fluidum pellucere possit. Cystarum strumae parietes

Digitized by Google

fere semper valde crassi sunt, ut noster casus docet. — Facilius vera diagnosis finietur, si ipsa cysta seu tumor punctione tentatur. — Sin vero ex illo experimento nihil certi concludi potest et si quis differentialem diagnosin inter strumam cysticam accessoriam et carcinoma ex signis praesentibus cum magna verisimilitudine finire cupit, non erit obliviscendum, carcinomate fere semper dolores excitari, strumam autem cysticam accessoriam doloribus localibus vacuam esse.

Jam vero statu praesente illustrato ad eam historiae morbi partem transeamus, in qua de therapia tumoris agitur. In nostri casus therapia nonnullae res haud minimi momenti sunt ad theoriam et curam similium casuum. Etiamsi singula, quae afferam, nova non sunt, nonnulla tamen spero fore ut accuratius explicare possim, quam adhuc explicata sunt, et magnopere gaudeo, quod certe differentiali diagnosi et indicationi lucem aliquam addere possum.

In historia morbi narratur, primum punctione facta cystam evacuatam esse. Attamen ex eo, quod postea dictum est, vulneris curandi causa jam injectionem jodi decretam fuisse, colligo illam evacuationem tantum experimentum fuisse, quo diagnosis firmior redderetur. Fuscum fluidum evacuatum est, in quo similiter, atque in aliis casibus jam observatum est, elementa illa et particulae, de quibus in historia morbi locutus sum, reperta sunt. Ex chemica ejus fluidi proprietate primo aspectu cognoscimus, illud ex elementis sanguinis extravasati et iis particulis constitisse, quae per interiorem cystae membranam secernebantur. Quid ex obscuriore per sanguinem facto colore ad diagnosin differentialem consequatur jam supra exposui; nunc occasione oblata non solum illam expositionem confirmabo sed etiam promisso supra dato satisfaciam, fore ut nonnulla ad diagnosin firmiorem reddendam afferam.

Post primam punctionem cysta penitus evacuata est. Sequente die eundem ambitum, quem ante operationem habuerat, recuperavit, ita ut secunda punctio institueretur. Sed nihil aliud evacuari potuit nisi quantitas fere puri sanguinis et aliquantum aëris, quem punctione in cystam penetrasse verisimile est. Unde vero factum est, ut volumine cystae non diminuto nihil praeter sanguinis puri parvam quantitatem evacuaretur? Ex mea sententia ejus rei causa haec fuit; post primam punctionem, quae antecedente die facta est, vehemens haemorrhagia in cystae cavum insecuta est, qua tumor in priorem ambitum redigeretur. Sanguis autem cum sequente die coagulatus esset, ex calamo trocarti defluere non potuit. Sanguinis, qui revera ex cystae pariete defluebat, exigua tantum copia erat, quia non solum coagulum sanguinis in cysta ipsa, sed etiam ipse calamus trocarti prohibebat quominus plus defluret. Operatio ad sequentem diem dilata est. Quo die reactio inflammatoria localis et satis ampla sugillatio cutis colli et thoracis usque ad mammam et in ipsa mamma observabatur. Ex puncta cute externa haemorrhagia secuta non est, quod eo explicari videtur, quod aperturae cutis et parietis cystae sibi non respondebant, ita ut sanguis defluere non posset. Gurlt nonnullos casus attulit, in quibus magna sanguinis

Digitized by Google

copia defluxit; in iis haud dubie neque cutis, neque cystae apertura loco mota erat, ita ut canalis punctionis cursum suum teneret. — Sanguinis extravasati sedes necesse erat sub cute esset. Fieri poterat, ut plena aliqua vena in cute violata esset, aut haemorrhagia ex ipsa cystae apertura nata est. Hoc postremum mihi quidem verisimilius videtur. In casu nonagesimo sexto, quem Gurlt affert, res similiter evenerunt. In eo quoque de struma cystica accessoria agitur et ecchymosis perinde atque in nostro casu ex pariete cystae originem sumere videbatur, propterea quod posteriorem incisionem vehemens haemorrhagia ex pariete cystae consequebatur. Si canalis directus manserat atque sanguis extrorsum profluebat, ecchymosis sub cute non apparuit. Itaque si huic illud praefertur, ita pungendum erit, ut canalis punctionis loco moveri non possit. Rectius vero est canale punctionis mota ecchymosin provocare, minus periculosam, cum haemorrhagia extrorsum difficile sistatur, sanguinis autem profluvium in extravasatione mox desinat, atque sanguis extravasatus brevi tempore resorbeatur.

Ad primam therapiam necesse non est, ut sciat medicus qualis sit cysta, nam quodque periculum quod fortasse e sede et magnitudine tumoris ad respirationem et deglutitionem vel ex congestionibus ad caput redundat, cysta per punctionem, aperta evacuataque tolli potest. Quo facto brevi tempore symptomata aderunt, ex quibus colligi possit, utrum tumor aliqui struma sit necne; atque tum quidem operatio ipsa radicalis instituetur.

Ad hygromatis cystici therapiam sufficit punctio et jodi injectio. Cystae parietes raro tanta crassitudine sunt, ut deformitas post cystam curatam remaneat; quod si eveniet, alia therapiae ratio eligetur. Strumae autem cysticae parietes fere semper tanta crassitudine sunt, ut radicalis totius tumoris curatio, sicut in nostro casu facta est, necessaria sit, et sola punctio cum consequente injectione jodi non sufficiat. — Haec therapia radicalis instituetur perinde, ac si ex punctione statim graviores haemorrhagiae extrorsum orirentur. Sed hunc casum praetermittamus, qui apud Gurltium commemoratus est.

Strumam cysticam et strumam cysticam accessoriam operationem radicalem postulare dixi. Tam certa autem therapiae indicatio non minus certam diagnosin differentialem postulat. — Ut repetam quod jam antea dixi, si post secundam punctionem fluidum fusci coloris evacuatur, suspicio erit tenenda, num forte cysta in strumarum numero habenda sit; etiam ad strumam cysticam potius dirigenda erit diagnosis, si ejus parietes magna esse crassitudine appareat. Parietes autem tumoris crassiores esse apparet, cum parum perspicua in eo cognoscitur fluctuatio, aut si tumor post evacuationem minime retinet magnitudinem, nisi forte praeter cystam evacuatam etiam altera adest, et prioris cystae evacuatae tunica tantum parum insignem tumorem format Deinde in strumarum cysticarum numero tumor habendus est, si brevi tempore post cystam evacuatam tumor iterum fluido impletur simul cum gravi ecchymosi

Digitized by Google

cutis circumjacentis usque ad mammam, quod saepius occurrit post strumae cysticae, rarissime post hygromatis cystici punctionem. Si ad haec accedit ut cysta sedem habeat in latere colli et mobilis sit et glutiendo et respirando non moveatur, tum struma cystica accessoria diagnosticari potest. — Qui ex hisce signis strumam cysticam agnoscere, id quod fere semper licebit, audacius judicat, quam ut secundum talem diagnosin justam eligere velit curationem, nihilo tamen secius ex iis decem, ni fallor, operationibus, quae ad tales tumores sanandos adhiberi solent et de quibus Gurlt disseruit, unam debet eligere, eamque optimam. Optima autem haud dubie ea est, quae in historia nostri casus die XV m. Nov. instituta esse dicitur. Sola punctione et evacuatione cystae ipse tumor fere nunquam sanatus est, nisi jodi injectio accedebat, ita ut punctio tantum experimenti gratia admittenda videatur. Jodi contra injectio fere semper instituenda erit; ea enim non solum efficit, ut cysta persanetur, sed etiam ad cystae parietatem paullisper resorbendum et tumorem minus turpem deformemque reddendum multum confert. Si vero medico propositum est, ut et tumor sanetur et cystae tunica quam maxime removeatur, illi operationi, incisio tumoris cum excisione partis parietis multo erit praeferenda. Vulnus, cum linteola carpta in ejus fundo imponuntur, granulatione sanatur, ita ut, particulis parietum cystae perpetuo degluptis, vulneris magnitudo in dies diminuatur et interdum tota cystae tunica decidente, nullum pristini tumoris signum remaneat praeter cicatricem paene linearem. — Haemorrhagia ex inciso cystae pariete mox sisti potest, dummodo in eum modum, qui in historia morbi describitur, margines interioris parietis cystae suturis nodosis cum marginibus cutis conjungantur. Qua methodo Chelius vir doctissimus ac praestantissimus, brevi tempore, ni fallor, abhinc, primus usus est. Deinde Esmarch vir doctissimus et praeclarissimus, Chelium secutus, eandem in hoc nostro casu adhibuit, cum tam prospero successu ut digna videatur, quam etiam in similibus casibus imitemur, dum, cysta percisa, ferri candentis ceterorumque collyriorum adjectio non quadrasset.

Ut vehementior localis reactio exsistat, quae ad persanationem necessaria, ad tunicam cystae expellendam certe utilis est, linteola carpta antequam in vulnere imponantur, fortiore jodi solutione tingi debent. Jodum idcirco tali in casu ceteris remediis praefertur, et quia vulnus inflammat quidem, sed non rodit, et quoniam ad resorbenda solidiora exsudata, sicut inter medicos constat, haud minimi momenti est.

Quae contra hanc operationem violatoriam et antiquiore et passim etiam recentiore tempore dicta sunt, non solum ex nostro casu sed etiam ex paucis a Gurltio allatis nihili esse apparet. Timebant enim medici aliqui, ne ex nimia inflammatoria reactione circa tumorem et purulentatio et puris abscessus desidentes formarentur et in systemate nervorum vasorumque valde noxia irritatio exsisteret. Sed praeter febrim haud periculosam ne Gurltio quidem casus noti esse videntur, in quibus post illam operationem, quae quidem raro adhibita est, symptomata gravioris morbi appa-

Digitized by Google

ruerint. In nostro casu ne febris quidem operationem secuta est. Cum praesertim glacies forte sit antiphlogisticum, quo in nostro quoque casu nimia localis reactio inflammatoria sublata est, nullum remanet impedimentum, quominus operatio illa radicalis exerceatur.

Si Christina Jissen, secundae non sanatae cystae magnitudine aucta, Kiliam redibit, sine dubio per eandem operationem iterum sanabitur.

THESES.

I. Chloroformium in naturae convenienter parturiente nunquam adhibendum est.

II. Abscessus inflammatorii optime incisionibus persanantur.

III. Optima in typhum remedia sunt acida diluta et regimen diaeteticum.

IV. Forceps sola tractione partum efficit.

Digitized by Google

1857. VII.
MEDIC. VII.

NONNULLA
DE
GENU ARTICULI RESECTIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA
PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
SCRIPSIT

JOANNES LUDOVICUS IBSEN
KILONIENSIS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR.
MDCCCLVII.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *C. C. Th. Litzmann*,

h. t. Decanus.

Digitized by Google

NONULLA DE GENU ARTICULI RESECTIONE.

Resectio articuli genu non est operatio, cujus origo recens est. Est enim, quantum scimus, prima resectio articuli atque primum anno 1762 a Filkin in urbe Liverpool est adhibita. Quam operationem mox sequutae sunt aliae aliorum articulorum resectiones, quae omnes fere in Britannia factae sunt. — Quum viginti articuli genu resectiones adhibitae essent, numerus mortuorum major fuit, quam in amputationibus femoris esse solet. Cui rei imprimis videtur tribuendum esse, quod resectio articuli genu, quae, id quod tacere nolumus, quum adhibetur, majores difficultates medico creat, per viginti annos sequentes omnino fere intermissa est. Tum rarius facta est usque ad nostram aetatem, qua complures medici, ut Simon, Baudens, Langenbek, Stromeyer, Esmarch, Lebert, Beck hanc operationem ab oblivione vindicatam in beltis, quae decennio novissimo in Helvetia, Italia, Slesvigia, Algeria, Badia gesta sunt, in militibus vulneratis denuo adhibuerunt atque methodo meliore inducta ad majorem simplicitatem perduxerunt.

G. B. Guenther in libro suo, qui inscribitur „*Lehre von den blutigen Operationen*," compluribus hujus generis oderationibus, quarum multae infelicem exitum habuerunt, enumeratis haec addit: „*Wenn man nun bedenkt, dass selbst diejenigen, welche nach langem Krankenlager und Ueberwindung von grosser Lebensgefahr das relativ glückliche Resultat darbieten, dennoch eine viel kürzere und unbiegsame Extremität behalten, und dass eine nicht unbedeutende Anzahl der Gestorbenen durch Amputation hätte am Leben erhalten werden können, so wird man wenigstens vorläufig geneigt sein, die viel kürzere und in ihren Erfolgen mit geringerer Gefahr und weniger Schmerzen verbundene Amputation der Resection vorzuziehen.*" Sed in hac tabella statistica, quam composuit Guenther, nonnullae ejusdem generis operationes, quae novissimis temporibus in Britannia factae felicem exitum habuerunt, non sunt enumeratae. De his aliisque id genus in Germania observatis operationibus Streubel professor in annalibus Schmidtii disseruit. Quarum operationum historias paucis verbis narrare in animo habeo.

Digitized by Google

Resectiones, quas Humphry in urbe Cambridge fecit.

1) Mulier viginti annos nata magna epiphysium femoris et tibiae dislocatione laboravit, quae arthrophlogosin genu erat secuta. In qua muliere resectio facta est, ita ut incisura cutis literae H similitudinem haceret, et patella exstirparetur. Post novem hebdomades vulnera ad cicatricem paene pervenerant. Post quinque menses ossa dissecta solide concreverant.

2) Nauta quadraginta septem annos natus propter fracturam patellae transversam, cujus fragmenta substantia ligamentosa quatuor pollices longa erant conjuncta, pede sinistro uti non potuit. In quo homine resectio facta est, ita ut sectio cutis in formam crucis adhiberetur. Post sex hebdomades vulnera ad cicatricem paene pervenerant et ossa solide concreverant. Post duodecim hebdomades pes totum corpus sustinere potuit.

3) Puer duodecim annos natus immobilitate articuli genu laboravit, ita ut crus et femur angulum rectum efficerent. Puero chloroformio sopito crus per vim extensum est. Sed pes corpus sestinere non potuit et contractura paulo post rediit. Resectio duabus incisuris semilunaribus facta est, ita ut patella relinqueretur. Post octo hebdomades sana erant omnia.

Resectiones, quas fecit Brotherston.

1) Puer decem annos natus habitu scrophuloso carie extremorum articulorum laboravit, ita ut artus esset apertus et vires essent exhaustae. Incissura semilunari adhibita post septem menses puer ad sanitatem redierat.

2) Puer undecim annos natus pyarthrosi laboravit, pure per fistulam emanante. Resectione eodem modo facta post septem menses puer ad sanitatem redierat.

Resectio, quam fecit Langenbeck.

Mulier viginti quatuor annos nata laboravit sarcomate medullari, quod magnitudine capitis infantis patellam et extremos femoris et tibiae articulos occupaverat. Totum fere vulnus post duo menses ad sanitatem erat perductum, sed callus non dum aderat.

Digitized by Google

Resectio, quam fecit Ried.

Vir viginti tres annos natus magna epiphysium femoris et tibiae dislocatione laboravit, ita ut pede prorsus uti non posset. Morbus ex arthrophlogosi genu ortus erat. Incisura semidigitalis facta est. Praeter extremitates articulares femoris tibiaeque capitulum fibulae quoque serra remotum est. Ossa remota majore ex parte 1½ pollices alta erant.

Quum convalesceret homo, erysipelata cruris inciderunt et semel atque iterum febre frigoreque jactatus est, atque abscessus in pede et sura nati sunt. Post sedecim hebdomades omnia erant sana. Crus vero tribus digitis erat curta.

Praeter hanc Riedius triennio novissimo duas alias fecit resectiones, quae felicem exitum habuerunt, quas non enarravit.

Sub anno 1856 nonnullae resectiones in annalibus ‚Lancet, appellatis narratae sunt, quas breviter enarrare constitui.

Rectiones, quas fecit Fergusson.

1) Juvenis duodeviginti annos natus habitu scrophuloso vehementi arthrophlogosi genu laboravit, ad quam removendam incisio adhibita est. Paulo post genu plus intumuit. Pus in saniem mutatum est et vires in dies decreverunt, ita ut Fergusson resectionem adhiberet. Aegrotus post duodecim hebdomades baculo utens ambulare potuit, post quatuor menses vero sine baculo ambulabat.

2) Mulier viginti annos nata habitu scrophuloso arthrophlogosi genu traumatica laboravit, quae postquam per octo menses remisit majore vehementia erupit, ita ut Fergusson rogatus a muliere, quae per duo annos hoc morbo laboraverat, resectionem adhiberet. Incisio cutis literae H formam habuit. Epiphyses femoris et tibiae magna ex parte confectae repertae sunt. Quam ob rem et femoris et tibiae pars quaedam patella relicta serra remota est. Tempore convalescentiae in femore abscessus ortus est. Post undecim hebdomades abscessus, qui in latere interno genu ortus erat, cultro evacuatus est. Post viginti hebdomades ankylosis aderat.

3) Mulier viginti sex annos nata habitu scrophuloso per complures annos arthrophlogosi genu scrophulosa laboraverat, ita ut crus paulum flexum esset et articulus genu cicatricibus magna ex parte esset oppletus. Quum mulier propter dolores vehementissimos a Fergusson petiisset, ut amputationem adhiberet, quamquam nulla articuli mutatio apparuit, quae hanc operationem postularet, Fergusson ad resectionem

Digitized by Google

accedit. Incisio cutis literae H similitudinem habuit. Dimidium pollicis femoris et tibiae vel minima pars remota est. Die decimo septimo mulier pyaemia mortua est. Mulieris mortuae extremitates articulares necrosi erant affectae.

Resectiones, quas fecit Erichsen.

1) Vir viginti duo annos natus, phthisi pulmonum affectus, arthrophlogosi chronica genu sinistri, in quo erat fistula, laboravit. Genu intumnerat, et flexum erat, ita ut moveri non posset. Resectio incisione semilunari facta est. Pars femoris 1¼ pollices longa et pars tibiae ¾ pollices longa relicta patella serra remota est. Abscessibus telae cellulosae convalescentia retardata est. Post quatuor menses ankylosis aderat est valetudo hominis melior evaserat.

2) Puer novem annos natus arthrophlogosi genu sinistri traumatica laboravit. In articuli latere externo fistula erat. Aegrotus permagna macie erat affectus. Vesicatoria et calor et cataplasmata nihil valuerunt. Relicta patella resectio facta est. Extremitates articulares molles, membrana synovialis pulposa erant. Tempore convalescentiae erysipelas cruris, in quo resectio erat facta, ortum est. Post sex hebdomades ankylosis aderat et post septem hebdomades vulnera ad cicatricem pervenerant

Resectio quam Partridge fecit.

Vir viginti tres annos natus arthrophlogosi genu laboravit, cujus causa erat ignota. Pyarthrosis cum doloribus vehementissimis effecit, ut resectio patella relicta adhiberetur. Incisio cutis litterae H similitudinem habuit. Extremitates articulares carie affectae cartilaginibus carebant. Post octo hebdomades ankylosis aderat et totam fere vulnus ad cicatricem pervenerat.

Resectio, quam fecit Cutler.

Juvenis quindecim annos natus arthrophlogosi genu, quacum fluctuatio erat conjuncta, laboravit. Quum incisio esset adhibita, vulnus in fistulam abiit, quam ob rem epiphysibus femoris et tibiae carie affectis resectio facta est incisura semilunari. Pars ¾ pollices longa superficierum articularium femoris cartilaginibus carebat, et os hoc loco molle erat. Quae pars serra remota est. Maculae in tibiae et patellae superficiebus articularibus, quae ulcerationem indicare videbantur, deletae sunt. Suppuratio copiosa et post tres menses mors secuta est.

Digitized by Google

Resectio, quam fecit Tatum.

Juvenis duodoviginti annos natus habitu scrophuloso per complures annos tumore albo affectus erat. In utroque latere patellae fluctuatio aderat. Quem tumorem nullum remedium potuit tollere. In utroque latere patellae articulus incisus est. Quum vulnera brevi tempore coissent, fluctuatio aucta est et dolores vix tolerari potuerunt. Itaque resectio articuli facta est. Incisio cutis litterae H similitudinem habuit. Extremitates articulares ossium vasculosiores, ceterum sanae inventae sunt. — Die decimo septimo juvenis pyaemiae mortuus est.

Resectio, quam fecit B. Holt.

Mulier quadraginta septem annos nata arthrophlogosi genu traumatica laboravit, quam arthropyosis et puris eruptio secuta erat. Mulier maxima erat ma ie affecta. Resectio incisione cutis semilunari facta est. Suppuratio erat modica. Sed decubitus defectusque virium secutus est, et mulier die duodecimo decessit.

Resectio, quam fecit Stanley.

Puella quindecim annos nata arthrophlogosi genu chronica laboravit, quae ut genu immobile esset at flexum effecerat maximumque tumorem attulerat. Resectio incisione semilunari facta est. Extremitates articulares inventae sunt cariosae. Patella, quae erat sana, relicta est. Reactio vehementissima doloribus micantibus secuta est. Musculi flexores maxima vehementia crus retrotraxerunt. Genu firmiter obligari non potuit, doloresque erant horrendi. Ut vita servaretur, amputatio femoris adhibita est. Post tres menses vulnus cicatricibus erat obductum.

Resectio, quam fecit Birkett.

Vir triginta quator annos natus arthrophlogosi genu sinistri rheumatica laboravit. Articulus tumens et impatiens tactus et immobilis erat, et homo saepe spasmis vehementissimis cruris, viribus deficientibus, vexabatur. Resectio facta est incisura semilunari. Cartilagines turgidae et ab ossibus disjunctae sunt inventae. Ossa autem pacne erant sana. Post octo dies dolores vehementissimi et spasmi secuti sunt. Quum ob rem post quinque hebdomades amputatio adhibita est, qua homini vita servata est.

Digitized by Google

Resectio, quam fecit Moore.

Vir viginti quatuor annos natus spontana tibiae luxatione ad externum laboravit. Articulus sine negotio moveri potuit, sed tactus impatiens et fluctuatione majore affectus erat. Resectio relicta patella facta est. Quinto die homo pyaemia decessit. Autopsia phlebitis suppurativa, renes hypertrophici et valde degenerati et granulosi inventi sunt.

Thompson exitu felicissimo resectionem adhibuit in homine, qui luxatione spontanea eaque veteriore laborans crure omnino uti non potuit.

Resectio, quam fecit South.

Puella quatuordecim annos nata genu dextrum habuit tumens et dolens, in quo cicatrices et fistulae inerant. Specillo adhibito os necroticum inventum est. Resectio incisura semilunari, relicta patella, adhibita est. Post quinque hebdomades vulnere ad sanitatem perducto ankylosis paene perfecta aderat.

Resectiones, quae fecit Price

1) Puella quindecim annos nata habitu scrophuloso tumore albo articuli genu sinistri, in quo nonnullae erant fistulae, laboravit. Doloribus non ferendis et spasmis vexabatur. Resectio sublata patella facta est. Incisura cutis literae H similitudinem habuit. Post decem hebdomades vulnus cicatricibus obductum, ankylosis paene perfecta erat.

2) Puer novem annos natus arthrophlogosi genu scrophulosa eaque vehementissima laboravit. Resectio sublata patella adhibita est. Post septem hebdomades ankylosis paene perfecta aderat.

Ex his viginti quinque resectionibus, quas narravimus, septemdecim nata ankylosi felicem exitum habuerunt, qua in re id quoque maximi est momenti, quod magna ex parte conditionibus infaustis factae sunt. Fuit enim, ut hoc probemus, in numero eorum, in quibus haec operatio adhibita est, vir phthisi pulmonum laborans, qui post hanc resectionem valetudine usus est meliore. Quod quamvis sit mirandum, tamen hoc multo est gravius, quod etiam homini cuidam, in quo post hanc resectionem symptomata pyaemiae apparuerant, vita servata est. Quem exitum habuerit resectio, quam narrat Langenbeckius, nihil certi statui potest, quum puer unum tantum mensem

Digitized by Google

observata sit. Verisimile tamen non est, hanc resectionem felicem habuisse exitum. In duobus hominibus post hanc resectionem propter spasmos et dolores vehementissimos amputatio adhibita, sed vita conservata est, ex quo id videtur patere, hanc resectionem prognosin amputationis nullo modo reddere infaustiorem. — In quinque illis resectionibus, quas mors secuta est, tres homines pyaemia decesserunt, duo autem homines virium defectu mortui esse videntur. Illa autem resectio, quam fecit Cutler, ea fuit resectio, qua pars tantum tollitur. Quae perraro felicem exitum habet, atque nullo modo commendari potest.

Quae quum ita sint, nemo potest negare, hanc resectionem saepenumero amputationi femoris esse praeferendam. Id enim omnes concedant necesse est, praestare crus habere. in quo ankylosis genu articuli adest, quam femur truncum, cui saepe vix pes ligneus aptari potest.

In resectionibus genu cutis in latere anteriore aut lobulo aut incisionibus transversis vel per longitudinem factis sejungitur. Lobulus aut quadratus est aut semilunaris. Incisiones transversae et per longitudinem factae et literarum T, H et crucis (†) similitudinem habere possunt. Nostris temporibus Sédillot et Jeffray alium cutis incisionis modum proposuerunt. Qui modus hic est: In utroque articuli genu latere incisione facta per longitudinem cruris resectio usitato modo perficitur. Atque negari non potest, multum interesse, quodnam incisionis genus adhibeatur; nam quamquam in genu articuli resectionibus id solum agitur, ut nascatur ankylosis, tamen res est magni momenti, pus commode defluere et crus firmiter ligari, quum ex eo pendeat spatium temporis, quo ankylosis oritur. Quod quum fiat celerius, si adhibetur genus incisionis a Sédillot et Jeffray propositum, hoc genus incisionis semper est praeferendum, praesertim quum hujus generis resectiones serra a Julio Szymanowsky Dorpatensi inventa reddantur faciliores. Ad quod id accedit, quod retractio tendinum musculorum extensorum, quae in ceteris resectionibus vitari non potest, hoc modo omnino vitatur. Quibus incisionibus, quae in omnibus illis resectionibus, quas narrivimus, non adhibitae esse videntur, nuper usus est Esmarchus doctor. Quae resectio, quamquam habuit infelicem exitum, tamen huic resectionum generi, ut mihi videtur, nullum detrimentum afferre potest. Nam exitus ille infelix et constitutioni tuberculosae mulieris, in qua haec resectio facta est, et infaustis nosocomii conditionibus tribui debet.

Ante nostrum tempus nihil medicos potuit movere, ut hanc rectionem adhiberent, nisi morbi genu, qui progrediente tempore amputationem exigere videbantur, ut

Digitized by Google

caries et infiltrationes quaedam extremitatum articularium et arthroxerosis. Adhibebatur igitur illis temporibus in aegrotis, morbis genu laborantibus, ut vita servaretur, eratque loco amputionis. Tum adhibebatur in vulneribus sclopeti, quum globus articulo genu intrato extremitates articulares commuinuerat aut quum aperto articulo ossa erant contusa ad arthrophlogosin periculosam praecavendam. Nostris temporibus etiam tum adhibetur, quum quis, cujus articulus genu morbo fuit affectus, pede uti non potest, ita ut medici crus alio modo habile redere se posse desperent. Quam operationem utrum liceat adhibere necne, diversa est medicorum sententia. Sed videtur licere, quum in his resectionibus minor partium mollium reactio sequatur et callus facimille oriri possit, quum extremitates ossium sanae esse soleant.

THESES.

1) Licet perforationem facere vivi infantis.

2) Ulcus syphiliticum primarium internis remediis curandum est.

3) Diabetes non est morbus nervi vagi.

Digitized by Google

1857. VII.
MEDIC. VIII.

NONNULLA
DE
OPERATIONE FISTULARUM VESICO-VAGINALIUM
ADDITA
DESCRIPTIONE QUATUOR EARUM CASUUM OPTIME SANATORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA
PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
SCRIPSIT

JACOBUS DÜHRSSEN
TELLINGSTEDTIENSIS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR.
MDCCCLVII.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *C. C. Th. Litzmann*,
h. t. Decanus.

Digitized by Google

Omnium morborum, quibus affligi possunt feminae, nullus gravior et acerbior est, quam fistula vesico-vaginalis, qua eae a quoque vitae fructu et congressu hominum excludantur. Quare ex pluribus saeculis medici omnibus viribus et summa intentione tales infelices a tanto malo liberare studuerunt et in huuc finem finem diversissimas curandi rationes commendaverunt atque excercuerunt.

Plurimis in casibus medici sutura cruenta ad curandas fistulas usi sunt. Roonhuysen*) primus operationem fistulae urinariae apud feminas proposuit et rationem operationis talem esse voluit, ut marginibus scalpello excisis fistula sutura circumvoluta congungeretur. Operationem ab eo propositam excercuerunt primi Vatio et Völter, qui pro sutura circumvoluta sutura noolosa usi sunt. Sed in saeculo priore haec opnratio a medicis omnino non approbata eoque mox in oblivionem adducta esse videtur, ita, ut ipse Heister in opere magno, quantum ego quidem reperire possum, fistulae vesicovaginalis et ejus curationis nullam mentionem faciat. Eodem modo alii quidam auctores, qui sub finem saeculi prioris scripserunt. Curationem fistulae urinariae apud feminas silentio pretereunt. Naegele**) iterum hanc operationem fecit novis correctionibus adornavit. Quem secuti sunt. Shreger, Wutze, Luke, Malagodi, Ehrmann. Kilian, Hayward, Blasius Colombat, qui omnes instrumenta nova et genera operationis diversissima excogitaverunt, vario modo margines fistularum excidentes, variisque suturis usi, ut sutura circumvoluta, nodosa, clavata, ansata. Sed de his omnibus operationis generibus Dieffenbach***) acute dicit, ea videri quidem differe, sed re vera fere eadem esse.

Quo modo, cum alii recentiores. tum Dieffenbach operationem excercuerint, breviter enarrabo.

Omnibus ad operationem praeparatis, catheter in vesicam inducebatur at aqua tepida ad vesicam et vaginam eluendam injiciebatur. Deinde, vagina speculo aut iis instrumentis, quae dicimus „Gorgerets“ apto modo dilatata, hamus duplex acutus in partem superiorem anteriorem vaginae inserebatur, itaque fistula detracta alioque ha-

*) Heel-konstige Anmerklingen. Amsterdam 1668.

**) Naegele, *Erfahrungen und Abhandlungen aus dem Gebiete der Krankheiten des weiblichen Geschlechts. Mannheim* 1812.

***) Dieffenbach, *Operationslehre* 13 *I.*

Digitized by Google

mulo fixata, scalpello tenui margines fistulae in paroa extensione excidebantur. Profluvium sanguinis jam diluendo cum aqua frigida supprimebatur et suturae, auxilio retinaculorum, in quibus acus finatae erant, applicabantur. Sutura nodosa plurimi, suturae circumvoluta pauci, ut Naegele. Roux, Wutzer, utebantur, quum illa facilius atque commodius, quam ista apponi possit. Post operationem catheter elasticus perpetua in vesica relictus est, ut urina, vulnus suturis conjunctum non irritans, semper effluere posset. Vagina linteolis carptis explebatur. Sed multis in casibus haec operatio eventum prosperum non habebat, quare complures auctores, ex quibus Dieffenbachium ipsum, Chelium, Roserum, nominamus, eam relinquebant et cauterisatione cum argento nitrico, tinctura cantharidum, ferro candente fistulas saepius quidem frustra curare conabantur. Quo modo exitus operationis et sutura et cauterisatioue excertita fuerit, optime e verbis Dieffenbachii, illius summi artificis operationum plasticarum, elucet, ubi confitetur: „Sanationem faustam fistulae vesico-vaginalis rarissime evenire, aut certe rariorem, quam exitum infaustum esse."

Nuper Jobert*) Parisiis alias rationes in fistulis per suturam cruentam curandis instituit, secundum quas plurimas fistulas sanatas esse, affirmavit. Operationem ita mutatam „opération autoplastique par glissement" nominabat. Atque Jobert quidem primus forcipibus Müseuxii utebatur, quos in orificium et collum uteri inserebat, et quantum sine damo fieri posset, detraheret, itaque aditum ad fistulam faciliorem faceret. Quod magni momenti esse videtur, quum hoc modo etiam eae fistulae, quas propter altitudinem, in qua positae erant et aditum difficilem prius nemo sutura curare conatus erat, facilius concludi possint. Deinde Jobert margines fistularum in magna entensione et in formam infundibuli, plerumque in transversa dimensione excidere solet et quidem ita, ut vaginae et vesicae parietes, qui loco fistulae conjuncti sunt per totam crassitudinem persecentur. Et in hujus rei negligentia potissimum causa posita esse videtur, propter quam operatio fistularum vesico-vaginalium tam saepe male evenit. Si enim margines non per totam crassitudinem secantur, et callositates remanent et superficies xulneris minor est, quo tum fieri solet, ut reactio inflammatoria satis idonea non apparcat et fistula se non conjungat. Suturas jam Jobert ita apponit, ut in distantia unius vel unius et dimidii Centrimetri a margine fistulae acum inducat et supter vulnus promotam in opposito margine pari distantia extrahat. Hoc enim modo prohiberi debet, quominus fina intersecent. Suturis dein conjunctis, Jobert incissiones laterales facit, quibus partes, quae fistulam circondant loco moveri debent, ita. ut partes conjunctae non amplius intendantur. Sed Dieffenbachius jam ejusdem generis incisiones, quamvis imperfectas excercebat. Jobert vero, has incisiones summi esse momenti putat, quare totum illud genus operationis, „opération par glissement"

*) Traité de Chirurgie plastique und Traité des fistules vésico-utérnes.

Digitized by Google

nominat. Sed incisionibus iis cum nimium tribuit, tum alia ratio inventa est, qua perfectissime prohibetur, quominus margines fistulae suturis conjuncti intendantur.

Simon*) Darmstadtiensis enim in Germania primus iisdem rationibus, quas Jobert usus esse videtur. Simon jam optime commoda cognoverat, quibus ille operationem fistularum vesico-vaginalium auxerat. Attamen casus quidam, in quibus eventus non tam faustus fuerat, genus operationis Jobertianum a vitiis non liberum esse, eum docebant. „Incisiones laterales, ait Simon, non modo non sine pericule esse, sed etiam in fistulis magnitudinis paroae vel mediocris plane esse inutiles, si suturae paullo longius a marginibus fistularum remotae apponerentur, in magnis vero fistulis non sufficere, quum iis non prohiberetur quominus fistula conjuncta intenderetur. Suturam simplicem porro apud fistulas majores vero, in quibus margines conjuncti valde extenderentur, necesse esse, ut acus in distantia unius Centimetria margine induceretur, ne fila persecarent. Tum vero facile fieri posse, ut margines etiamsi primum bene conjuncti esseut, mox se loco suo moverent, ita ut margo alter supra alterum promineret eoque conjunctio turbaretur. Si denique acus marginibus propius inducerentur, fila intentione magna persectura esse. priusquam conjunctio confecta esset.

Itaque, acubus longe a marginibus immissis, margines se non satis exacte contingunt, sin vero hoc eo vitatur, quod acus prope margines inducuntur, fila intentione majore persecant, ad quam tollendam iniesiones nullius sunt momenti. Quae, quum ita sint, nos non fugit, operationem Jocertianam, quamquam magna est utilitate damnis liberam non esse. Quae Simon alia quadam sutura, quam duplicem nomiat, ingeniose evitat.

Iste enim seriem duplicem suturarum nodosarum transversarum, quarum quaeque (sc. series) vario spatio a marginibus fistulae abest, apponit. Ea series quae longissime a marginibus fistulae abest et sutura externa seu retendens nominata est, efficere debet, ut partes, quae fistulam circumdant, ita ad ejus margines attrahantur, ut quaeque earum intentio subtollatur; serie deinde interna, quae sutura conjunctiva nominatur, efficitur, ut fistulae margines vulnerati arctissime conjungantur. Sutura jam duplici Simon in casibus pluribus, quos accuratissime descripsit**) usus est. Quorum casuum eventus tam faustus est, ut Simon dicat, prius sanationem fistularum vesico-vaginalium, etiamsi magnitudine parva et quoad situm opportunae fuissent, rarius contigisse, proximo tempore autem rarissime eventurum esse, ut fistulae non sanarentur. Et mehercule jure quodam hoc dicere potest, nullo enim tempore et nullis aliis operationis rationibus tam prospere cessit curatio fistulae vesico-vaginalis, quam in illis casibus, quos Simon descripsit. —

*) *Ueber die Heilung der Blasenscheidenfistel von Dr. Gustav Simon in Darmstadt. Giessen* 1854.

**) *Ueber die Heilung der Blasenscheidenfistel. Fall* 3, 4, 5, 6. *Deutsche Klinik No.* 30, 32, 35, 1856.

Digitized by Google

Nec minus vero memorabiles quatuor alios illis casibus addere possumus, qui a Doctore Esmarchio viro illustrissimo optime sanati sunt, quosque describere summa benevolentia et humanitate nobis concessum est.

I. *Lindner* marita annos triginta octo nata.

Statura parva et solida, forma et magnitudo pelvis normalis est. Anno 1853 post partum longum atque dolorosum et forcipe absolutum infantem exanimem peperit. In partu ruptura perinaei atque fistula vesico-vaginalis ortae sunt. Dustociae causa, quantum quidem comperiri potest, venter propendens fuisse videtur. Quamquam fistula hac laborabat, nihilominus gravida facta est et facilius sine auxilio medici mense Junio infantem iterum exanimen peperit.

Die duodevicesimo mensis Augusti 1854. Fistula in distantia digiti unius et dimidii supra orificium urethrae in medio pariete anteriore vaginae posita, rotunda et in diametro 3‴ longa est.

Operatio eodem die ita instituta est ut femina genibus et ulnis initeretur. Paries vaginae posterior speculo yaginae dimidio subtollitur. Forcipe dein Hunterii in fistulam imposito, haec detrahitur. Circum fistulam annulo latitudine 3‴ rescisso sutura ansata, digitis duobus a margine fistulae remota, cum filis firmis quadruplis et acubus valde curvatis applicatur fortiter constringitur. Injectio aquae in vesicam docet, fistulam optime esse clausam. Catheter elasticus in urethra permanet, per quam quaque hora dimidia injectio aquae tepidae in vesicam fit.

Die vicesimo quinto tertio mensis Augusti. Fila removentur, fistula sanata est.

Die vicesimo quinto m. Julii 1855. Partus novus. Forcipe difficillime puer vivus atque magnus evolutus est. Ortae sunt novae duae vistulae, quarum una major prope cicatricem fistulae prioris, altera minor in superiore parte vaginae prope labium anterius orificii sita est. Fistula minor, propter plicam, qua obtegitur, exploratione prima detecta non est.

Die decimo m. Decembris. Operatio fistulae anterioris. Sutura ansata eodem modo, quo pridem applicatur. Diebus sex post fila removentur. fistula sanata non est.

Die sexto m. Martis 1856. Operatio secunda. Fistula anterior vulneratur et sutura longitudinalis applicatur. Injectio aquae, quae deiude facta est, docet; aliam fistulam in superiore parte vaginae esse, quae etiam vulneratur at sutura longitudinali conjungitur.

Die decimo. Catheter exurethra elabitur, statimque e vagina urina effluit.

Die decimo primo. Fila removentur, fistula inferior sanata, superior vero sanata non est.

Die vicesimo quinto m. Maji. Fistula superior magna in extensione et directione transversa vulneratur, ita, ut pars labii anterioris orificii uteri rescindatur. Sutura firma applicatur. Diebus sex post fila removentur, fistula sanata non est.

Digitized by Google

Die tricesimo m. Julii. Labium anterius orificii et membrana mucosa conjuncta vesicae et vaginae spatio quatuor linearum in circuitu rescinduntur.

Sutura transversa applicatur et quidem sutura duplex. Suturae externae quatuor, internae octo.

Die tricesimo m. Julii. Catheter obturatur, pars parva urinae e vagina effluit. Cathetere priore remoto, novus inducitur et vagina linteolis carptis expletur. Primis in diebus linteola carpta aliquantulum per urinam humida, tum vero sicca apparent. Enploratio die octavo m. Augusti, fistulam sanatam esse docet.

II. *Josephine Brammer* uxor agricolae cujusdam Wrohensis annos triginta novem nata.

Anno 1850 conjugi nupta est. Anno 1851 post pariendi laborem per quinque dies infantem exanimem peperit. Quinto die post partum urina e vagina effluebat. Anno eodem in nosocomium Friedericianum recepta est, sed, operatione fistulae in intervallo nonnullorum mensium bis frusta suscepta, dimissa est.

Die vicesimo sexto m. Magi iterum auxilium petendi causa adventabat. Quum aegrota summa diligentia munditiam adhibuerit, nullae excoriationes genitalium et foetores inveniuntur. Quum vagina et vulva angustiores sint, fistulam sub aspectum ponere difficilius est. Quibus difficultatibus speculo superatis fistula apparet, quae tanta magnitudine est, ut commodissime digitis tribus aditum praebeat. Sita est prope portionem vaginalem, ita ut labium anterius orificii uteri marginem posteriorem fistulae in transversa dimensione sitae, formet. Speculo in vaginam inducto pars membranae mucosae vesicae magnitudine paroae nucis juglandis prolabitur.

Die octovo m. Junii. Omnibus apte praeparatis, operatio fit. Ab uno assistente simplici speculo corneo commissura posterior et paries vaginae detrahitur, assistens alter tenet crura et labia spatulis ligneis distendit. Forcipe Müseuxii portio vaginalis apprehenditur, hamulisque quatuor acribus partes, quae circum fistulam jacent, itaque fistula ipsa protrahuntur. In extensione fere dimidii digiti margo fistulae circumciditur. Pars plane circumscissa, cujus dimidium anterius labium orificii uteri est desecatur, ita, ut quasi annulus in lucem prodeat.

Fistula tum in directione transversa sutura duplici conjungitur, primum enim septem suturae externae filis crassis quadruplis et inter eas duodecim suturae internae filis duplicibus. applicantur. Quae suturae firmiter constringuntur. Aqua in vesicam injecta docet, fistulam perfectissime esse clausam. Catheter elasticus in vesicam inductur et hora quaque dimidia injectio in vesicam fit.

Die nono m. Junii. Nocte aegrota bene dormiebat; pulsus nonagies sexies repetitus. Die sequente dolores in alvo clysmate applicato mitigantur. In urina flocculi muci apparent, catheter renovatur.

Digitized by Google

Die decimo secundo m. Junii. Nocte catheter novus induci debuit, quum prior obturatus et incrustatus esset. Post catheterisationem aegrota rigore afflicta est. In urina coagula levia sanguinis et major copia muci inveniuntur.

Die decimo quarto m. Junii. Suturae, quarum nonnullae persecuerunt, removentur, fistula per primam intentionem omnibus locis perfectissime conjuncta videtur. Aqua in vesicam injecta ex ea per urethram ejicitur, nec ulla pars e vagina effluit. Vagina linteolis carptis impletur. Vespero ejusdem diei pars minor urinae e vagina effluebat. Exploratione invenitur, urinam e punctione acus non conjuncta effluere, vagina iterum linteolis carptis impletur. Die proximo major copia urinae effluebat, nova exploratio docet, angulum vulneris superiorem iterum solutum atque separatum esse, attamen maxima pars urinae ex urethra dimittitur.

Die vicesimo quinto m. Julii. Operatio eodem modo, quo antea instituitur, margines fistulae in majori extensione, quam in prima operatione excidunt et sutura duplici conjunguntur et quidem suturae quatuor externae crassae duodecim internae tenuiores applicantur, et, quantum fieri potest constringuntur.

Die undetricesimo m. Julii. Suturae removentur, fistula sanata est.

III. *Margaretha Gröpper* marita annos quadraginta duos nata.

Peperit infantes sedecim, quorum tantum unus vivit, ceteri enim praematuri erant. Femina habet ventrem propendentem. Die sexto m. Junii 1856 partus editur difficillimus. Curatio, quae a medico adhibebatur vitiosa erat. Primum enim expectando longum tempus amissum est, tum forceps applicatus de capite delapsus est. versio frustra tentata, exenteratio foetus incepta est, dum medicus alius versione infantem exanimem atque putridum extrahit. Secundo die post partum urina e vagina effluebat.

Die vicesimo primo m. Julii 1850. Genitalia rubra, excoriata sunt. Fistula in medio pariete anteriore vaginae sita est, pariterque ab introitu vaginae et portione vaginali abest, magnitudine tanta, ut apex digiti indicis penetrare in eam possit. Operatio fit ita, ut femina genibus et ulnis innitatur. Speculo dimidio fistula in aspectu posita et hamulis detracta margines spatio quatuor linearum in circuitu vulnerantur et in transversum sutura duplici conjunguntur. Suturae externae quatuor, internae novem applicantur. Curatio post operationem eadem est, quae apud alios casus.

Die sexto suturae removentur. Fistula sanata est.

IV. *Maria Fürst* Haderlebiensis uxor textoris alicujus mense Julio 1854 tantum naturae auxilio primum infantem peperit. Iterum gravida facta ventrem valde propendentem habebat, attamen fascia ventrali usa non est. Quum partus inceptus esset, dolores acerbissimi erant et, postquam per viginti quatuor horas duraverunt infans exanimis forcipe extractus est. Post partum aegrota vehementissimis doloribus affecta est in latere sinistro, simulque urina e vagina effluebat.

Digitized by Google

Die tertio m. Julii 1856. Omnis urina feminae stantis vel cuntis e vagina effluit, tum modo, quum femina in latere laevo vel supina sita est aliquantulam partem urinae retinere potest. Genitalia rubra, excoriata apparent. In pariete dextro vaginae digito uno post introitum vaginae plica cicatricosa et contracta invenitur, quo in loco paries vaginae cum parte interiore rami descendentis ossis pubis coalitus apparet, ita, ut vagina detrahi non possit. Digito uno et dimio supra plicam illam in eodem pariete vaginae fere digito dimidio infra portionem vaginalem alia plica cicatricosa est, cujus in medio foramen cum marginibus induratis magnitudine bullae mediocris specillo invenitur, e quo aqua in vesicam injecta effluit. Summa cum difficultate vagina non magis attrahi potest, quam ut fistula in aspectu ponatur. Die sequente fistula ipsa et partes circumjacentes in extensione unius Schillingi ferro candente fortiter uruntur et vagina cum lino xylino altmine consperso impletur. Secundo die post urina e vagina effluere coepit.

Die decimo tertio m. Julii. Cauterisatio eodem modo repetitur, quarto die post urina e vagina effluit. Exploratio quae nonnullis diebus post instituitur docet; fistulam minorem factam esse, quum bulla illa specilli, quae in prima exploratione est, in fistulam penetrare non possit.

Die octavo m. Augusti. Nova applicatio ferri candentis, sed frustra.

Die secundo m. Septembris. Iterum uritur ferro candente fistula.

Die undetricesimo m. Septembris. In antecedentibus diebus minor copia urinae e vagina effluebat, ex duobus nihil amplius effluxerat. Exploratio docet, fistulam esse clausam.

Si jam eventus suturae duplicis in nostris casibus rationem habemus, hunc plane cum illis, quos Simon descripsit, consentire, elucet. Et mehercule ipsa sutura duplici conditiones illae constitutae sunt, quibus solis sanatio bene cedere potest, hac enim sutura adhibita cum margines vulneris arctissime se contingunt, tum tensio quaeque, quae conjunctione fistulae oritur, sutura externa tollitur, dum margines sutura interna conjuncti firmiter coaliti sunt. Incisiones Joberti in nostris quoque casibus non necessarias fuisse vidimus. Tum solum incisio Joberti haud inutilis videtur, quum, fistula in orificio uteri sita, hoc dividatur, itaque anterius labium orificii uteri cum margine opposito fistulae sutura conjunguntur.

Deinde, quod magni momenti esse videtur, in nostris casibus suturae firmiter constrictae sunt et multo major suturarum copia, quam in casibus Simonis, adhibita est. Hoc enim solo fieri potest, ut conjunctio absoluta efficiatur, quod, si non fit, urina per vulnus penetrat, minima vero pars urinae per vulnus penetrantis efficere potest, ut conjunctio plastica turbetur. Magna revera pars eventus fausti in nostris casibus huic rei attribui posse videtur, quod multis suturis et firmiter constringendo

Digitized by Google

vulnus arctissime conjunctum est. Et Roser*) quam maxime constringendas esse suturas praescribit, tresque hoc modo sanatos casus fistulae vesico-vaginalis describit.

In casu quarto Simonis et secundo nostrorum, foramen parvum ex acus punctione haud conjuncta ortum esse, videmus, quod quidem operationi tribui debet, sed et rarius evenire solet, nec magni momenti esse videtur, quum talia foramina facilius sanari possint, nisi, quod, urina per hoc foramen penetrante, conjunctio plastica turbetur. Eadem causa fuisse videtur, propter quam in secundo nostrorum casuum superior vulneris angulus, quamvis clausus, iterum apertus est.

Haud negligendum deinde est, quod jam Jobert praescripsit, ut fistulae margines quam maxime exiderentur, cujus rei utilitas facile intelligi potest, quo magis enim a marginae fistulae remota incisio fit, eo integriores atque aptiores ad conjunctionem plasticam partes fiunt. Nostris in casibus margines 3—5‴ in circuitu excisi sunt.

In nostro casu quarto ferrum candens adhibitum est, non, quod suturae illud praeferebatur, sed, quum vagina cum ramo descendente ossis pubis coalita esset, nullo modo fieri poterat, ut fistula tantopere protraheretur, ut sutura applicari posset. Ferro candente saepius adhibito sanatio prospere cessit. Partes, quae fistulam circumdabant in majore extensione urebantur, quod primus Chelius praescripsit et magni momenti esse videtur, quia eae partes, quae margines circumdant cicatricosae et minus aptae ad conjunctionem plasticam sunt.

Sed plurimis in casibus, praesertim, quum hoc tempore sutura duplex felicissimum habuerit eventum, sutura ferro candenti praeferenda esse videtur, quo tum utendum est, quum fistula aut magnitudine minore sit, aut sicut in nostro casu ejus situ prohibetur, quominus fistula sutura conjungi possit.

*) *Archiv für physiologische Heilkunde, Jahrgang XIII. Heft IV.*

Digitized by Google

THESES.

1) Optimum remedium in typho ventilatio est.

2) Causa typhi et pestis unum idemque est contagium.

3) In splene corpuscula sanguinis oriuntur.

4) In pelvis coarctatione vel maxima abortus numquam instituendus est.

Digitized by Google

prospicere, ne arcus pubis inter expulsionem capitis prematur. Eodem tendit mutatio, quam totus corporis habitus hoc tempore subeat necesse videtur; quum enim humeri jam in pelvem descendant, vix autem aliter quam in diametro propemodum transversa in eam intrare possint, respectu habito cum inclinationis uteri, reliquum truncum continentis, tum positionis capitis: facile intelligitur, curvaturam foetus ei, quae primo expulsionis stadio et initio secundi aderat, nunc directe oppositam esse, dorso concavitatem praebente.

Quomodo ejusmodi habitus et situs corporis foetalis ad pressionem arcus et symphyseos pubis evitandam faciat, satis elucet. Sed non in hoc effectu summa ejus utilitas mihi posita esse videtur; efficit enim recurvatio corporis et inprimis reclinatio capitis, prout paullatim augetur ut vis expulsiva semper in alia atque alia cranii puncta directe agat, a media fere sutura sagittali in anteriorem frontis partem progredientia;*) id quod ad sinciput expellendum necesse videtur. Expulsioni hoc quoque magnopere inservit, quod capitis reclinati compressio potissime in diametro, ab articulatione occipitali ad frontem ducta exercetur, ita ut hanc diametrum partus tempore pollice fere dimidio breviorem esse putem, quam horis circiter 20 post partum praeterlapsis, siquidem e tribus tantum observationibus novissimo tempore factis opinionem mihi licet formare. Configuratio capitis ad partum apta in hac diametro deminuenda profecto mihi posita esse videtur; peripheria enim capitis per regionem spinae occipitalis inferioris et frontem ducta ea fere est, quae angustias genitalium externorum maxime dilatare solet; qua liberata, perinaeum magnopere tensum elasticitatis vi plerumque cito se retrahit, reliquam frontis partem et faciem liberans.

Haec fere sunt principia mechanismi partus normalis, cranio praevio, quae cum meis ipsius observationibus maxime congruere videntur, quae tamen non sine anxietate quadam exposui, quum partim ab opinionibus, quibus viri summa auctoritate valentes addicti sunt, longius discedant.

*) Ut in cranio, ita sine dubio in pariete posteriori canalis mollis vis expulsiva loços, quos directe propellit, continuo mutat a superiori ejus parte ad inferiorem vel anteriorem, vix tamen ad marginem perinaei, progrediens.

THESES.

1) Excitatio abortus nonnunquam licita esse debet.

2) Parvulae opii doses vulgo sunt evitandae.

3) Thoracentesis non semper rejicienda est.

Digitized by Google

1857. VII.
MEDIC. IX.

NONNULLA
DE
MECHANISMO PARTUS NORMALIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA
PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
SCRIPSIT

ERASMUS LAURENTIUS KRÜGER DR. PHIL.
BEFTOFTIENSIS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR.
MDCCCLVII.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *C. C. Th. Litzmann*,
h. t. Decanus.

Digitized by Google

Nomen Osteoïdis a Joanne Müllero,[1]) viro doctissimo, singulari cuidam tumori ossificato impositum est, quem ipse primus descripsit. Ejus osteoides novem casus a Müllero compositi, partim ex prioribus disputationibus hausti sunt, majorem partem in siccis nituntur praeparatis a Müllero exploratis. In solo casu tertio eo quidem a Ruffmanno[2]) etiam copiosius enarrato, omnes tumoris particulae chemice et microscopice exploratae sunt. Hujus praecipue casus rationem habet Müllerus, cum de osteoidum natura et proprietatibus ita fere disserit:

„Osteoidea, inquit, tumores sunt ossei ex massa ossificata, in cujus intervallis particulae aliae nondum ossificatae insunt, conformati. Eorum aetiologia obscura est; interdum quidem traumaticae affectiones demonstrari possunt, sed in aliis casibus eae plane desunt. Propter eorum progressum organismo periculosum osteoidea inter malignas formationes numerantur.

Plerumque ab uno osse profecta, finitimasque telas in suam substantiam mutantia celeriter crescunt et facile recidunt, intra majora vasa sanguinifera novas massas secernunt et, dum diutius persistunt, omnem valetudinem perturbant in similitudinem cachexiae carcinomatosae. Proprium vero est osteoidibus, ut etiam partes non osseas corripiant, et sive post sive ante amputationem cum nullo osse cohaerentia in mollioribus organis oriri possint. — A veris carcinomatis eo praesertim differunt, quod in evolutione sua stadio emollitici carent, neque in alia carcinomata transeunt recidiva. — A periosteo proficisci solent, crescunt autem modo celerius modo tardius, non raro usque ad enormem magnitudinem, figuram inaequaliter gibbosam et consistentiam plerumque firmam praebentia. Laevem enim corticem, ut enchondromatis, externa osteoidis superficies numquam formare dicitur. Osteoidis consecutivi vel gluta, foliacea forma, vel compacta ossea esse potest, quaecunque osteoidis primarii consistentia fuit. Subtilior massae osseae structura similis est atque normalis ossium, non ossificata autem tumoris pars plerumque consistentiae fibrocartilaginosae est, coloris e

[1]) *Ueber ossificirende Schwämme oder Osteoid-Geschwülste.* Archiv f. Anat. et Phys. 1843.
[2]) Tumoris osteoidis casus singularis. Diss. inaug. Berol. 1843.

Digitized by Google

glauco-albi, vasis abundans et quae discindi nequeat. Sub microscopio non plane perspicuam imaginem praebet spissi reticuli fibrarum cum parvis intervallis et multis cellis primitivis minoribus admixtis — quae similitudo cum primitiva partis jam ossificatae structura hanc quoque partem ad ossificationem praeparatam esse ostendit. In casu tertio, cum ossea tumoris substantia a Ruffmanno chemice exploraretur, centenae partes exsiccatae substantiae adustae 39,91 partes salium reliquerunt et quidem:

Calcariae phosphoricae	35,85
„ carbonicae	2,70
Magnesiae phosphoricae . . .	0,58
Natrii muriatici	0,26
ceterorum salium solubilium	0,52
	39,91

Itaque calcariae carbonicae minor copia aderat quam in sanis ossibus inveniri solet. Non ossificata tumoris substantia decoctum non chondrinum ut enchondroma sed collam praebet. Eo ipso osteoides differt a carcinomate medullari ossificato, cujus substantia mollis maximam partem albuminosa est.“

Quibus rebus constitutis Müller osteoidea tumoribus osseis ut propriam speciem adnumeravit, quae externa quidem superficie et natura anatomica propius ad enchondromata accederet, sed ab iis differret maligniore habitu, neque tamen vix exitu vel chemica compositione cum veris carcinomatis medullaribus consentiret.

Ut omittamus, quod Gerlachius opponere voluit, propter eorum raritatem osteoidum naturam parum certo demonstrari posse, etiam universalis eorum processus nil habet, quod non pluribus ceterorum tumorum vindicari possit; atque id cum de aliis rebus a Müllero allatis dictum esse volo, tum de malignitate illa osteoidum. — Nuper enim Virchow [3]) varias tumorum formas ex eadem primaria substantia oriri, varias cellarum formas ex eadem indifferenti cella primitiva prodire posse subtili inquisitione fere extra omnem dubitationem posuit. Eo igitur teste cujusque formationis malignitas inde pendet, quantopere et quam celeriter tela concrescat, ita ut ea certae cuidam formationi vel cellarum formae minime attribui possit. — Omnis contra tumor malignus fieri potest, quamquam alii saepius eo inclinant aliis. Praeterea quod ad enchondromata pertinet, jam nunc satis multi eorum casus observati sunt, qui celeri et pernicioso progressu cum veris carcinomatis plane comparari possunt; inter centum nonaginta casus Weber [4]) viginti duos invenit, in quibus partim topice partim universaliter enchondromata recidiva exstiterunt. — Deinde vero quod Müller osteoidibus proprium esse dicit, ut non solum primarie sed etiam in secundarie in mollibus

[3]) *Ueber die Combinations- und Uebergangsfähigkeit der Geschwülste; Würzburger Verhandlungen Bd. I.* 130.
[4]) *Die Exostosen und Enchondrome in anat. u. prakt. Beziehung. Bonn* 1856.

Digitized by Google

organis formentur, id etiam in enchondromata cadere recentioribus temporibus inventum est a Virchowio, confirmatum a Richetio,[5]) Volkmanno,[6]) Mulerto.[7]) — Porro ne id quidem recte se habet, quod osteoidea ab carcinomate medullari ossificato plane differre dicuntur, cum neque stadium emollitiei ostendant neque cum aliis carcinomatis formis alternent. Nam et casus quartus osteoidis a Müllero descriptus in emollitiem exit, neque emollities tam propria est carcinomatis, ut in iis semper occurrat, in ceteris autem tumoribus semper desit.[8]) — Deinde ei, quod dicit, neque osteoidea recidiva exstirpationem carcinomatum, neque osteoideum exstirpationem recidiva carcinomata sequi, observatio Waltheri repugnat, secundum quam (in casu septimo) remotis osseis glandulis axillaribus secundarius scirrhus oxillaris formatus est; de qua re Bardeleben[9]) quoque suo jure dicit, si Mulleri argumentatio ad alias carcinomatum formas adhiberetur, etiam carcinoma melanodes et epitheliale, quippe quae alias carcinomatum formas neque ipsa sequerentur neque ut recidivas adducerent, ex numero carcinomatum delenda esse.

Secundum microscopicam mollioris partis explorationem in casu tertio, Förster[10]) tumorem ut peripherieum enchondroma ex tela cartilaginosa maximam partem jam ossificata formatum significat, sicut Müller quoque mollem osteoidum substantiam similem esse dicit cartilagini osseae eo tempore, cum ossificetur.

Quod ossea autem tumoris pars minorem copiam calcariae carbonicae continet, per se non multum refert, siquidem Lehmann[11]) recte monuit, omnem chemicam aegrotorum ossium explorationem nihil valere, nisi simul histologica inquisitione status evolutionis tumoris accurate cognitus esset. Quo diutius enim tumor duraverit, eo magis ratio, quae inter substantias ejus anorganicas intercedit, alterabitur. — Etiam chemicae constitutioni partis tumoris non ossificatae a Müllero nimium tributum est, cum eam ut ex colla formatam enchondromati ut chondrinum continenti et carcinomati medullari ut albuminoso comparat.

Quaenam enchondromatum chemica natura sit, nequaquam constat inter viros harum rerum peritos, et ipse Müller, quanquam chondrinum proprium hisce tumoribus esse demonstravisse sibi videtur, in enchondromate parotidis collam invenit. Idem affirmatur a Valentino. — Fichte quoque in enchondromate praeter chondrinum collam reperit, quin Gorup-Besanez nil praeter collam. Quas differentias in diversis stadiis evolutionis tumorum positas esse elucet; quantopere vero in universum in diagnosi differentiali tumorum chemica exploratione errari possit, manifesto observa-

[5]) *Gazette des hôpitaux 1855, No. 95*
[6]) *Deutsche Klinik 1855, No. 51.*
[7]) Dissert. inaug. enchondromatis casum rariorem sistens. Lips. 1852.
[8]) *Förster, Handb. der allg. path. Anatomie p. 230.*
[9]) *Lehrbuch der Chirurgie. Bd. I, pag. 517.*
[10]) *Lehrbuch der spec. path. Anatomie, p. 698.*
[11]) *Lehrbuch der physiologischen Chemie, Bd. III.*

Digitized by Google

tiones illae memorabiles nuper a Virchowio [12]) et Webero [13]) publici juris factae estenderunt, secundum quas uterque vir doctissimus in substantia quae morphologice cartilagini plane similis erat chemica reactione mucinum invenit. Postremo vero, ut ad carcinomata medullaria transeamus, Müller ipse dicit atque ex suis ipsius explorationibus cognitum habet, ea non raro praeter massam albuminosam etiam substantiam continere, cui colla insit.

Itaque quas proprietates osteoidibus Müller attribuit, eae non sufficiunt ad novam tumorum speciem in anatomia pathologica constituendam; casus autem descripti tam parum ejus sententiam confirmant et tantopere inter se differunt, ut Förster [14]) osteoidea propter casum tertium in numero enchondromatum peripherico rum, Rokitansky [15]) eadem aliorum casuum gratia in numero carcinomatum medullarium cum stromate ossificato ponant.

Sed quamvis res ita se habeant, osteoidum notio nondum evanuit ex clinicis annalibus.

Difficultas enim inter varias tumorum formas accurate distinguendi saepe tanta est ut vinci nequeat. — Quam difficultatem Weber in capitulo de diagnosi enchondromatum copiose enarravit, ubi praesertim de malignis enchondromatis monet, quam parum eorum symptomata sibi constent, quantopere ea et superficie et figura varient, quam facile et chemica reactio et microscopica exploratio in errorum inducat, quam cellae cartilaginis similes sint cellis majore nucleo praeditis in carcinomate medullari saepius occurrentibus etc.

Quae quum ita sint clinicis certe ab enchondromate usque ad carcinoma medullare omnes tumores osseos, qui eodem maligno processu conveniunt, communi nomine osteoidum comprehendere licebit, dummodo eos anatomice inter se differre teneant.

Valde gaudeo, quod hic duos osteoidis casus, in nosocomio Fridericiano ab illustrissimo professore Esmarch operatos addere possum, quorum primus maligno enchondromati Weberi, alter ossificato carcinomati medullari respondet.

I. *Christianus Rathmann*, puer quatuordecim annorum, e sanis parentibus natus eum antea semper bona valetudine gavisus esset, die decimo mensis Novembris anni 1856 in nosocomio receptus est. In ejus superiore altero quadrante dextri humeri introrsum, in anteriorem partem versus et aliquantulum extrorsum tumor animadvertitur, magnitudine ovum anserinum aequiparans. Is uno anno antea primum observatus erat. Tum jam magnitudinem ovi columbini habebat et ex eo inde tempore

[12]) *Archiv p.* 253.
[13]) l. c. pag. 79.
[14]) *Lehrb. d. spec. path. Anat. p.* 298.
[15]) *Lehrb. d. path. Anat. I.* 265.

Digitized by Google

sine successu inunctionibus diversorum remediorum curatus est. — Aegrotus extremitatem libere et sine dolore movere potest, sed interdum in ea spontaneis doloribus penetrantibus pungitur. Tumor laevis apparet, ossea duritie, immobilis, cum humero coalitus, compressione vix dolens. — Ei adhaerent musculi detoides et pectoralis major, musculus biceps supra eum loco moveri potest. Loco tumoris maxima brachii circumferentia 27 Ctm. efficit. Punctio explorativa ubique substantiam duram esse demonstrabat, nisi quod in anteriore superiore parte contigit, ut paullo altius in tumorem penetraretur. Inde depromptae particulae, sicut sub microscopio apparet, ex substantia ossea et cellis cartilaginosis constant, quae in eo erant, ut ossificarentur.

Die undecimo mensis Novembris aegroti chloroformati operatio facta est hunc in modum. In interiore latere musculi bicipitis partes molliores supra tumorem sitae sectione longitudinali quatuor digitorum usque ad os ita disjunctae sunt, ut nervo musculo-cutaneo parceretur. Tum illis diductis a tumore praeparando omnes molliores partes quantum poterant solutae sunt. — Idem deinde in exteriore tumoris parte factum est. Tumor ita praeparatus in medio ab interiore parte extrorsum perforatus et serra punctoria in foramen inducta ablatus est. Una majore, pluribusque minoribus arteriis deligatis vulnus linteolis carptis impletum, in quaque incisione glacies imposita est.

Cum sequentes dies sine gravioribus perturbationibus peracti essent, die XVI mensis Novembris glacies removeri poterat. Sed quamvis vulnera granulationibus expleri coepissent, miros tamen dolores retinebant.

Die XXVI mensis Nov. primum inter uberiores granulationes nonnulla duriores intumescentiae observatae sunt, quae ad redivivum tumorem pertinere videbantur. Die VI mensis Decbr. novus ille tumor, qui praecipue a musculo bicipite proficisci videbatur, ambitum largum jam assecutus erat. — Die XII mensis Decbr. humerus secundum Lisfrankii rationem exarticulatus est. In microscopica tumoris exploratione praeter substantias supra indicatas multae cellae fusiformes apparebant. — Vulnus operationis initio perbene se habebat et in universum aegrotus bona valetudine gaudebat.

Sed inde a die XXVII mensis Decbr. in vulnere uberrimae granulationes apparebant, tactu valde dolentes et quae digito tangenti duriores videbantur. — Ut novi tumoris formatio quam maxime praecaveretur, aegroto quotidie una drachma unguenti kalii jodati inuncta et simul interne solutio kalii jodati praebita est. Atque hic quidem internus usus tantum breve temporis spatium perferebatur; inunctiones vero eodem modo per tres menses continuatae sunt, usque dum vulnus fere ad cicatricem venit. Tum puer dimissus est ea conditione ut domi usque ad integram sanationem eandem curationem continuaret.

II. *Andreas Hinz*, quatuordecim annos natus, quamquam in rebus iniquis adultus, tamen numquam antea morbis laboravit. — Mense Januario hujus anni

Digitized by Google

fortuito regionem suprapatellarem dextram intumescere animadvertit. Erat tumor consistentiae mollis neque sponte neque compressione dolens. Illo ab tempore autem tumor celerrime crescebat atque dolores adveniebant qui e tumore ad dorsum pedis propagabantur. Medicus tum advocatus cucurbitas ad tumorem applicari atque tum compressionem adhiberi jussit. Aegrotus XVII die mensis Junii in nosocomio receptus est.

Tumor circiter a medio femoris dextri incipiens et femur aequabiliter amplectens, deorsum paullatim crescens in distantia trium digitorum supra patellam circumferentiam maximam habet, tum autem ita decrescit ut regio infracondyloidea tibialis utraque mensuras aequales praebeat.

Mensurae erant:

	dextri,	sinistri
Circumferentia in altitudine trochanteri majoris	40	40 Ctm.
„ in medio femore	41	34 „
„ in distantia III digitorum supra patellam	53	30 „
„ in regione supracondyloidea tibiali	36	29 „

Tegumenta externa valde extensa, tumori non accreta, calorem auctam ostendunt. Tumor ipse nunquam dolorosus, consistentiam mollem habet, excepta parte posteriore quae solidior est. Praeterea duo loca magnitudine nucum juglandium condylis femoris respondentia et fluctuationem praebent et compressa dolores afferunt. Facultas cruris movendi non sublata. Die XXII mensis Junii ablatio femoris facta est. Haemorrhagia e venis dissectis copiosa erat; arteriis cruentantibus ligatura substrictis lobi suturis nodosis consuuntur.

Exploratio anatomica partis ablatae, articulatione aperta praebet massam sanguineam consistentiae gelatinosae, e fossa intercondyloidea provenientem, natam e parte minore tumoris, quae, cartilagine articuli perrupta, in fossa intercondyloidea paullulum prominet. Tibia nihil abnorme praebet. — Femore cum dissecto tumor videtur candidus, circum os positus et cum eo cohaerens, superficiei gibbosae; in peripheria consistentiae mollis est, in centro autem dissectus crepitat atque consistentiam duram, ossificatione partiali adductam, ostendit. In regione condyloidea utraque cavernae inveniuntur sero subfusco et detritu flavo impletae. Inquisitio microscopica structuram carcinomatis medullaris exhibet.

Primis diebus post operationem bene peractis, cum sanatio vulneris progressus faceret die VIII mensis Julii dolores in dextra thoracis parte exsistebant et respiratio impediri coepta est. — Exploratio pectoris in posteriore dextra ejus parte percussionis sonum infuscatum usque ad scapulae apicem, auscultatio in inferiore parte spiritum bronchialem praebet. Sequentibus diebus impedimenta respirandi augebantur, infuscatus percussionis sonus mox etiam ad anterius dextrum pectus pertinebat, et aegrotus die XX mensis Julii inter vehementissimam dyspnoen mortuus est.

Digitized by Google

In sectione sterno remoto in dextra pectoris parte majores tumores carcinomatosi apparebant, pulmonem obtegentes et in ejus parenchymate haerentes, in universum molliori substantiae carcinomatis medullaris similes. Massa quaedam carcinomatosa in mediastino sita, magnitudine pomum aequiparans, obtegit pericardium. — Pulmo sinister in inferiore parte cum pariete thoracis concretus est. A quinta et sexta costa carcinoma magnitudine ovo anserino par in cavum thoracis prominet. Porro in dextro femore prope ligamentum Poupartii nodi carcinomatosi apparent; reliqua organa libera erant.

THESES.

1. In dysenteria medicamenta optime in forma clysmatum applicantur.
2. Operatio oris leporini ante peractum tertium aetatis mensem instituenda est.
3. In suppuratione bulbi usus glaciei cataplasmatibus praestat.

Digitized by Google

Digitized by Google

1857. VIII.
MEDIC. XI.

NONNULLA
DE
QUANTITATE ACIDI SULPHURICI PER URINAM EXCRETI APUD HOMINEM
EO ACIDO INTOXICATUM OBSERVATA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

AUGUSTUS CONRADUS LUDOVICUS BLOCK

POETRAU-LAUENBURGENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

MDCCCLVII.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *C. C. Th. Litzmann*,
h. t. Decanus.

Digitized by Google

Nonnulla de mechanismo partus normalis.

Ut in ceteris quaestionibus physiologicis, quae primo intuitu ad forum matheseos, spectare videntur, ita etiam, si de mechanismo partus agitur, omnia fere fundamenta desunt, quibus theoria exacta et mathematica superstrui possit. Licet autem pariendi mechanismus calculo subjici vel penitus investigari nequeat, tamen prima etiam ejus elementa perdigna sunt, quae cognoscantur, et operae fortasse pretium erit, in ea inquirere, si forte ad ea eruenda et observationes, quae ad mechanismum spectant, recte interpretandas symbolam vel levissimam dare possim. Quum igitur, ipsa rei natura coacti, disquisitiones ad prima hujus mechanismi elementa restringamus, consilio nostro conveniens videtur, animum potissime ad partum normalem attendere; hic ceteroquin consideratione maxime dignus est; quamvis enim phaenomena pathologica multum ad conditiones physiologicas rectius intelligendas haud raro conferant, saepius tamen cognitio status physiologici et normalis casibus pathologicis eorumque tractationi lucem affert. Quaestio vero, quid ad normam referendum sit, quid a norma discedat, ut in universum, ita etiam quoad mechanismum partus solutionis perdifficilis est. Ne tamen in statuendis iis, quae ad normalem pariendi mechanismum pertineant, nimis erremus, opus est, magnum partuum et facilium et difficilium numerum observasse, mechanismum cujusque cum ceteris, quae praebuerit, phaenomenis comparasse, nec non cum summa diligentia in nexum causalem symptomatum inquisivisse. Permagni autem momenti videtur, cum experientia, quam explorationes solitae et vulgares suppeditant, animadversiones et observationes comparare, e quibusdam operationibus, e. gr. versione, repositione funiculi umbilicalis, solutione placentae, haustas. Introductio enim manus in cavum uterinum, et quidem variis conditionibus facta, non potest non servire ad peculiares uteri actiones penitius cognoscendas, cui sane, quod ad pariendi mechanismum attinet, primae partes tribuendae sunt.

At nondum occasio mihi contigit, tales operationes instituendi, quae functiones uteri mechanismo partus potissime inservientes dilucidare videantur. Nimis vero

Digitized by Google

contineant, pendere*) paucissimae tamen explorationes factae sunt, ex quibus eluceret, quousque normalis acidi sulphurici per urinam excretio in hominibus eo intoxicatis augeri posset; quam rem Orfilae observationes, qui experimenti causa animalia acidis mineralibus intoxicavit, attingunt quidem, non illustrant. Censuit igitur Orfila utiles esse tales observationes sive toxicologia sive medicinae forensi, quum in libro, qui inscriptus est toxologiae (*fünfte Auflage deutsch von Dr. Krupp*) pag. 94 dixerit: „*Da es nicht geleugnet werden kann, dass die Schwefelsäure resorbirt wird, so kann demnach bei Verdacht auf Vergiftung es nützlich sein, die Menge des aus dem Urin darzustellenden schwefelsauren Baryts mit der zu vergleichen, welche der Urin mehrerer gesunder Individuen liefert, wenn man im Darmkanale nichts finden konnte. Der Unterschied könnte so bedeutend sein, dass der Sachverständige hieraus eine Vergiftung vermuthen könnte* — at quantum physiologis etiam momentum sit, ut sciant, quousque acidi sulphurici et sulphatorum excretio per urinam augeri queat, non est cur amplius exponam. Contigit vero mihi ut de hac re in nosocomio Goetzii, professoris illustrissimi, praeceptoris mei summopere reverendi, de casu aliquo intoxicationis per acidum sulphuricum nonnulla observarem, quae edenda existimo. Nec casui ipsi digna deese puto, quae accuratius enarrentur.

H. J. Jöhnke, Brunsvigiensis, quinquaginta sex annorum, faber lignarius, potator, cum domi cum conjuge et filio rixatus esset, die duodetricesimo mensis Julii h. a. postquam ebrius largam tuberum solani tuberosi et lardi copiam comedit. subito concilium capit, sibi veneno mortem consciscendi. Hora post meridiem prima et dimidia acidi sulphurici plus quam unam unciam, cujus pondus specificum inter 1,840 et 1,850 variare solet, in via publica exhauriens statim prae dolore corruit. Una fere hora intermissa medicus aegroto adfuit, a nuntiis advocatus, qui Joehnkium in terra prostratum, querelas effundentem, faucibus spastice contractis evomentem viderant. Medicus ei majores lactis quantitates, postea largam etiam magnesiae copiam praebuit eumque in nosocomium transpostari jussit. Ibi tertia circiter post meridiem hora receptus meae explorationi atque curae demandatus est.

Aegrotus media est statura, mediocri musculatura et, quantum ex exploratione celerius instituenda cognoscitur, in organis ipsi infectioni acidi non expositis nullam ostendit alienationem. Roganti quidem satis bene respondet, sed propter narcosin alcoholi doloribus minus vexari videtur et querelas vix alta voce effundit. Attamen vultus dolorem et angorem prae se ferunt, facies collapsa et pallida est, nasus acuminatus et frigidus, oculi plerumque occlusi, halonati sunt, et corpus crebro et spastice contrahitur. Cutis acido non laesa esse videtur, quamquam et aegroti vestimenta per acidum in singulis locis corrosa sunt; et in externis oris angulis illae

*) Vide etiam: 1) Krause: de transitu sulphuris in urinam, Dorpati 1853, a quo Laveran et Millon (Annales de Chemie et Physique III. Ser. Tom XII. pag. 139) sulphur a medico datum in urinam transire posse negantes, refutantur. 2) H. Wagner: Viewegs Archiv 1854. 3. Vogel: Analyse des Harns pag. 204 et 205.

Digitized by Google

non animadvertuntur striae specificae, quae tam crebro post intoxicationes acidis mineralibus factas, nonnullis talis fluidi arrodentis guttis defluentibus, inde ad mentum versus apparent. Extremitates superiores et inferiores frigidae sunt et humidae; etiam frons sudore frigido obducta. Pulsus, parvus et debilis, interdum vix sentitur, octogies octies vel nonagies sexagesima quaque horae parte repetitus. Ceterum, cum in sinistro latere cubans saepius subitum tollat clamorem et continuo se circumspiciat cubatio in dexto latere eum doloribus minus afficere videtur. Regio epigastrica ubique maxime dolorosa est, paullo minus oesophagus in altitudine laryngis. Etiam abdomen dolere videtur, sed si digito premitur, satis molle est nec tympaniticum. Profundas in integumentis ventris sulcus supra umbilicum transversa dimensione ab altero adalterum hypochondrium porrigitur. Deglutitio neque impedita neque valde dolorosa videtur, sed tarda, crebrumque, nonnullis haustibus bene factis, in paralysi quadam bibitum fluidum in pharynge et oesophago retinetur et gargarizatur. Trachea et larynx non affecti sunt, respiratio non impedita, tussis omnino deest. Vox propter affectionem oris, lenis et supressa, sed articulata est. Sensorium antecedente sola crapula turbatum. Membrana mucosa labiorum et oris pallida laxa et tenuibus, albidis, taeniatis laciniatisque tsriis obducta est, inter quas nonnullae tenues rhagades in fundo rubrae et injecta vasa sanguinifera, pertinent. In angulis oris majores observantur rhagades albis marginibus circumclusae. Etiam lingua pallida albo contractoque epitelio maxime ad margines versus, obtecta; — similis apparet membrana mucosa palati. Spissior mucus, plerumque pauco sanguine infectus, intermisso vomitu, fere semper ex ore defluit. Evomita, colore e fusco-nigra, praeter multum sanguinem admixtum et alimentorum reliquias, largam continent copiam spissioris muci atque epitelii cum medicamentis inductis mixtam. Interdum copia quaedam sanguinis fere puri evacuatur. Reactio eorum, quae principio evomita erant valde acida, eorum quae postea evomebantur, propter magnesiam ustam, in excessu inductum, alcalica erat. Omnia autem evomita spiritum frumenti valde redolebant, et magnum acidi sulphurici copiam iis inesse per barytam muriaticam et plumbum aceticum facile cognitum est.

Quae cum ita essent, dubitari non potuit, quin aegrotus acido sulphurico mortem sibi conciscere voluisset. Quare continuo omnia antidota adhibenda erant, quibus letalis exitus verisimillimus fortasse prohiberetur. Ante omnia necesse erat ut corrosioni telarum organicarum occurreretur. Idcirco sexta quaque horae parte aegroto magnesia usta praebebatur, in dosibus cochlearium minorum, et ea quidem, ut acidum simul diluretur, multa aqua dissoluta; vomitioni autem fere perpetuae, quae remediis acidum carbonicum continentibus facile inhiberi potuisset, nequaquam occurrebatur. Quoniam vero conjunctione acidi sulphurici cum aqua vel cum basibus magnus et stomacho per gastritidem exortum irritato valde noxius calor gignitur, vesica glacie impleta aegroti stomacho imposita est et praeter magnesiae ustae frequentes quidem sed parvas doses frustula etiam glaciei et potiones mucilaginosae

Digitized by Google

glacie refrigeratae dabantur. Et primum quum pluribus explorationibus evomitum acidicam reactionem ostendisset, quamvix magnesia postremum nondum esset admixta, magnesia carbonica minus frequentibus dosibus, non intermissa refrigeratione et glacie, adhibebatur. Moderabatur dein aegroti vomitio, quin ab hora 6½ usque ad horam vespertinam 7½ omnino destitit, nec non dolores videbantur minores. Clysma octava hora vespertina ei applicatum defaecationem non effecit. Tum vomitus denuo incepit et sensim priore repetebatur frequentia. Pulsus etiam quum adhuc variabilis et octogies octies vel nonagies bis sexagesima quaque horae parte repetitus esset, magis magisque frequentior fiebat, ut nocturna hora undecima et dimidia centies tricies sentiretur, parvus quidem et debilis, paucis tantum et brevibus incursibus fortior. Respiratio in universum sedata et fere normalis manebat, sed undecima circiter hora nocturna ad duodetriginta etiam respirationes sexagesima quaque horae parte accelerabatur. Sensorium nequaquam affectum erat. Inde a duodecima hora nocturna aegrotus, perpetua fere et vehementi siti conflictatus, de summis in epigastrio doloribus conquerebatur, qui ne continuo quidem glacici usu et interno et externo, neque pluribus dosibus Morphii et hirudinibus ad epigastrium applicatis usque ad mortem deminuebantur, sed saepe tam vehementes erant, ut dolores in pharynge et oesophago omnino non sintiri viderentur. Aegrotus saepe se gerebat tanquam furibundum, exsilire volebat et rabidis manibus lecti parietes pulsabat. Tertia circiter hora matutina spasmi et paralyses in musculis massetericis et respiratoriis apparere coeperant, respiratio interdum cessabat et maxillae paroxysmo firmiter et spastice, quasi in trismo, comprimebantur, qui quidem impetus initio brevi tempore finiebantur. Abdomen neque expansum neque tympaniticum fiebat; aegrotus sui omnino compos manebat. Urinam aegrotus per totam noctem sine difficultate reddere poterat; nec faeces usque ad quartam horam matutinam dejecerat. Quinta circiter hora matutina tenesmus ortus est; aegrotus plus semel parvas quantitates faecium pulposarum, fusco colore tinctas, excrevit, semel sine voluntate. Sensim signa paralytica frequentius redibant, respiratio difficilior fiebat retardata et gargarizans, quin, saepe omnino cessabat. Glutire aeger jam non poterat. Spatio dimidiae horae intermisso rhonchus trachealis primum lenis, postea fortior oriebatur; extremitates algescebant; pulsus magis magisque debiliores, rhythmus eorum intermittens fiebat, denique omnino desinunt. Sexta hora matutina aegroti cruciatus morte finiti erant.

OBDUCTIO

sexta hora post mortem instituta, haec dedit quae sequuntur.

In externo cadavere nusquam signa laesionum vel arrosionum observantur. Corpus mortui parvum ostendit mortis rigorem et color cutis normalis est. Labium inferius valde pallidum, membrana mucosa marmorata paullulum erosa videtur; labium etiam superius pallidum est, nec laesum.

Digitized by Google

Integumento capitis detracto ex parvis venis cranii larga venosi sanguinis quantitas profluit. Calva ablata dura mater valde sanguinifera apparet. Ex venis prope sinum longitudinalem sitis sanguis effunditur nigricans et dilutus. In ipso sinu longitudinali larga inest quantitas sanguinis partim concreti. Dura mater albida, pia mater et arachnoidea turbidae sunt, et magnis laciniis a gyris cerebri facile detrahuntur; sub iis multa exsudata serosa inveniuntur. Gyri tenues sunt, sulci profundi, ita ut cerebrum paululum atrophicum appareat. Ventriculis lateralibus plus seri continetur quam solet et debet. Encephalo ablato magna quantitas fluidi serosi sanguinei in cavo cranii remanet. Ex arteria basilari ateromatose degenerata copia quaedam profluit sanguinis deluti, ex canale spinali magna quantitas fluidi serosi. Pia mater et arachnoidea in basi etiam encephali aliquantum turbatae sunt. Hemisphaeriis sectis cognoscitur vasis normalem sanguinis quantitatem contineri. Substantia cerebri in universum, praecipue autem corporis callosi et fornicis dura est, neque ventriculi laterales justo majores sunt, neque ventriculus tertius, cujus commissura mollis tenacior est. Plexus choroidei sanguine paullo plus quam normaliter rubefacti apparent. Sectiones per corpora striata et thalamos nervi optici nil praeter normam ostendunt. Pons Varoli, crura cerebelli et cerebri, cerebellum, normalem sanguinis copiam ostendunt et sana sunt.

Musculatura pectoris fusciore est colore, quam solet. Tela cellulosa retrooesophagealis et retropharyngealis oedematose infiltrata et injectione capillarum rubefacta. Sanguis venarum colli nigricans et dilutus. In posteriore parte linguae tegumentum crassitudine linear dimidiae, sub quo membrana mucosa rubefacta et textus cellulosus submucosus epiglottidis oedematosus. Membrana mucosa pharyngis striata, livida, passim arrosa, albo tegumento obtecta, quod usque in stomachum descendit. Membrana mucosa oesophagi etiamsi hujus tegumenti ratio non habetur, albicans, partim punctata, partim striata, parvis extravasationibus, obtecta et simul tumefacta. Tela cellulosa submucosa oedemate perfusa unius fere linear crassitudine est; muscularis tumida est. Aorta thoracica sana. Larynx ossificatus, cujus membrana mucosa, ut in trachea, copiosiori quam quo solet sanguine injecta. Tam in trachea quam in majoribus bronchiis liquor serosus et spumosus invenitur. Minorum bronchiorum membrana mucosa sana est. Sanguis in venis pulmonalibus valde dilutus; glandulae bronchiales parvae et pigmentatae. Pulmo sinister nonnullas adhaesiones inveteratas ostendit, in apice pigmentatus est, margo anterior emphysematosus, reliquus pulmo in posteriore parte oedematosus. Pulmo dexter thoraci et diaphragmati jam diu adhaesit; cujus parenchyma in posteriore parte marcidum est. Pulmo dexter sinistro paullo minor, aliquantulum oedematosus, aerophorus, in posteriore sola parte et inferiore minorem aërem continet, ubi atelectasin ostendit; tota inferior pars siccior etiam est sed sine hypostasi. — Pericardium paucostantum guttas limpidi fluidi.

Digitized by Google

continet. Cor normali magnitudine est; cujus atria et ventriculi haud multum sanguinis continent. Valvula tricuspidalis sana est. Cor sinistrum valde contractum; valvula mitralis est sana.

Superficies stomachi externa, inter jecur et colon transversum prominentis et expansi, partim sanguine sub tunicis stomachi extravasato, partim injectione capillarum valde rubefacta apparet. Omentum majus minus sanguiniferum est, cujus venae sanguinem vix liquidum continent. Fundus ventriculi dilatatus, et minus rubefactus. Stomachus complures libras fluidi satis diluti colore viridi-cinereo continet. Cujus membranae plus dimidio intumuerunt et rigidae sunt. Totus paries internus stomachi, excepto majoris partis fundi pariete nigro fere est colore et toros tumidos ostendit, inter quos membrana mucosa rubra invenitur. Ceterum in eo neque perforationes neque majores arrosiones apparent. Membrana mucosa et substantia granulosa et exsudationibus membranosis laciniatisque obtecta est, quae microscopio permulta nuclea, globuli sanguinis, coagula fibrinosa, corpora cytoidea, epitelia glandularum gastricarum esse cognoscuntur. Membrana mucosa fundi torosa est et colore pallido et rubro. Eadem, latitudine thaleri duplicis, ab illa nigra regione certis separatur finibus et prope et circa eam similes, membranae firmiter adhaerentes exsudationes inveniuntur. Vasa stomachi nigri fragilisque cruoris quantitates continent, quae ex coagulis fibrinosis et corrugatis sanguinis globulis constant. In regione pylori membrana mucosa paullo minus nigra est. — Lien parvus, laxus, marcidus. — Pancreas durum, granulosum, normali constitutione. — Fel in ductu choledocho normali consistentia et colore e fusco viridi. Membranae duodeni in superiore parte tumefactae videntur. Cujus in portione transversa superiore membrana mucosa sicut in stomacho fere carbonum aequiparat nigritiem, infiltrata et sanguinis extravasationibus obducta est. Magis deorsum versus in duodeno strata epiteliorum partim exsudatis mixta, in membrana mucosa valde rubefacta erant. — Intestinum tenue ostendit ruborem in longitudinem striatum et punctatum. Ad inferiorem intestini tenuis finem, invaginatio sine signo reactionis reperitur. In superiore ejus parte, ubi non continua quidem sed multa exsudata rubefactam membranam mucosam tegunt, omnia signa enteritidis crouposae observantur. Enteritis minor fit in medio intestino tenui, ubi rubor etiam, rigiditas, exsudata in membrana mucosa et in universum omnia signa morbosa fere desunt. — Membrana mucosa coeci mediocrem injectionem capillarum ostendit. Membrana mucosa intestini crassi usque ad rectum normalis. — Jecur justo minus et in superficie e gryseo-fuscum, magis quam solet, in superficie vero incisionum normali colore, fragile, marginibus acuminatis et parvis maculis superficiei adspersis; quae formam teleangiectasiorum habent. Cellulae jecinoris microscopio adiposae apparent. Fel, quod vesica fellea continet, non differt ab eo quod in ductu choledocho inest. — Ren sinister normalis, etiam dexter sanus est nisi quod cystam, magnitudine fabae, continet. — Urina vesicae turbida, colore saturato. Membranae vesicae

Digitized by Google

contractae, ceterum normales. — Aorta abdominalis, ceteraque vasa magna abdominis nihil morbosi prae se ferunt.

Exploratio chemica urinae et contentorum tractus digestionis.

Ut quantum acidi sulphurici adhuc in diversis viarum primarum partibus versaretur, et quantum jam ex sanguine in urinam transierit, quam rectissime aestimari posset, singulatim explorandum erat, quot partes centesimales acidi sulphurici in contentis ventriculi, in intestino crasso et tenui, in omni urina ab aegroto a tertia hora pomeridiana ad tertiam sequentis horam matutinam diei reddita et in duabus portionibus separatis collecta, denique in urina ex vesica mortui evacuata inessent. Analysis autem quantitativae haec erat ratio. Stomachus et intestinum crassum et tenue, priusquam e cadavere eximerentur, deligata sunt; exempta deinde leviter expressa et contenta singulorum in suum quaeque vas vitreum separatim inlata. Contenta stomachi (pondere circiter 1500 Gram.) cum in vas inferrentur, partim improvisso in terram profusa sunt, ita ut neque eorum pondus absolutum neque absoluta acidi sulphurici quantitos stomacho contenti accurate indicari et computari posset; quod quidem haud magni momenti est, cum ne in ceteris quidem portionibus tractus intestini contentorum quantitas absoluta acidi sulphurici accurate definiri posset, sed in eo potissimum versaretur exploratio, ut inveniretur, quot partes centesimales acidi sulphurici quaeque pars tractus digestionis contineret.

Contenta stomachi, littera A insignita, turbida erant et valde diluta, colore e gryseo-viridi, reactionis alcalicae pondere circiter 1500 Grm.

Contenta duodeni et intestini tenuis, littera B insignita, magis inspissata, colore e fusco-viridi, reactionis minus alcalicae, pondere 166 Grm.

Contenta intestini crassi, littera C insignita, pulposa, parietibus intestini adhaerentia, colore e fusco-rubro, reactionis neutralis, pondere 133 Grm.

Urina ab aegroto a tertia hora pomeridiana ad decimam horam vespertinam reddita, No. 1 insignita, parum turbida, colore flavorubro, fere fuseo (secundum normam Vogelii), reactionis acidae, pondere absoluto 875 Gram., pondere specifico 1,019.

Urina inde a decima hora vespertina ad tertiam horam matutinam reddita, No. 2 insignita, paullulum turbida, eodem colore, reactione et pondere specifico quo prius evacuata, pondere absoluto 640 Gram.

Urina e cadaveris vesica extracta, No. 3 insignita, turbidior, reactionis neutralis, pondere absoluto 25 Grm., pondere specifico 1,020.

Albumen in nulla portione urinae detegi poterat.

I. Quantum acidi sulphurici in urina insit, exploratur.

Urinae No. 1 et No. 2 insignitae quinquagena grammata (50 Gr.), urinae No. 3 insignitae, quum major quantitas non suppeteret, tantum viginti quinque grammata

Digitized by Google

(25 Gr.), separatim usque ad coctionem calefacta sunt; tum aliquantum acidi muriatici additum, postremo solutione barytae muriaticae in parvo excessu addita acidum sulphuricum cum baryta conjunctum praecipitatum est. Viginti quatuor horis intermissis pipetta liquor limpidus, qui supra praecipitatum sedimentum stabat, exhaustus, et quaeque portio in suo filtro chartaceo, quod adustum nullum daret cinerem, inlata; denique praecipitatum ipsum per aquam destillatam diligenter in aliud aliquod filtrum inlutum et ibi collectum est. Praecipitata singula, liquore defiltrato, primum aqua destillata, deinde ut substantiae organicae simul cum baryta sulphurica praecipitatae secernerentur, acido nitrico fervido, tum iterum aqua destillata abluta cum filtris exsiccata, in catino platineo, cujus pondus notum erat, deinceps imposita et, ubi filtrum in operculo catini igne deletum est, exusta, postremo ponderata sunt. Jam ex invento pondere singularum partium barytae sulphuricae quantitas acidi sulphurici computata est hunc in modum:

50 Grm. urinae No. 1 dabant Grm. 1,300 = 2,600 Ba. So^3 × 0,34309 = 0, 892034 So^3.
50 „ „ No. 2 „ „ 1,250 = 2,500 „ „ × 0,34309 = 0, 857725 „
25 „ „ No. 3 „ „ 0,085 = 0,340 „ „ × 0,34309 = 0,1166506 „

Secreta igitur sunt per urinam:

No. 1 (a 3. hor. — 10. hor. vespertin.) acidi sulphurici . . . . . 7,80529750 Gram.
No. 2 (a 10. hor. — 3. hor. matutin.) „ „ . . . . . 5,48944000 „
No. 3 (ex vesica cadaveris) „ „ . . . . . 0,02916265 „

in Summa 13,32390015 Gr. So^3.

II. Quantum acidi sulphurici in tractu digestionis insit exploratur.

Contentorum stomachi et intestini exploratio paullo aliter erat instituenda. Ut enim solutio salium acidi sulphurici, qui per barytam muriaticam praecipitandi erant, quam aptissima redderetur, necesse erat ut contenta intestini crassi quadrupla, intestini autem tenuis contenta per se dilutiora duplici tantum quantitate aquae destillatae, stomachi denique contenta liquida nequaquam diluerentur. Singula deinde reposita sunt, dum eorum partes non solutae se satis praecipitaverant, ut cujusque portionis „quinquagena grammata“ filtrari atque explorationi inservire possent. Contentorum igitur stomachi 50 Gr. — intestini tenuis 25 Gr. — intestini crassi 10 Gr. — explorabantur. Ad differentiam inter pondera specifica partium solutarum et non solutarum respectum non est. Omnibus tribus portionibus acido acetico neutralisatis albumen, quod in iis inesset, coquendo coagulatum est, fluidum deinde filtrando et abluendo a coagulo purgatum, postremo in singulis filtratis acidum sulphuricum eodem modo, qui suqra jam descriptus est, cum baryta conjunctum praecipitatum est. Ejus quantitas computata est hoc modo:

50 Gr. Lit. A (cont. stom.) dabant Gr. 0,039 = 0,078 Ba. So^3 × 0,34309 = 0,026761028 So^3.
25 „ „ B „ int. ten. „ „ 0,045 = 0,180 „ „ × 0,34309 = 0,061756209 „
10 „ „ C „ int. cr. „ „ 0,350 = 0,035 „ „ × 0,34309 = 0,12008150 „

Digitized by Google

Erant igitur in

stomacho	(Lit. A	1500 Gr. (?))	acidi sulphurici	0,40141530 Gr.
intestino tenui	„ B	166 „	„ „ „	0,10251529 „
intestino crasso	„ C	133 „	„ „ „	0,15970839 „

itaque in toto digestionis tractu acidi sulphurici . . . . . 0,66363898 Gr.

Cum vero ut accuratius quantum acidi sulphurici venenationis causa ab aegroto bibiti in stomacho remansisset, aestimari posset, a tota quantitate acidi sulphurici stomacho contenti ea saltem detrahenda esset, quae postea ingestis continebatur, necesse erat ut etiam aqua fontana nosocomii exploraretur. Nam praeter largam copiam aquae fontanae aegrotus in nosocomio tantum medicamenta et paucam mucilaginem avenae sumpserat, quae omnia acidi sulphurici fere nihil continent. Illius aquae 500 Grm. primum usque ad quinquaginta Grm. evaporata sunt, deinde acido muriatico addito ex iis per solutionem barytae muriaticae acidum sulphuricum cum baryta conjunctum praecipitatum est. Itaque

500 Gr. aquae fontanae dabant Gr. $0{,}350 = 0{,}070\frac{g}{g}$ Ba. $So.^3 \times 0{,}34309 = 0{,}024016309\frac{g}{g}$ So^3.

Erit igitur, si parvo errore admisso ad materiam solidam contentorum stomachi, quorum maxima pars sane aqua fontana erat, non respicitur, a tota summa acidi sulphurici in contentis stomachi inventi tantum subtrahendum quantum in pari aquae fontanae copia inveniretur. Quo subtracto remanent in contentis stomachi tantum $0{,}00274472\frac{g}{g}$ vel 0,04117080 Grm. acidi sulphurici. Si a quantitate acidi sulphurici in tractu intestinorum inventi pro ratione ponderis ea quantitas acidi sulphurici, quae in puri copia (i. e in 299 Grm.) aquae fontanae inest, deducitur (quae quidem subtractio propter endosmosin et inspissationem contentorum cum intestini tenuis tum intestini crassi majorem errorem efficit) remanent in tractu intestinorum ut reliquiae acidi sulphurici venenationis causa potati, tantum 0,19014585 Grm. In universis igitur viis primariis ut reliquiae acidi sulphurici venenationis causa potati tantum 0,23131665 Grm. inventae sunt. Ut natura hujus computationis fert, ejus acidi sulphurici, quod fortasse normaliter in viis primariis semper inest, vel conjunctionum acidi sulpurici insolubilium, nulla habita est ratio.

Collatio partium centesimalium inventorum acidi sulphurici, eo acido sulphurico quod in aqua fontana inerat non deducto.

Aqua fontana nosocomii continet	$0{,}024016309\frac{g}{g}$.
Contenta stomachi continent	$0{,}026761029\frac{g}{g}$.
Contenta intestini tenuis continent	$0{,}061756209\frac{g}{g}$.
Contenta intestini crassi continent	$0{,}120081509\frac{g}{g}$.
Urina No. 1 (3. hor. — 10. hor. redd.) continet . .	$0{,}892034\frac{g}{g}$.
Urina No. 2 (10. hor. — 3. hor. mat. redd.) cont. .	$0{,}857725\frac{g}{g}$.
Urina No. 3 (ex vesica cadav.) cont.	$0{,}1166506\frac{g}{g}$.

Digitized by Google

EPICRISIS.

Dolendum mihi est quod defectu temporis aliisque impedimentis prohibitus sum, quominus sanguinem etiam et vivi aegroti et mortui explorarem, atque quae ratio inter acidum sulphuricum conjunctum et non conjunctum in escharis ortis, in ipsis telis, in sanguine, in excretis intercederet, siquidem his omnibus acidum sulphuricum non conjunctum *(freie Säure)* infuit, computand odefinirem. Quales explorationes spero fore ut posthac apud animalia experimenti gratia intoxicata instituere possim. Atqui etiam pauca illa, quae in nostro casu inveni, haud inutilia erunt. Eo demonstrato, quantitatem acidi sulphurici quindecim horis ab aegroto per urinam excreti sexies mediam acidi sulphurici quantitatem a sanis hominibus viginti quatuor horis normaliter per urinam excreti efficere, minimo acidi sulphurici in contentis restante tractus intestinorum cadaveris: Orfilae certe sententia supra allata, qui quantitativam acidi sulphurici urina contenti explorationem praeter alia signa intoxicationi indagandae invervire posse putat, nostro casu plane confirmata est. Deinde sententia quoque aliorum virorum supra allata, qua constat acido sulphurico vel conjuncto vel non conjuncto in stomachum inducto quantitatem acidi sulphurici in urina augeri, itaque acidum sanguine resorberi nostro casu confirmata est; etsi virorum doctorum conjecturae de ejus resorptionis modo et ratione inde novam lucem non acceperunt. Tum vero si de tempore excretionis agitur, id, quod sulphata inducta (vide Vogel et Neubauer *Harnanalyse* pag. 50) sicut ab omnibus acceptum est, per urinam duodeviginti ad viginti quatuor horis excernuntur, quantitas autem excretionis etiam inde pendet, utrum evacuatio intestinorum impedita fuerit, nec ne (vide H. Wagner; de effectu natri sulphurici Dorpati 1854, Vierordt's *Archiv* 1854), idem ad acidum sulphuricum cum basibus non conjuntum pertinere videtur. Nam cum inter obstructionem ne clysmate quidem sublatam urina inde a tertia usque ad decimam horam vespertinam reddita 0,892 partes centesimales vel septem grammata acidi sulphurici contineret, et in urina a decima hora vespertina usque ad tertiam horam matutinam evacuata 0,857 partes centesimales vel plus quam quinque grammata acidi sulphurici inessent, — urina in vesica cadaveris retenta, postquam brevi ante mortem aegrotus faeces dejicere coactus est, tantum 0,1166 partes centesimales acidi sulphurici continuit, ita ut, si ab eo inde tempore 1500 Grm. (circiter normalis quantitas) urinae spatio viginti quatuor horarum et cum iisdem partibus centesimalibus acidi sulphurici, excreta essent, aegrotus fere normalem acidi sulphurici quantitatem excrevisset.

Ut jam cetefas observationes in aegroto factos ante oculos breviter ponamus, habemus hunc rariorem casum intoxicationis per acidum sulphuricum, mortem spatio quindecim horarum adducentis, quo neque laesiones neque destructiones organorum apparebant, quibus solis mors adduci potuisset. Obductione quidem cum magnam oris et pharyngis et oesophagi affectionem cognovimus, tum praecipue universam

Digitized by Google

mucosam stomachi et duodeni, excepto loco quodem circumscripto magnitudine duorum thalerorum, in fundo ventriculi, fere in carbones adustam, ejusque vasa partim nigro sanguine adusto impleta, omniaque signa vehementioris gastro-enteritidis acutae; — attamen in tractu digestionis nulla perforatio inveniri potuit, via respiratoria acido omnino non est affecta, etiam oedema glottidis et angina suffocativa desunt, neque haemorrhagia tanta erat ut mortem adducere posset. — Notum est ex Orfilae sententia acido sulphurico in stomachum inducto inflammationem et desorganisationem hujus organi effici, qua mox etiam centra nervorum per stomachi nervos affectos afficiantur, itaque mortem topicis solis laesionibus adduci. Noster vero casus potius Bauchardati sententiam confirmat (vide Annales d'hygiène publique April 1837) eam quidem intoxicatione per acidum sulphuricum duplici modo mortem adduci posse — vel topicis laesionibus — vel acidi resorptione. Sola enim resorptione acidi sulphurici, etiam si topicae organorum laesiones desunt, mors celeris esse potest. Graviores laesiones huic intoxicationi saepe decsse etiam Bamberger refert (vide *Handbuch der Patolochie und Therapie von Virchou* B VI. pag. 275); quin, Lang *(Würzb. Correspondenzblatt* 6. 1857) infantem puellam, quatuor hebdomadum, stomacace laborantem, mortuam esse narrat, cum oris partes concentrato acido sulphurico tactae tantum essent. Crebrius vero utraque mortis causa mihi convenire videtur, sicut in nostro quoque casu verisimillime factum est. Nam quoniam signa paralysis musculorum respirationis, trismus repetitus, oedema et paralysis pulmonum, symptomata illa, quae brevi antequam aegrotus moreretur, observata sunt, universalem affectionem nervorum manifesto indicant, certe verisimillimum mihi videtur, ipsam quidem mortem praecipue paralysin nervorum secutam, sed paralysin nervorum non solum ex vehementiore partium affectarum reflexu ad centra nervorum, sed etiam ex dyscrasia sanguinis per acidum sulphuricum ortam esse. Quae natura fuerit dyscrasiae sanguinis per acidum adductae, utrum acidum cujus major et concentratior quantitas inducta esset, basibus non conjunctum sanguine resorptum, an jam in stomacho et intestino neutralisatum mutatumque sit, nescimus quidem, sed vix dubitari potest, quin inductum acidum sulphuricum cum materia basica, aliis corporis conjunctionibus secundum affinitatem detracta, ipsum se conjunxerit, ita ut cum in toto corpore tum in sanguine normales acidorum cum basibus conjuntiones magnopere alterari necesse esset. Quam ob causam fieri non potuit, quin functiones omnium organorum, quibus sanguis degeneratus affertur et praecipue nervorum magnopere turbarentur, neque absonum est, ut ab hac re potissimum paralysin nervorum deducamus. Quod ut certius profiteamur illo, quod H. Wagner experimento suo, quod supra verbo tetigimus, invenit confirmati sumus. Reperit enim, si natrum sulphuricum imbutum parvis opii dosibus motum peristalticum retardantibus in intestino diutus maneret, eaque ratione acidi sulphurici copia in urinam transcedentis multo major redderetur. statum simul quendam febrilem, quasi typhosum instare.

Digitized by Google

Quod in nostro casu non, ut saepe solet, praecipue oesophagus affectus est, sed acidum revera in stomachum pervenit, haud scio an chronicae catarrhali intumescentiae membranae mucosae oesophagi et largiori muci secretioni, quae in potatoribus saepissime observetur adscribendum sit. Possunt enim nervi sensitivi tunicae mucosae chronico catarrho ad gradum quendam anaesthesiae redacti esse, ita ut acidi contactum spastica contractio reflectoria tardior sequeretur, quam quae aliter esset secuta.

THESES.

1) Conservatio virium et carnis et ponderis aegroti in diabete est praestantissima indicatio.

2) Soluti sacchari quantitas non pondere sed volumine acidi carbonici e saccharo fermentatione orti optime exploratur.

3) In lecto aegroti exploratio sacchari secundum Fehlingium vel Bareswillium instituta sufficit.

4) Sententia Bouchardati saccharum ex diabeticorum urina sedecim horis post coenam intermissis omnino evanuisse falsa est.

Digitized by Google

1857. VIII.
MEDIC. XII.

DE

HYDROPHOBIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

PRO SUMMIS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

SCRIPSIT

CAROLUS HARTMANN
PLOENENSIS.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR
MDCCCLVII.

Digitized by Google

Imprimatur.

Dr. *C. C. Th. Litzmann*,
h. t. Decanus.

Digitized by Google

HISTORIA HYDROPHOBIAE.

Morbus lyssae jam antiquissimis temporibus natus erat. Homerus enim, qui fere nono ante Christum natum saeculo vixisse dicitur, plus semel de canum lyssa loquitur. Cum vero nusquam hominibus eum morbum attribuerit, dubitari potest, num forte translate dixerit Hectorem a Teucro rabidum canem nominatum esse. Hippocrates autem et Democritus, qui fere quadringentesimo a Chr. n. anno floruerunt, hydrophobiae nomen quidem non cognoverunt, sed ille hunc ipsum morbum alio nomine curasse videtur, describit enim anginam quandam, valde periculosam, quae non ex tumore vel in pharynge, vel extra eam sita orta, impedita respiratione faucibusque spastice contractis, praesertim si spuma ex ore effluat, celeriter mortem adduxerit. Xenophon certo rabidos canes commemorat, nec non Aristoteles, cum dixit: „canes tribus laborant vitiis, rabbie, angina, podagra facit rabies furorem, et quae momorderint, omnia furunt, excepto homine" (πλὴν ἀνθρώπου), quamquam in dubium vocari possit, utrum illud πλὴν ἀνθρώπου genuinum sit an a librariis falso additum. Itaque hominum lyssa illo tempore nondum nota fuisse videtur. Polybius, qui fere centesimo quinquagesimo anno a Chr. n. floruit, eos, qui aquam fugiant et timeant (φευγύδρους) brevi tempore obire refert, causa non addita. Duobus post Chr. n. saeculis etiam hanc notam fuisse ex Galeno et Coelio Aureliano constat, qui operibus Artemidori Sidensis et Coridemi, qui ad Erisistrati sectam pertinebant, et Andreae Caristii, qui Herophilum sequebatur, et Gaji ci Asclepiade et Themisonis et Herae Cappadocii et aliorum usi sunt. Celsus vero primus Augusti temporibus hydrophobiam descripsit, et vulneris corrosionem atque cauterisationem, cucurbitarum applicationem, submersionem corporis commendavit. Medio deinde saeculo primo Plinius et Dioscorides de lyssa retulerunt, quorum hic Celsi curationem additis quibusdam medicamentis inutilibus repetit, ille stultissimum quemque errorem superstitionemque sui temporis congessit, quibus adhibitis hydrophobia sanaretur. Galenus nonnullis Dioscoridis atque Plinii erroribus acceptis praeter vulneris scarificationem et cauterisationem cum multa

Digitized by Google

alia adhibuit remedia, tum theriacum, et rabiei venenum per cutem non laesam penetrare posse opinabatur, quod nunc experientia et experimentis diu refutatum est. Coelius Aurelianus, qui copiosius hydrophobiam tractavit, primus eam sine contagione oriri posse dicit. In medio aevo pauci scriptores memorabiles exstiterunt, si ab Aëtio, Paulo Eginaeo, Avicenna, Actuario respexeris. Avicenna cantharidibus usus est. Actuarius (sub finem saeculi decimi tertii) majora vulnera eb quae plus sanguinis emiserint, minus perniciosa dicit. Vulnus dilatatum ferro candenti cauterisari, deinde vero, ut purulentatio continuetur et augeatur, salibus et allio obligari jubet. In saeculis sequentibus de hoc morbo parum novi inventum est, quamvis multi scriptores ejus naturam theoretice illustrare et exponere studuerint. Recentiore autem tempore compluria praeclara scripta de hydrophobia in publicum prodierunt. Infra titulos scriptorum de hydrophobia addam:

Coelius Aurelianus, de morbis acutis et chronicis. — Morgagni, de sedibus et causis morborum. — *Layard, Versuch über den tollen Hundsbiss* 1778. — Mederer, Syntagma de rabie canina. — *V. J. Edler von Hildebrandt, Ein Wink zur näheren Kenntniss und zur sicheren Heilart der Hundswuth.* — *Carl Friedrich Bader, Versuch einer neuen Theorie der Wasserscheu.* 1792. — *A. F. C. von St. Martin, Monographie der Hundswuth.* — *Christian Samuel Ungnad, der Mairurm, ein Mittel wider den tollen Hundsbiss.* — *Marochetti, Theoretisch-praktische Abhandlung über die Wasserscheu, enthaltend die vom Verfasser im Jahre* 1820 *mitgetheilte Präservativkur gegen diese Krankheit.* — *Friedrich Richter, Neues, einfaches und bewährtes Verfahren, den Biss toller Hunde, giftiger Schlangen und vergifteter Wunden überhaupt unschädlich zu machen, und ihren furchtbaren Folgen schnell und sicher vorzubeugen.* 1828. — *Herbst, Ueber die Wasserscheu. Hannoversche Annalen von Holscher.* 1839. — *Carl Gottlob Prinz, Die Wuth der Hunde als Seuche.* 1832. — *A. A. Berthold, Ueber das Wesen der Wasserscheu. Göttingen* 1825. — *Christian Friedrich Harles, Ueber die Behandlung der Hundswuth und insbesondere über die Wirksamkeit der* Datura stramonium *gegen dieselbe.* — *Audry, Untersuchungen über die Wuth nach dem Bisse toller Thiere. Leipzig* 1785. — *Joseph Claudius Rougemont, Abhandlung von der Hundswuth.* — *Sabatier, Ueber den Biss toller Hunde.* — *Gorry, Ueber die Hundswuth.* — *Goeden, Von der Bedeutung und Heilmethode der Wasserscheu. Breslau* 1816. — Magendie, Journal de physiol. 1823. T. III, p. 382. — *Sauter, Die Behandlung der Hundswuth in polizeilicher, prophylaktischer und therapeutischer Hinsicht.* 1838. — *Faber, Die Wuthkrankheit der Thiere und des Menschen. Carlsruhe* 1846. — *Romberg, Lehrbuch der Nervenkrankheiten des Menschen. Berlin* 1851. — John Hunter, Observations and heads of inquiry on canine madness. Transact. of a Soc. for the improvement of med. and chir. knowl. Vol. I. Lond. 1793. p. 294. — *Brenckmüller, Beiträge zur Lehre von der Hundswuth. Prager Vierteljahresschrift* 1852. — *Hertwig, Beiträge zur näheren Kenntniss der Wuth.*

Digitized by Google

krankheit der Hunde. — Lymen Spalding, Geschichte der Einführung und des Gebrauchs der Scutellaria lateriflora *als Vorbauungs- und Heilmittels der Wasserscheu. — Virchow, Handbuch der speciellen Pathologie und Therapie.*

Qua de re etiam scripserunt: R. Hamilton 1787. — Portal 1782. — Joh. Christ. Conr. Dehne 1788. — Johann Wendt 1824. — Le Roux 1795. — Gorey 1827. — Valentin Ludwig Brera 1822. — *In Adolph Henke's Zeitschrift für die Staatsarzneikunde, Erlangen* 1842—47: *Textor, Wasserscheu und Hundswuth. Zwei wesentlich von einander verschiedene Krankheiten. Erster bis fünfter Artikel. — Kruegelstein, Ueber die erforderlichen Maassregeln der Gesundheitspolizei, um den durch den Biss von wüthenden Thieren verletzten Menschen den möglichsten Schutz gegen den Ausbruch der Wasserscheu zu gewähren. — Bernhard Ritter, Zur Frage: Sind Wasserscheu und Hundswuth zwei wesentlich von einander verschiedene Krankheiten oder nicht? —*

Ac primum quidem oritur hydrophobia per certum quoddam venenum, quo homines a rabido animali imprimis a canibus vel morsu vel saucia aliqua corporis sui parte lambita vel alio modo inficiuntur, si epidermis aut membrana mucosa illo veneno, quod in saliva et cavi oris muco animalium rabidorum inesse solet, perfunditur. Nuper Hertwigus etiam pura parotidis saliva, partibus glandularum salivae et sanguine venoso ex dextro corde et vena jugulari deprompto contagium contineri experimentis probavit. Antequam ab hominum rabidorum morbum describendum transeam, nonnulla de canum lyssa referre mihi liceat.

A. Canum lyssa.

Saepius in quaestionem vocatum est, utrum lyssa in animalibus sponte et primarie exsistere possit, an semper ab altero animali ad alterum propagata sit. Quae controversia, quamquam minime disceptata est, tamen sine dubio haud inutilis fuit. Cum Meynell, Blaine, Ribbe in eam sententiam iverint, secundum quam lyssa solo contagio propagatur, plurimi certe autores eam sponte oriri posse consentiunt, dissentiunt de ejus morbi causis. Plerumque lyssa in animalibus rapacibus imprimis in canum et felium generibus oriri, ab iis vero ad cetera animalia, ut equos, boves, sues, aves transferri putatur. In temperatura vulgo causa principalis rabiei caninae ponitur. Sed nimium calorem frigusque insolitum non solum ejus causam esse, jam inde sequitur, quod et in calidissimis et in frigidissimis terris lyssa rarissime, ne dicam nunquam, occurrit. Quod certe de Groenlandia, de meridionali Asiae parte, de meridionali America, de Africa, de terris ad mare mediterraneum sitis affirmatur. Quae cum ita sint, non aequalem temperaturam, sive calidiorem sive frigidiorem, sed celeriorem temperaturae vicissitudinem, utpote quae in zonis temperatis saepius obtineat, lyssam adducere posse crediderim, praesertim si simul aliae causae concurrant.

Digitized by Google

Marochetti aliique primariam rabiei causam in appetentia coitus non non expleta ponunt. Quibus Berthold rectissime objecit primum castrationem canum nulli esse praesidio contra morbi impetum, deinde non solum canes mares id eum implicari, sed etiam feminas quae coitu non carerent, postremo etiam canes feros in lyssam incidisse. Berthold igitur ipse rabiei causam ex mutata cibisque vegetabilibus et non aptis corrupta natura canum derivat, memorabili nitens theoria. Glandulas enim salivae dicit in canibus ita conformatas esse, ut materiam inutilem ex sanguine secernerent. Cum canibus vesicae seminis deessent, semen tantum ipso coitus momento gigni, reliquo autem tempore cum materiam, ex qua semen ad coitum gigneretur, per glandulas salivae secerni. Itaque si propter externam aliquam causam hujus secretionis per salivam oppressio ad morbosam canis naturam accederet, elementa seminis in sanguine cumulari, quo facto lyssa facile oriretur. Orta vero rabie, si salivatio ingrueret, hanc materiam in sanguine retentam in glandulis mutari in venenum. Lyssam igitur tolli posse opinatur, dummodo canibus et felibus nihisi caro daretur. Quae sententia cum non indigeat subtiliore refutatione, ex altera parte magnam canum alienationem lyssae fuvere vix negari possit.

Alii deinde rabiem ex potione aquae depravatae vel ex indigentia aquae deduxerunt. Sed fieri non potest, ut ho· solum morbum illum adducat, cum in iis terris, ubi parum aquae vel tantum depravata aqua ad bibendum suppetit, rabiem caninam fere nunquam occurrere viderimus. Etiam reformidatio, ira et irritatio per se solae pro causis morbi habendae esse non videntur.

Frenzel lyssam ex doloribus dentium nasci posse affirmavit; dolores autem dentium ita ingruere, ut dentes canum ab ossibus mordendis facile finderentur, et eorum nervi aëri per rimas penetranti exponerentur. Quod si verum esset, innumeri certe canes rabidi fierent, quoniam fere omnes ossa mordent.

Rabiem etiam telluricis causis adduci posse haud absimile veri videtur propter annos illos epizooticos, quales in Germania septentrionali et Francogallia 1852 et 1853 exstiterunt. Anno 1852 teste Schradero Hamburgiae ducenti sexaginta septem casus rabiei caninae occurrerunt. Quodsi igitur ad telluricum momentum aliae causae ut praedispositio, celerior temperaturae vicissitudo, irritatio etc. accedunt, canes facile in rabiem implicantur, et id quidem sponte. Quales eae causae sint, et quemadmodum valeant, accuratius definiri nequit.

Plures autem rabiei caninae casus contagione adducti sunt. Non omnis rabidi alicujus animalis morsus lyssam in eo, qui morsus est, excitat, propterea quod venenum crinibus abstergetur, vel omne in eum, qui primus morsus est, transiit, ita ut in ore canis rabidi nihil remanserit, vel sanguine ex vulnere profluente removetur, vel propter alias causas. Etiam si venenum animalibus inoculatur, haud parvus numerus canum in rabiem nequaquam implicatur. Ex quinquaginta novem canibus veneno ab Hertwigio inoculatis tantum quatuordecim rabidi facti sunt. Faber ex centum

Digitized by Google

quadraginta quatuor canibus septuaginta septem morsu contagium in se recepisse dicit, ita ut eorum praedispositionem diversam esse necesse sit. Uno Hertwigii casu uti juvat, in quo canis quatuor annorum per triennium omnium experimentorum contagii causa factorum superstes atque salvus mansit. Complures ejusdem viri canes tertiam quin quartam pertulere inoculationem.

Ceterum sexta vel septima post infectionem hebdomade rabies ingruere solet. Inter furibundiorem rabiem, quae initio obtinere solet, et quietiorem, qualis postea plerumque fit, accuratius distingui nequit. Prinzio auctore rabiei progressum in tres periodos, primam prodromorum, alteram ipsius rabiei, tertiam paralysis partiri licet. Ex quibus periodis prima, quamquam deesse non potest, saepe non observatur, secunda, quo vehementior morbus exsistit, eo brevior fiet, ita ut lyssa saepius non prius observetur, quam canis jam in ultimum paralysis stadium transierit.

Ac symptomata quidem rabiei haec sunt:

I. *Prodromi:* Canes parum alimentorum capiunt, inquieti et anxii modo hic modo illic cubant. Multi etiam evomunt massam quandam non digestam cum fusco rufoque muco, quo facto melius se habere videntur. Saepe os aperiunt sursum, tanquam muscas captaturi. Alios canes appropinquantes mordent. Ceterum domino audientes quidem, sed tristes sunt, suspenso capite, facile irati, et si puniuntur quasi contumaces, etiam dominum mordent. Alienos homines non mordent, nisi proprius accedunt.

II. *Symptomata exortae rabiei* plerumque apparent, quum cani rabido aliquod obstaculo est. Quod si fit, nullo respectu habito temere quemvis mordet, non raro tam vehementer ut dentibus ei adhaerescat, morsibusque persistit usque dum aut ipse fatigatus est, aut illum laceravit. Latrat raucis, altioribus impurisque sonis, et qui mox ululantes fiunt. Oculi rigidi sunt, rubro colore, pupillis dilatatis. Crebro spasmis facies contrahitur. Respiratio accelerata est, et cum manifesto musculorum pectoris abdominisque labore conjuncta. Membrana mucosa oris valde rubra est, praesertim in gingivis; lingua plerumque sicca, tumidam se praebet. Secretio mucí ejusque copia in ore nimiae non videntur. Interdum etiam aliquid alimenti et potionis sumit, saepius vero aquam lingua agitat vel ipsum vas, in quo aqua servatur, dentibus tollit atque circumjicit. Avide res graves, quae digeri nequeunt, devorat, ut crines, plumas, stramen, lignum, humum etc. Alvus obstructa est. Urina pauca, crassior viridiorque raro dejicitur. Nisi ipso rabiei impetu agitantur, canes occultari solent in obscuris latebris, lucifugi caput alte in stramentum demergunt. Auditus et olfactus eos initio non deficiunt: ne altior quidem intelligendi facultas iis deest. Quae vires animi postea omnes mutantur in deterius pervertuntur, plane evanescunt. Motiones festinantiores sunt et praeproperae. Hydrophobia non adest. Id primus Aetius affirmavit, postea Meynell (1794). Waldinger, Delubare, Blaine et Greve confirmarunt, denique Hertwigius extra omnem dubitationem posuit.

Digitized by Google

III. *Symptomata paralysis* conspiciuntur in magna canum imbecillitate et defatigatione. Incessu vacillant, praecipue posterior corporis pars incerta videtur. Accedit hiatio oris, paralysi maxillae inferioris dependentis adducta. Lingua foras suspensa exsiccatur, luto obtegitur; sputum perpetuo ex aperto ore defluit. Oculi desidentes muco purulento obtecti sunt. Auditus infirmior est, pulsus valde acceleratus, parvus, saepe vix sentitur. — Respiratio profunda est et difficilis. Faeces et urina ultro dejiciuntur. Canes mirum in modum emacrescunt. Alvus collabitur, multi quiete emoriuntur, nonnulli brevi ante mortem vehementissimis convulsionibus corripiuntur.

Quietior rabies *(Stillwuth)* eosdem habet prodromos et eos quidem non tam vehementes. Ipse furor, ut ita dicam, deest, et paralysis praesertim maxillae inferioris, unde hiatio oris sequitur, jam initio morbi apparet.

Obductiones nihil praebuerunt, quod morbi naturam declarare posset. Putredo certe brevissimo tempore post mortem oritur. Sanguinis parum liquidus est, similis olei resinosi, et bullas gasis continens. Cum in cerebro, medulla spinali et nervis interdum rubrae maculae et exsudationes inventae sunt, tum in nervo vago et in collina sympathici parte; in stomacho autem et intestino laxationes et hyperaemiae et extravasationes. Lien Prinzio auctore ubique aequaliter mutatus est, tumefactus, in superficie et marginibus obtectus coeruleis tuberibus, et substantiae pulposae. In bronchiis secretio aucta se praebebat. In nonnullis casibus Prinzius in inferiore superficie linguae, ante, juxta et post frenulum et massam illam vermiformem, quae vermis rabidorum dicitur et secundum Virchowium substantia cartilaginosa cum elasticis fibris transversis est, nonnullas parvulas bullas detexit, liquido quodam fluido impletas, aut si eae deerant parvos locos excoriatos fundo fusco relaxato, marginibus excelsis, modo singulos modo plures in eadem dimensione pertinentes. De quarum natura idem vir doctissimus adnotavit, in iis posse quidem Marochettii bullas rabiei proprias agnosci, sed eas, cum non in solis rabidis canibus invenirentur, sibi ad rabiem parvi momenti esse, atque ad eum potius morbum pertinere videri, qui, si, equorum, bovum et ovium esset, glossanthrax diceretnr.

B. Lyssa hominum.

Utrum lyssa hominum sponte oriri possit, in contraversia est. Canum rabiem sponte oriri posse supra conjecimus, sed idem de homine valere non credimus. Exstant quidem in litteris non pauca exempla hydrophobiae, cujus origo ex infectione quadam demonstrari non poterat. Attamen facile fieri potest, ut illi hydrophobi indirecte a cane infecti fuerint ita, ut res saliva canis rabidi inquinatas tangerent. Inte contagionem etiam longiore temporis spatio interjecto oriri posse colligi potest ex comitis Salm-Reiferscheid experimentis, qui inoculatione salivae exsiccatae plures canes rabidos fecit. Sin vero infectio illorum casuum hydrophobiae causa non fuit,

Digitized by Google

conjici possit tetanum adfuisse, quocum interdum hydrophobia complicatur. A plurimis certe autoribus ea sententia recepta est, secundum quam hydrophobia vera tantum infectione illius veneni animalium rabidorum adducitur. Quae infectio plerumque morsu canis aut felis, rarius vulpium, luporum, melium, aliorum animalium fit Etiam si parvulae cutis partes excoriatae vel ruptae ab iis jambuntur, infectio sequi potest. Dubium vero est, utrum morsus irritati vel in summa libidine verantis hominis vel animalis rabiem efficere possit. Exempla certe plura afferuntur, in quibus hoc factum sit. Rust, *Magazin Bd. I.* narrat matrem Malpighii a filia morbum in hydrophobiam implicatum esse, et alium aliquem ab irato homine morsum in hydrophobiam incidisse et mortuum esse. Van Swieten refert, adolescentem Italum impetu quodam irae exacerbatum suum ipsius digitum dentibus momordisse, et uno die intermisso hydrophobum factum esse atque non aliter mortuum esse, ac si a cane rabido morsus esset. In annalibus illis, quae philosophical transactions inscribuntur, desperatus lusor suum ipsius manum momordisse, deinde hydrophobia mortuus esse dicitur. Sed omnes hi casus allati tetani cum hydrophobia implicati fuisse possunt. Italus ille adolescens jam uno die intermisso in hydrophobiam incidisse dicitur. In hydrophobia autem vera numquam incubatio veneni tam brevi tempore perfecta est, plerumque contra per plures hebdomades, saepe etiam menses pertinet. — Deinde supponendum esset, salivam mordentium sapito propter iram venenari. Creberrime canum vel hominum summopere iratorum morsum hydrophobia non sequitur. Textor *(Adolph Henke's Zeitschrift für Staatsarzneikunde: Wasserscheu und Hundswuth, zwei wesentlich von einander verschiedene Krankheiten.)* hydrophobiam etiam aliis causis atque morsu canis rabidi et quidem non solum sani ulicujus animalis morsu, sed etiam sine ullo morsu oriri posse putat. Rabiem caninam, ait, cum hydrophobia nequaquam cohaerere, hanc ex illa gigni non posse, utpote ex diverso morbo; canem igitur nullo modo in homine hydrophobiam excitare posse, cum nemo det, quod non habeat; nil interesse, utrum homo a sano an a rabido cane morsus sit; hydrophobiam nihil esse nisi tetanum aut spasmum organorum deglutitionis. Verissimam esse Aristotelis sententiam, qui dicit, omnia animalia a canibus rabidis morsa in furorem injici, excepto homine. Lenschossekii sententiam, secundum quam furor hominibus nunc contagiosus esset, olim non fuisset, absurdam esse. Quemque morbum aut contagiosum esse aut non esse. Furorem animalibus semper contagiosum fuisse, hominibus numquam, id ex quatuor rebus elucere. Primum canes rabidos numquam hydrophobos esse; deinde hominem a cane morsum plerumque hydrophobum fieri, si morsus caninus ei omnino periculum afferat; tum hominem ex quovis vulnere, et ex cujusvis animalis morsu, ut galli, anatis hydrophobium sibi contrahere; postremo hominem non vulneratum propter solum metum, vel etiam sine ulla animi perturbatione hydrophobum fieri. —

Hoc verum est canes rabidos numquam esse hydrophobos, attamen illa sententia experimentis a Magendio et Brechetio factis, quorum ille canes hic

Digitized by Google

cuniculos veneno hominum infecit, atque in rabiem implicavit, plane refutata est.

Quod hydrophobiae et rabiei caninae symptomata aliquo modo diversa sunt, Virchow suo jure ex diversa organisatione hominum et canum derivat. In utroque morbo eadem organa laborant in canibus et hominibus, sed diverso vehementiae gradu.

Ut jam ad aliam quaestionem transeamus, qualis sit ejus veneni, de quo agimus, natura et efficientia, nondum satis constat. Scimus quidem solidum illud consistentiam habere et in vulnus aliquod inlatum, longius seu brevius temporis spatium ibi versari dum morbi symptomata apparent. Num vero venenum loco infectionis non mutatum manet usque ad illud temporis momentum? Utrum tum demum resorbetur, an prius in succum corporis transit? Nemo profecto ita interroganti justum dare poterit responsum. Mirari autem subit, quod in plerisque casibus vulnus perinde, atque non venenatum sanatur, (nisi quod in paucis cicatrix paullulum rubra manet.); postea vero, si morbus ingruit, interdum denuo inflammatur atque rumpitur; sin vero vulnera nondum sanata sunt, granulationes laxae et decolores, margines coerulei et torosi fiunt. Ex quo sequi videtur has mutationes veneno adscribendas esse. Sed cur non statim resorptum est et in sanguinem penetravit? Crebro observatum est post excessus in Baccho et Venere seu magnas animi perturbationes furorem ortum esse. Num forte tales perturbationes totum nervorum systema tantopere afficere possunt, ut ipso vulneris habitu commutato veneni resorptionem addncant? At conjecturae ad rem illustrandam haud multum conferent. Virchow autem suo jure venenum fermenti vices suscipere putat, ita ut a sede infectionis perpetno novae ejus particulae ad sanguinem ducantur, et per sanguinem nervorem systema perturbent. Quare equidem crediderim, tam parvam veneni quantitntem, quam morsu etc. corpori inseritur, per se non posse quidem morbum gignere, sed perpetuo, crescere, et valde auctam demum morbum provocare. Quin veneni quantitas in corpore augeatur, certe dubitari nequit; et inde optimam explicationem habet, quod tempus incubationis modo longius modo brevius invenitur. Prout enim corpus praedispositum est, nt veneno novae massae adjiciantur, usque dum ejus copia ad morbum efficiendum sufficiat, incubatio aut brevior aut diuturnior est. Si in proxima morsus perimetro plures vesiculae magnitudine granum sinapis ad parvum cicer aequiparantes et fluidum subrubrum vel sub coeruleum continentes, quod non minus contagiosum sit, quam saliva rabidi canis, revera apparent, id quod Urbanus affirmat, non absonum esset conjicere, harum bullarum eruptione veneni quantitatem circa vulnus augeri. Sed in nullo libro quem de hac re perlegi, in iis fluidum contagiosum inesse confirmatur. —

Ut supra jam diximus venenum in diversis casibus per diversa temporis spatia incubatur, et plerumque quidem per quinque hebdomades ad tres quatuorve menses. Ubi celerius post insertionem veneni hydrophobia orta esse dicitur, potius tetanus adfuit. Quod antiquiores scriptores lyssam etiam vicesimo vel tricesimo post

Digitized by Google

infectionem anno oriri posse putant, vix credibile est, cum recentioribus temporibus longissimum incubationis spatium auctore Huntero undeviginti menses duraverit. Ceterum id spatium diversum est secundum praedispositionem hominis veneno infecti, quae si omnino deest, homines veneno infecti vix hydrophobi fient. In universum autem de quinis hominibus morsis tantum singuli lyssam sibi contrahunt. In qua ratione id quidem obliviscendum non est, ex vulneribus per vehementiorem haemorrhagiam vel purulentationem venenum morsu vel alio modo insertum amoveri posse, et si quis per vestes morsus est, venenum hisce vestibus facile abstergeri. Maxime periculosae sunt laesiones corporis nullo velamento tecti. Auctore Marochettio lyssa eo facilius oritur, quo proprior laesio cerebro est. Zitterland laesiones capitis et digitorum periculosissimus existimat, nec non Krügelstein, quoniam ibi plurimi nervi adsint, venenum statim cum medulla nervorum communicaturi. At qua ratione Krügelstein secundum hanc sententiam explicet, cur venenatio longo tempore post infectionem sequatur, non video. Equidem potius crediderim, laesiones manuum et faciei ideo magis periculosas esse, quia ibi veneni quantitas nullo velamento abstersa in ipsum vulnus penetrare potest. A sexu et constitutione corporis dispositio ad lyssam pendere non videtur, ceterum haud scio an juvenilior aetas minus ad hydrophobiam disposita sit, quam provectior.

Symptomata optime distribuentur secundum stadia incubationis, prodromorum, ipsius lyssae, paralysis.

I. Symptoma in stadio incubationis. Vulnera, per quae venenum corpori insertum est sanantur non secus atque alia vulnera, saepe etiam celerius. Interdum autem fit ut cicatrix subrubra et paullulum dolorosa maneat. Permagna vulnera purulentationem normalem praebent, bonasque granulationes. Valetudo infectorum initio non alteratur. Immo ex consuetudine negotia facessunt, nisi sibi persuasum habent, se a rabido aliquo cane morsos esse; id enim si accidit, tristes fiunt et moesti et melancholiae se dant, ita ut eorum nutritio pronit animo et corpore valent magis minusve turbetur. Anno 1820 Marochetti primus in hoc lyssae stadio singulares quasdam bullas in ore observavit, quibus ex ejus sententia venenum lyssae contineretur, et quibus deletis, morbus praecaveretur. Eodem auctore venenum lyssae tres metastases subit, prinsquam symptomata hydrophobiae appurent. Prima, inquit, metastasis fit, simulac venenum morsu corpori insertum resorbetur et in sanguinem transit. Ibi per longius seu brevius temporis spatium versatur, nulla functione corporis vel animi turbata. Secunda ejus metastasis non nullis diebus vel mensibus post infectionem per ejus translocationem ex sanguine vel aliquo organo in orificia ductus glandularum salivae adducitur. Ibi venenum in illis bullis concentratur, quae semper certissimum veneni hydrophobici signum in corpore morsi hominis sunt. Tertia metastasi venenum in glandulas linguales et maxillae inferioris transfertur, unde ejus efficacitas ad horum nervorum organa, ad ramos nervi quinti ad nervos intercostales et cerebrales

Digitized by Google

pertinet. Peracta hac tertia metastasi nullum nobis notum est remedium, quo horribile hydrophoborum fatum caveri possit. — Lyssae illae ad pustularum genus pertinentes in utroque latere frenuli formari solent, nec non in posteriore inferiore angulo oris, et in orificio ductuum Stenonianorum, in interiore superficie genarum, aliisque locis occurrunt. Eae ita oriri dicuntur ut orificia ductus glandularum lingualium, veneno acerbissimo adstringentique ibi coacervato obturentur, quo facto nenenum cogitur, ut in os effundatur. Earum sedes, figura et perimetrus in diversis hominibus diversae sunt. Si in latere frenuli formantur figuram fere rotundum vel potius conicam habere et carnosos nodulos formare dicuntur, qui accuratius inspecti fluidum continent, cum fere semper per specillam fluctuatio sentiri possit. Raro tantopere pellucent, ut nudis oculis fluidum cognosci possit. Etium rarius in posteriore inferiore latere linguae et juxta orificium ductuum Stenonianorum oblongam utque in aequalem formam praebentes inveniri dicuntur. Interdum in forma miliarium sub lingua apparent, et tum quidem pellucidum fluidum continentes per totam superficiem glandularum lingualium expanduntur. Quo tempore apparcant, definiri nequit. Marochetti eas in uno casu jam decima hora, plerumque vero tertio, quinto, septimo, nono vel vicesimo primo die post infectionem invenit. Alii medici eas etiam longiore post veneni insertionem tempore intermisso observasse sibi visi sunt. Durant autem lyssae illae per diversum temporis spatium. Aliae brevi postquum ortae sunt rursus evanescunt, nullo vestigio relicto, aliae unam vel plures horas durare dicuntur. Dum eae oriuntur, aegroti interdum mala valetudine et capitis doloribus laborare dicuntur. Multi medici, qui eas numquam viderunt, toti Marochellii doctrinae parum tribuunt. At, cum lyssae illae per breve temporis spatium durent, facile fieri potest, ut saepissime neglectae sint. Eas cum infectione aliquo modo cohaerere conjici quidem potest, sed num revera ipsum venenum contineant, valde in dubio erit relinquendum, usquedum earum contento aliis animalibus inserto lyssam effici experientia docuit. Ceterum si in hominibus morsis, ubi de canis rabie dubitatur, vesiculae illae apparent, suadendum erit ut eae diligenti prophylaxi adhibita ferro candenti deleantur.

II. Stadium prodromorum. Ejus symptomata plerumque in magna animi depressione et moerore versantur. Aegroti laxi, tristes, suspenso animo meditantur, interdum evomunt, alvum retinent, somniis horribilibus vexantur, facile horrent atque deterrentur, quasi mente capti sunt. Alii facile irascuntur, alii in dies magis anguntur et quidem Virchowio auctore plerumque angore praecordiali, cum simul pectoris tanquam intentionem vel impressionem sentire videantur. Instinctus sexus auctus et incitatus esse solet, magis apud viros quam feminas, quanquam etiam exempla nymphomaniae innotuerunt. Secretio urinae interdum diminuta, impedita et dolorosa est.

Cicatrix vulneris veneno infecti rubra dolorosa fit, interdum etiam denuo rumpitur. In circumferentia vulneris interdum vesiculae quaedam erumpunt. Sin vero vulnus nondum in cicatricem venerat, granulationes laxiores fiunt, sensibilesque, ejus

Digitized by Google

margines in formam tororum prominere coeperunt, defecatio tenuior fit vel omnino desinit. Interdum dolor a vulnere sursum in dimensione nervorum proficiscitur, in pharynge saepe intentio observatur, deglutiendo aucta. Vox raro mutata, interdum subrauca. Lingua saepe persicca. Praeterea aegroti saepe de capitis doloribus, de calore, de horrore conqueruntur. Pulsus plerumque acceleratur. Sed ex his omnibus symptomatis nonnulla vel etiam omnia deesse possunt, ita ut impedita deglutitio et hydrophobia, sicut in casu a me observato et infra accuratius narrando statim appareant.

III. Stadium ipsius lyssae. Ut modo diximus, omnia prodomorum symptomata deesse possunt. Tum lyssa aut sponte, aut, sicut plerumque fit ex vehementioribus animi perturbationibus, excessu in Baccho et Venere etc. oritur. Saepius autem symptomata antecedentis stadii tantummodo ingravescunt. Angor, inquies, oppressio pectoris, irritatio animia ugentur. Omnes nervorum sphaerae sensibiliores fiunt et ad hyperaesthesiam accedit major reflexibilitas, in convulsionibus cujusque generis, praecipue musculorum pharyngis et respirationis, etiam extremitatum, maxillarum, musculi risorii Santorini (ad risum Sardonicum) aliorum apparens. Reflexus praecipue majore irritabilitate medullae oblongatae efficiuntur, quae primo in regione nervi vagi appuret, deinde vero ad omnes periphericos nervorum apparatus pertinet, id quod Romberg primus demonstravit. Spasmi plerumque clonici sunt, saepe etiam tonici; ex quibus hi a multis cum tetano commutati sunt. Accedit vero ante omnia symptoma ipsius hydrophobiae. Initio aegroti, cum aquam seu alium aliquod fluidum conspiciunt, faucibus quasi strangulari sibi videntur, quale fastidium etiam tunc tantopere vincer possunt, ut fluidum tranquille intueantur, quin labiis admoveant; postea vero id neque adspicere possunt, neque minimam ejus quantitatem bibere. Quin saepius sola memoria aquae et sonitus undarum, et olfactus fluidi alicujus vehementissimos spasmos efficit, quamquam aegroti vehementissima siti usque laborant. Quo fit, ut initio saepe bibere conentur; sed quoque conatu spasmos sibi vehementiores contrahunt, ita ut postea a bibendo plane desistant. Non semper hydrophobia tam gravis fit, sed fere deesse potest, ita ut aegroti cum labore quidem sed usque ad mortem bibere possint. Solidos autem cibos non facilius quam aquam, et ne suam ipsorum quidem salivam degluttire possunt, quamobrem haec perpetuo ex ore defluit. Ideo angor aegrotorum in dies augetur, et postremo in desperationem et furorem interdum etiam dementiam transit. Cogitatione imagines maximopere terribiles sibi informant, exprimunt, hallucinantur, delirant. Saepe sicut canes rabidi, prae angore res proximas vel se ipsos mordent, raro inter amentiam etiam alios homines. Per spasmos respiratorios saepe suffocationes efficiuntur, in quibus singultus edunt similes ululatui canum. Interdum aegroti currendo dolores levare conantur.

Hic orbis symptomatum, quem enarravimus, plerumque in paroxysmis se praebet, quos saepe liberae remissiones sequuntur, ita ut aegroti quamvis fatigati spem

Digitized by Google

salutis recuperent. Initio paroxysmi breves sunt, remissiones longiores, in progressu morbi paroxysmi longiores fiunt, remissiones breviores et minus liberae symptomatibus, dum postremo plane desinunt. Interdum aequalis quidam typus in reditu paroxysmorum observatus esse videtur. Omnis paroxysmus externa aliqua causa provocari solet. Nervorum sensibilitate aucta paroxysmi i. e. spasmi musculorum levioribus nervorum hyperaestheticorum irritationibus ut reflexus per medullam oblongatam hyperaestheticam efficiuntur. Inprimis hyperaesthetici sunt nervi cutis, nervus opticus, qui conspectu rerum fulgentium ut aquae hydrophobiam vel spasmos organorum degluttitionis adducit, nervus acusticus, nervi olfactus. Itaque paroxysmi levissimo cutis tactu, ut pulsu attrectato, seu clysmate applicato, seu aura admota, seu alta oratione intra parietes habita, seu integumento lecti sublato etc. efficiuntur. In faucibus et pharynge aucta secretio catarrhalis exoritur, nec non saepe urens quidem calor, qui etiam in scrobiculo cordis sentitur, et inde sensim auctus in dimensione musculi recti propagatur.

IV. Stadium paralyticum. Si aegrotus paroxysmorum apoplecticorum in tertio lyssae studio superstes mansit, omnia symptomata vehementiora remittuntur, impedimenta respirationis, angore sublato, desinunt, et aegroti plerumque secundo vel tertio die tranquille moriuntur.

Diagnosis. Ad diagnosin multum interest, ut demonstrari possit, esse aegrotum revera ab animali rabido morsum seu alio modo infectum. Quod si certe scitur, hydrophobia vera facile ex propriis ejus symptomatibus agnoscitur. Si ea symptomata non longiore post infectionem tempore interjecto sed uno vel paucis tantum diebus intermissis apparent, ex laesione tetanum ortum esse verisimile erit. Sin vero de intoxicatione nil constat, diagnosis tum demum institui poterit, cum spasmi musculorum respirationis et hydrophobia inceperunt. Cum vero hydrophobia etiam ex aliis causis oriri possit, atque ex morsu animalis rabidi, reliquas ejus species cum vera non commutandas jam paucis describam. Simillima est hydrophobiae verae tetanica, cujus diagnosis differentialis in spasmorum genere versatur. In vera enim hydrophobia spasmi plerumque clonici exsistunt, raro in acme morbi nonnullorum musculorum spasmi tonici exstiterunt, in tetano vero statim spasmus tonicus oritur. Praeterea Rombergio auctore tetanus tertio ad decimum die, lyssa pluribus hebdomadibus post vulnerationem oriri solet. Hydrophobia hysterica facile agnoscitur, quippe cui per longius temporis spatium hysterica symptomata antecesserint, et quae etiam postea cum iis conjuncta maneat. Saepe apud hystericas et gravidas nihil aliud est nisi idiosyncrasia. Symptomatica deinde hydrophobia interdum cum morbis cerebri, cum typho, cum topicis pharyngis, gutturis, aliorum organorum affectionibus occurrit. Postremo ficta hydrophobia affertur, quae, si revera observata est, inter mentis morbos numeranda erit. In omnibus his hydrophobiae generibus reliqua omnia lyssae

Digitized by Google

symptomata deesse non minus consequens est, quam ejus causas externas, quae facile animadversa diagnosin certam reddunt.

Prognosis valde infausta est. Hydrophobia exortu, etsi in nonnullis casibus non satis notis seu artis seu naturae ope sanata est, fere omnem spem vitae adimit.

Obductio hominum ex lyssa mortuorum similia praebet, atque canum sectio. Sanguis consistentiam habet similem olei resinosi, plenus est vesicularum gasis, et brevi tempore putrescit. Nunquam specifica alicujus organi affectio reperta est. In cerebro, medulla spinali et nervis, ut in vago accessorio et sympathico interdum exsudationes et rubores se praebebant. In ore et in bronchiis mucus tenax et rubor apparebut. Tunica mucosa stomachi rubefacta et ecchymotica, papillae linguae dilatatae, pulmones plerumque normales nisi quod interdum hypostases et oedema aliaque symptomata cum hydrophobia non cohaerentia aderant.

Therapia. Tot remediis, quod antiquitus in lyssam adhibitu sunt, haud scio an in ullum morbum medici invenerint et usi sint. Nihilo secius curatio lyssae ex Celsi Aurelianique temporibus paucos fecit progressus. Secreta quidem medicamenta et frandes semper fuerunt, quibus hydrophobia sanari posse crederetur; sed nihil adhuc inventum est, quo lyssa vere sanari posset. Specificorum quidem sufficiens copia cum jactatione quadam laudatur, sed sine jure omnia. Faustior vero est prophylactica curatio. In stadio incubationis medico omnis cura adhibenda est, ut lyssam praecaveat. Quare quo prius morsi medicum auxilio vocant, eo magis faustus exitus sperari poterit. Quemadmodum vero prophylaxis instituenda sit, nunc primum accuratius describam.

I. Prophylactica curatio ante omnia ad ipsum vulnus veneno infectum pertinet; venenum enim aut in eo delendum, aut ex eo amovendum erit. In utrumque finem jam antiquitus compluria remedia adhibita sunt, quibus adhuc utimur. Celsus vulneri corroso et cauterisato cucurbitas applicabat, Galenus vulnus scarificabat et cauterisabat et simul theriacum praebebat. Actuarius majora vulnera propter vehementiorem longioremque haemorrhagiam minus periculosa esse experientia edoctus, vulnus dilatabat, dilatatum ferro candenti cauterisabat, cauterisatum sale et allio obligabat. Hodie vulnus plerumque dilatatur et quam latissime altissimeque aut antimonio muriatico aut lapide infernali aut kali caustico corroditur. Acida concentrata minus certam efficacitatem habere dicuntur. Post corrosionem purulentatio vulneris aeribus unguentis vel pulveribus (cantharidibus, hydrargyri praecipitato) diutius sustentatur, ut si quid veneni in vulnere relictum sit, id suppuratione abluatur. Solum profluvium sanguinis ex vulnere, etiamsi non inhiberetur, et deinceps purgatio per aquam vix sufficeret, cum particulae veneni facile in aliqua plica occultari et retineri possint. Ad vulnus purgandum non frigida aqua, utpote quae haemorrhagiam sistat, utendum erit, sed calidiore aqua, vel, sicut Kruegelstein suadet urina recenti, cui aequalis calor sit atque sanguini ipsi. Etiam ferrum candens apte adhibetur, cum eo non solum venenum

Digitized by Google

cum involventibus cutis partibus deleatur, sed stiam in proxima circumferentia vasorum capillarium et lymphatorum contenta coagulentur, ita ut, si quid veneni in vulnere relictum sit, id resorberi nequeat. Cucurbitatio quoque defensores invenit Richterum et Barryum. Ex quibus hic primum cucurbitam acriter sugentem applicat; quae si per unam horam sanguinem extraxit, locum vulneratum vel excoriatum, in quo venenum jam concentratum esse putat, alte exsecat; deinde cucurbitam iterum applicat, ut etiam id veneni, quod profundius penetravit, evacuetur. Quo facto vulnus ferro candenti exurit. Postremo vulnus ita purgatum jubet quam minime aëri exponi, quoniam aëris pressione sanguis celerius pectori adfluat, et resorptio adjuvetur, sed bene obvelari et quam celerrime sanari. Cucurbitationem etiam postquam venenum jam vim suam periculosam exercere coepit, Barry ad progressum resorptionis inhibendum haud parvi momenti esse, quin etiam aliquantulum veneni resorpti in specillum reducere dicit. Quae sententia permira videtur, etsi reliqua Barryi curatio finem propositum assequetur, nisi quod aëris pressioni ille vir doctissimus perversas partes adscribere videtur, et celeriorem vulneris sanationem semper perversam esse crediderim.

Urbanus, spreta excisione et cauterisatione vulneris omnibusque internis remediis, vulnus aqua vel potissimum tepido lacte purgari et exprimi jubet. Quo facto siccas cucurbitas applicat et, ad haemorrhagiam augendam, crustam aqua salina perfundit seu fovet. Deinde iterum in pluribus dimensionibus cucurbitatur. Ubi vero scalprum elasticum cucurbitae applicari nequit, ut in digitis, locus vulneratus scalpello vel alio instrumento quoquo versus dilatatur, et tamdiu stringitur et premitur, dum vulnus abstersum siccum maneat. Tum impletur linteolis carptis aqua salina perfusis, et per duas vel tres hebdomades perpetuo madidum redditur.

Etiam ligatura inter vulnus et pectus commendata est. Secundum Bouilleaut symptomata universalis intoxicationis tamdiu non adparent, quamdiu illa ligatura tenetur, vel, si jam apparuerunt, intermittunt, atque desinunt, simulatque denuo adhibetur. At hujus remedii usum experientia non probavit.

Porro excisio particularum nervorum ex vulnere commendata est. Harder se extemplo inflammati nervi alicujus excisione in vulnere ex morsu rabidi animalis contracto puerum sanasse dicit.

Sanguinem ex vulnere exsugere, quod aliis placuit, periculosum est, propterea quod quisque inscius in labiis vel in ore aliquam excoriationem habere potest. Ceterum in stomacho venenum efficax non est.

Kruegelsteinio auctore per galvanismum certissime venenum in vulnere deleri potest, id quod Pravazius in multis canibus veneno infectis feliciter expertus est. Galvanismus etiam tum vim suam tenere dicitur, si vulnus jam sive natura sive arte incrustatum est, ita ut batteria galvanica non facile sero adnoveatur. Venena animalia omnino per galvanismum chemice dissolvi et aliunde notum et experimentis de veneno variolarum demonstratum est.

Digitized by Google

In progressu incubationis auctore Marochettio aegrotus certissime lyssis supra descriptis sub lingua ferro candenti deletis sanabitur. Cujus curationis et ipse auctor felicissimos eventus vidit, et eques Russus, a quo eam didicit. Qui quidem post cauterisationem lyssarum os aegroti decocto genistae luteo tinctoriae elui jubebat, et idem decoctum interne dabat. Cum vero illae lyssae interdum tam breve temporis spatium maneant, difficile erit praecipue in praxi privata, eas observare, et exspectare, atque multi auctores eas diu quaesiverunt quidem sed numquam invenerunt. Quamobrem causam de Marochettii lyssis saepe multumque dubitatum est.

Postremo etiam emplastra vesicatoria, et nova secretionis instituta commendantur. Tales curationis methodi omnes etiam ad vulnus denuo inflammatum adhiberi possunt.

Ut jam ab externa aegrotorum curatione respiciamus, aegroti a quaeque animi irritatione et perturbatione, quae venini evolutionem valde adjuvet, cavendi sunt, immo eorum animus augendus est, persuadeatur iis, canem omnino rabidum non fuisse, vel si id fieri non potest, curationem adhibitam certe faustum exitum adducturam esse.

Medicamenta innumera in lyssam proposita sunt, ex quibus praecipua infra indicabo, ubi de ipsa lyssa agitur. Pleraque ad sanguinem et nutritionem valent, sicut mercurialia, vel ad secretionem ut diuretica, drastica, diaphoretica, vel ad nervos, ut narcotica. Diligenti topica vulneris curatione fere omnia supervacanea fiunt.

II. *Lyssae exortae curatio.* Quamquam inde a temporibus antiquissimis diversissima medicamenta in lyssam exortam proposita sunt, tamen quae ab aliis laudata erant, omnia ab aliis ut inutilia rejecta sunt, nullum vero inventum est, quo lyssa sanaretur. Plurimum haud scio an tribuatur narcoticis, imprimis belladonnae. Stramonium ab Harlessio propositum belladonnae non praestare dicitur, cum daturinum et atropinum aeque efficatia sint. Opium sine ullo successu adhibitum est. Nux vomica a Thebesio et Leidenfrostio commendata (vel potius strychninum celerius et certius valens) et faba St. Ignatii plus semel adhibitae sunt. Paula a Schrank se faba St. Ignatii hydrophobicum hominem sanasse refert. Summas autem laudes tulerunt mercurialia, et externe in inunctionibus unguenti cineri et interne. Usus internus usque ad salivationem continuandus est. Item sanguis secta aliqua vena e corpore emittitur usque ad syncopen. Etiam meloë majalis ab Ungnado commendata, et cantharides datae sunt. Et hae quidem in Hungaria vulgo acceptae tantum, si aegrotus, cui eae datae sunt, urinam cruentem reddit et profundo somnio longaque syncope capitur, recte valere dicuntur. Feyermann et Chapman plumbo cum fausto successu usi sunt. Kruegelstein catarrho suffocativo arte effecto et usque ad syncopen aucto plurimum tribuit. Qui catarrhus suffocativus continuata submersione efficitur et ita inventus est, ut canes rabidi submergendo sanarentur. Hanc methodum jam Celsus adhibuit, postea Chardon, et antiquiores medici Batavi cum magno successu. Van Swieten eam initio hydrophobiae adhibitam salubrem esse, postea vero levamen

Digitized by Google

quidem aegroto efficere, sed lethalem exitum non avertere. Kruegelsteinio auctore in exortam hydrophobiam nihil feliciter adhibetur, nisi venenum illum ex putridis farciminibus per aquam destillatam extractum, caloris straminei, et paullulum acris odoris, quo interne dato nervorum sensibilitas aeque diminui dicitur, atque veneno lyssae augetur. Idem praeterea omni sudore oppresso cutem tam frigidam reddere dicitur, ut ejus functio plane desinat, ceterum eadem symptomata adducere, quae lyssa magnam sitim dico, paralysin vesophagi, raucitatem, impeditam respirationem etc. Sed ipse nullum aegrotum veneno putridorum farciminum curavit, quare de ejus theoria dubitare licet. Lichen cinereus, qui in pulvere Dampierei inest, et quem Mead, John Fuller et Cartheuser valde commendarunt, nunc raro adhibetur. Porro commendata sunt: Anagallis flore purpureo (Ravenstein et Kämpf). — Radix valerianae (Bouteille). — Radix cynosbati. — Champhora (Schmucker). — Moschus. — Chlysmata cum asa foedita, moscho, opio ad spasmos sedandos. — Emplastra theriaci, galbani et opii, ut vesicatoria epigastrio et collo circumjecta. — Balnea tepida. — Irrigationes. — Venenum viperarum. — Scuttellaria lateriflora, (Yovat). — Multa alia medicamenta, brevi postquam inventa erant, iterum rejecta — Magendie in venam aliquam superficialem aegroti duas libras aquae ad triginta gradus calefactae injecit. Quo facto mox morbi impetu fracto omnia symptomata remittebant, et hydrophobia desinebat, sed postea tamen articulorum suppuratio mortem adduxit. Idem experimentum Gasparet fecit, sed aegrotusquinquaginta quatuor horis post mortuus est.

Recentioribus temporibus chloroformium in finem euthanasiae saepe adhibetur, quo narcotisatus aquam et alimenta deglutire et digerere potest. Wagner Dantisci plures hydrophobiae casus ita curavit et in Goescheni clinicis annalibus 1856, No. 24 et 27 descripsit. Sanati quidem aegroti chloroformio non sunt, sed quiete et sine doloribus mortui. In omnibus casibus, inquit Wagner, aegroti a spiritu chloroformii abhorrebant, et primi haustus dolorosas contractiones organorum degluttitionis et respirationis efficiebant. In uno casu propter capitis congestiones exortas a chloroformii inhalatione mox desisti oportuit, in reliquis autem pluribus singularum horarum intervallis inter inhalationes chloroformii intermissis anaesthesia per quatuor vel quinque horas sustentabatur. Interdum aegrotus subito ex narcosi non sufficienti cum vehementibus spasmis expergefactus est. Plerumque aegrotus expergefactus per aliquod tempus quietus erat, interdum continuo lenique somno capiebatur. Semel tantum potionem lactis et asisquae inter spasmum evomitus secutus est. Pupillae in quoque spasmo maxime dilatatae, in narcosi chloroformio adducta se magnopere contrahebant, et contractae etiam narcosi interrupta diutius manebant, dum novo spasmi impetu rursus dilatarentur. Narcosi exorta pulsus celer retardatus quidem sed altior fiebat. Respiratio raro mutata est. Postremo in narcosi chloroformii fieri poterat, ut aegroto adolescenti, qui per duodequinquaginta horas nullum alimentum sumpserat, sine ulla difficultate, per specillum larga quantitas liquidi validique alimenti induceretur.

Digitized by Google

Magna hydrophobiae difficultas in summa aegrotorem siti posita est. Ad eam tollendam glaciei pilulis usi sunt. Interdum quidem contingit, ut hydrophobicis per angustas fistulas vel ex angusto foramine vasorum obtectorum paullulum fluidi inducatur. Triberti suadet, ut aegrotis in obscuris cameris, ex obscuris vasis fluidum ad potandum praebeatur, qua ratione ipse aegrotis plus quam tria vitra aque praebuit.

Ante omnia vero aegroti ab omni mentis perturbatione cavendi, neque vi coërcendi sunt, nisi aliis periculum allaturi. Etsi adhuc nullum exemplum notum est, in quo hydrophobia ab uno homine ad alterum translatum sit, magna tamen cautia ad hibenda est nequis morsu vel alio modo ab hydrophobius laedatur, cum eorum salivam in canibus rabiem efficere posse constet.

Jam, ut ad finem perveniamus, nil restat, nisi, ut inquiramus, quid in rabiem caninam hydrophobiae causam publice agi possit. Ac primum quidem haud scio an effici possit, ut nimius canum numerus diminuatur, si majus tributum pro iis solvendum esset. A quo tributo ii quidem canes excipiendi erunt, qui laniis, pastoribus, venatoribus necessarii sunt. Si quidem pauciores canes joci causa et a pauperioribus hominibus sustentarentur, rabies canina praecipue in annis epizooticis multo rarius occureret. Ea contra lex, qua in multis patriae nostrae urbibus magistratus in summo aestatis calore canes per hebdomades vincl oalligari jubent, cum direpta libertas animalibus libere vagando assuetis haud utilis sit, mihi perversa videtur. Equidem ipse plures canes vidi catenae omnino assuefiri non potuisse, sed desiderio prioris libertatis tantopere vexatos esse, ut spuma ex ore defluceret. Catenis injecti canes etiam ad mordendum faciliores sunt. Quare mihi utilius videtur, si omnes canes libere et si calidior advenit temperatura, ne alios mordere possint ore fiscellis induti circumvagantur.

Liceat mihi casum hydrophobiae a me meoque fratre in operario Claus Jakob Numsen Dickhusio Dithmarso observatae infra enarrare.

Claus Jakob Numsen Dickhusius, triginta tres annos natus, operarius, magnae staturae, validaeque musculaturae, se prius semper bona valetudine gavisum esse dicit. Die vero tertio mensis Aprilis anni 1856 a cane quatuor annos nato et unum pedem alto in digita minimo laevae manus morsus est, qui in eadem, qua ipse, domo habitantis socrus erat. Ejus canis habitus antea numquam quicquam extraordinarii praebuerat. Sed die primo et secundo mensis Aprilis a domicilio abfuerat, sicut vere fieri solet propter coitus appetentiam, et die secundo mensis Aprilis vicini ali cujus filium novem annos natum in digito mordebat, eundem, postquam subido exsiluit, praeterea in manu, ore, crure novies mordet, fugientem persequitur et rabide ejus relicto calceo dentes infigit. Quo facto a Numsenii socru fune adligatus est, praesertim cum magistratus brevi antea omnes canes catenae adligari jussisset. Se-

Digitized by Google

quenti autem die sub meridiem Numsen a laboribus ex agro neversus acervum straminis, ubi canis cubabat, praeteriens, consistit et canem comiter advenientem affatur digitis concrepans. Subito ille exsilit et infelicem Numsenium per digitum minimum laevae manus mordet. Quo morsu lenis tantum haemorrhagia paucique dolores excitantur. Tranquillo animo Numsen coenat et vespero demum, cum vicina aliqua suspicionem moveret, num canis fortasse rabidus factus esset, angore commotus, cane interfecto, quam celerrime ad fratrem meum, qui Marniae medicus est, se confert. Maximopere irritatus cum ragat, ut digitum exploret. Frater meus eum consolatur, proximis hebdomadibus nullum canem rabidum in ea regione fuisse dicit, et ei persuadet, etiam eum canem, a quo morsus esset, cum solito more panem et lac commedisset vix rabidum fuisse. Ceterum se statim vulnus antimonio muriatico quo plerumque utitur corrosurum esse promisit. Sed cum brevi antea vitrum antimonii muriatici fractum esset, Lapide infernali usus est. Ac primum quidem vulnus parvum, jam conglutinatum, quarta pollicis parte ab apice digiti remotum instrumento, quod bistouri vocatur, aperuit, deinde vero corrosit et aliquantum lapidis infernalis fricando dissolvit in ipso vulnere. Minimam illam rupturam in medio ungue etiam lapide infernali oblinebat, non quo veneni praesentiam ibi suspicaretur, sed ut operarium placaret. Sed dummodo de canis, qui eum morserat, habitu susceqecto accuratius instructus esset, statim vulneratum digitum amputasset. Quod cum factum non esset tantum dolebat, quod cane interfecto investigari non poterat, num revera rabidus fuisset.

Tredecim hebdomadibus postea, die tertio mensis Julii idem operarius sub vesperum fratis mei auxillium quaerit. Non agnitus a fratre meo, qui eum nunquam nisi illo vespero, cum morsus esset, viderat, refert in coena omnes cibos sibi adversarios esse *(Alles staut mi togegen)*. Quale fastidium esset, non amplius decribere poterat. Pulsus non frequentior erat, caput non occupatum lingua paullulum scabra ut in gastrica affectione, alvus tardior. Praeterea leves spastici dolores in extremitatibus, praesertim in humeris aderant. Frater meus, Numsenium, qui paucis diebus antea in Baccho excessum fecerat, levi statu gastrico, qualis tum saepius in illa regione apparebat, laborare ratus ei suadebat ut extractum sennae cum sale Glauberi biberet, et mixturam salmiaci cum vino stibiati ordinabat. Postridie ejus diei mane hora sexta ejus levir ad meum fratrem venit, et aegroti valetudinem meliorem factam non esse referens, optabat, ut ipse Dikhusiam se conferret ad Numsenium. Frater meus brevi postea aegrotum visitavit; ejus status fere idem erat, atque antecedenti die; at pulsus jam centies quaque minuta repetebantur, et ex sale Glauberi quinquies vel sexies alvus defluxerat. Cum ipse perinde atque die antecedenti cibos sibi adversarios esse quereretur, frater meus ex ejus conjuge quaesivit, quid haec sibi vellent. Ea referrebat, si conjugi medicina daretur, eum tanto fastidio exagitari, ut paene in spasmos implicaretur, atque se ei non amplius medicinam dare ausam esse. Frater meus illud experimentum repeti jussit. Vitrum medicinae aegrotus aequo animo in mensa adstantem videbat, sed cum

Digitized by Google

conjux medicinam in cochlear infundebat, suspirabat, cum illa deinde cochlear propius admoveret, medicinam sumpturus spasti e dentes collidebat, angulos oris aures versus et paullo sursum extendebat, ita ut oculi fere dimidio occluderentur, dum supercilia tolluntur atque frons corrugatur. Simul capite reflexo anxie ex obliquo cochlear spectabet, manibus removere studens. Eadem oris superciliorumque distortio cum gemitu et grunnitu quodam brevibus intervallis internoque impetu plus semel redibat. Vultus horribilem angorem exprimebat, quo etiam pectus compressum erat; uterque humerus sursum trahebatur. Postquam spasticus ille gemittus grunnitui similis octies brevi tempore et cum vi semper aucta repetitus est, clamat aegrotus: Cedo mihi, et cochleario celeriter in os inducto medicinam capite vehementius rejecto deglutiebat. Quasi vero magnum vitae periculum effugisset, tarde, vehementior respiratio remittebat, et aegrotus tandem sedatus sudorem anxietate expressum e facie sua abstersit. A fratre meo interrogatus, num forte dolorem vel spasmos in pharynge sentiret, respondit spasmum profundiorum esse, stomachum autem sibi nimis plenum esse et inferiorem thoracis partem angusto vinculo constringi videri. Jam frater meus vitrum cum aqua in mensa collocari jussit. Deinde aegrotum oravit ut angore superato illud vitrum rectis oculis adspiceret. Simulutque vero iste aquam conspexit, iterum suspirare coepit, sed mox ei contigit, ut aequo animo vitrum adspiceret. Deinde firma manu vitrum cepit; cum vero aquae superficies moveri coepta est, spasmi, thoracis supra indicati denuo ingruebant, et quo propius vitrum ori admovebat, eo vehementioris apparebant, manus contremiscebat, ita ut pars aquae effunderetur. Quo facto impetus morbi spasticaeque contractiones tantopere ingravescebant, ut frater meus veritus, ne furore caperetur, quam celerrime vitrum ei ereptum ex cubiculo auferri juberet. Quo facto colloquium cum aegroto insistuit, et diversa ex eo quaerebat, quibus expositis tranquillior factus est. Cum affirmaret, se interdum appetitum edendi habere, frustum panis a conjuge satis largo butyro oblitum adlatum est. Aegrotus aliquid demordit, et quamquam non celeriter manducabat, primam tamen particulam demorsam facile deglutivit. Quum vero inter manducandum panem adspiceret, et solis radii in butyro niterent, rursus suspirabat, butyro vero deorsum verso tranquillo animo panem comedit. Deinde in speculum a pariete ablatum longius temporis spatium aequo animo inspexit, et quod id ex obliquo ponebatur: ita ut luce splenderet, bene pertulit.

Frater meus, cum prima hydrophobiae signa animadvertisset, subito operarii illius tertio die mensis Aprilis morsi recordatus est, longisque ambagibus adhibitis, ne aegrotus morbi sui cum canis morsu connexum cognoscens majore tristitia premeretur hunc aegrotum eundem esse, qui tum illa calamitate afflictus erat, comperit. Jam vero aegrotum accuratius exploravit. Oculi aegroti paullulum irritati erant; caput liberum; percussio et auscultatio organorum pectoris normalis; lingua posterior massa quadam e flavo-alba obtecta, lingua anterior normalis et humida; fauces paullulum rubefactae, sine ullo tumore; lyssae Marochettii, ut per se exspectari potest, detegi

Digitized by Google

non poterant, attamen tota regio infra linguam simul cum frenulo tumida erat et rubrior, quam in norma. Aegrotus de tenaciore saliva in ore, quam crebro ejiciebat, et ante omnia de vehementissima siti querebatur, qua eo magis cruciaretur cum, simulatque de bibendo cogitaret, summo angore caperetur, itaque ad sanationem suam id tantum necesse esse putabat, ut sibi aliquid ordinaretur, quo sumpto sine angore bibere posset. Dolor in epigastrio satis magnus erat; intentio sub costis, quae numquam deerat, conatu bibendi ad summum angorem et constrictionem augebatur. In percussione abdominis infra umbilicum sonus intestini, supra umbilicum usque ad processum ensiformem sterni et a spina anteriore superiore ossis ilei in utroque latere usque ad costas valde languidus sonus apparebat. Tota haec regio, paullulum tumefacta, compressione dolebat; regio vero abdominis normalis erat et non dolorosa. Obstructio aegroti propter salem Glauberi et folia Sennae in diarrhoeam transierat; faeces secundum descriptionem normalem colorem habebant. Secretio urinae paullulum aucta; urina turbida et cum sedimento.

Quod ad contractiones illas extremitatum attinet, de quibus antecedenti die locutus erat, jam accuratius indicabat, dolorem in solo laevo humero sentiri, paullulum supra ulnam incipientem et semper sursum ultra humerum spina dorsi tenus pertinentem. Qui dolor nec motione, nec impressione bracchii augebatur. Vulnus in digito minimo aliquot diebus post morsum sanatus erat, unguis autem detrusus. In loco vulneris cicatrix minima vix detegi poterat; nec duritiei cutis, nec dolor ex impressione remanserat. Loco prioris unguis jam novus ad dimidiam altitudinem succreverat.

Post meridiem ejusdem diei ego quoque aegrotum visitavi. Symptomata eadem erant atque mane. Experimentum aquae repetebatur nisi spasmi mox cum periculoso impetu apparuissent.

Conjux referebat, aegroti appetentiam coitus valde excitatam esse. Ceterum ejus angor et inquies etiam creverant.

Mane sequentis diei (die quinto mensis Julii) aegrotum iterum cum fratre meo visitavi. In somnis noctem transegerat. Vultu furorem et inquietem exprimebat; valde fatigatus, afflictus; quaerentibus paullulum contremiscens respondit. Post meridiem ejus diei cum rursus Dickhusium profecti essemus, jam foris magnum tumultum audiebamus. Conjux atque socrus lacrimantes nobis obviam ibant. Ipse levir januae cubiculi obnixus erat, ne Numsenius, qui securim perpetuo agitabat, ea perrupta in atrium penetraret. Brevi antequam advenimus, ad conjugem dixerat, se jam moriturum esse atque eam rogaverat, ut bono viro rursus nuberet; quibus verbis prolatis ipse furor inceperat. Furibundus conjugi suaserat, ut abiret, ne ipse eam interficere cogeretur. Postquam conjux celeriter anxia e cubiculo discessit, aegrotus omnem supellectilem contundebat, tanquam bestia grumniens, capite parietem pulsabat, januam clausam aperire conabatur. Angore summopere aucto, cum se a conjuge et fratre meo interfici putaret, iis summa mala minitabatur.

Digitized by Google

Furibundus interea reliquias sellae fractae per fenestras concrepantes jecit. Deinde cum januam clausam esse videret, per fenestram e cubiculo discessit. Vicinum aliquem accedentem magno ligno jecit, sed non percussit. Cum aliquod temporis spatium horribiles gemitus arasque edens foris versatus esset, per anteriorem domus januam in cubiculum rediit, in quo a quator viris ex jussu magistratus vinctus est. Sed vix vinctus erat, cum cultro supter integumento lecti occulto compedes solvit, et denuo furibundus e lecto exsilit. Postquam dimidiam horam tumultuatus est, rursus in lecto se collocabat, ubi brevi post mortuus est, et quidem, ut videtur in apoplexia. Varia remedia a fratre meo in morbum exortum frustra adhibita erant. Die quarto mensis Julii aegroto unum granum pulveris cantharidum, cum duobus granis calomelanos mixtum praebitum est, simul emplastrum sinapis in scrobiculo cordis impositum. Porro per fistulam aliquam stramanii fumum sugebat, quod quidem non diu pertulit, cum salivatio et spasmi pharyngis augerentur. Die quinto mensis Julii etiam sine successu octona grana Belladonnae ter quotidie sumenda ordinabantur.

Postremo omittendum non erit, aegrotum per tres dies, antequam hydrophobia oriretur, in Baccho nimios excessus fecisse. Cognati prohibuerunt quominus cadaver obduceretur.

Filius vicini ab eodem cane multifariam vulneratus adhuc plane sanus est.

Ut progressum morbi paucis complectar. In nostro casu hebdomade decima tertia post infectionem lyssa exorta est, ut videtur excessu in Baccho provocata. Prodromi defuerant. Ipsa hydrophobia primum symptoma erat. Primo die in furorem non inciderat; sequenti die morbus subito in furorem exiit. Duodequinquacinta horis post lyssam exortam aegrotus, ut videtur apoplectice, mortuus est. —

Secundus lyssae casus, in quo Ida Witt die decimo septimo mensis Julii anni 1856 a rabido maeli morsa et die duodetricesimo mensis Septembris ejusdem anni mortua est a Clausenio Dr. med. et chir. doctissimo Itzehoae observatus.

Non procul ab Itzehoa in silva Breitenburgensi medio mense Junio maelis jam plures dies homines obviam euntes non fugerat, atque die decimo septimo mensis Julii hora undecima ante meridiem teneram puellam, in pede momorderat, ex quo vulnere multum sanguinis profluxerat. Eodem die post meridiem maelis illa dentibus rursus duas puellas adorta est, quarum major, tantum vestimento capta, effugit, minor autem plane dilaniata est plus quam centum vulneribus in quaque corporis parte inflatis; inter ea vulnera undequadraginta, maxime in capite, cum substantiae jactura conjuncta numerata sunt. In laevo crure inferiore musculi surae perrupti erant, ita ut fibula nuda appareret. Interior tibialis superficies praeter multa foramina cruenta adipis frustula e cute puellae evulsa ostendebat. Operarius aliqui miserae clamoribus advocatus maelem depulit quidem, sed batillo fracto interficere non potuit. Sub vesperum in illius maelis cavernam mox repertam canis immissus est, cui labium inferius a maele demorsum est. Deinde vero maelis a duobus viris in capite et rostro pulsata et occisa est.

Digitized by Google

Puellae horribilem in modum sauciatae vulnera singula butyro antimonii corrosa sunt. Die vicesimo primo mensis Augusti, plurimis vulneribus extremitatum persanatis oedema integumentorum cranii cum pustulis circa vulnera suppurantia apparebat. Die undetricesimo ejusdem mensis primum vesiculae cicerum magnitudine circa cicatrices nonnullorum vulnerum persanatorum fluidum serosum continentes observabantur, dum simul plures cicatrices denuo dolorosae et coeruleae fiebant. Ex die nono mensis Septembris neque vesicularum eruptio neque dolores in vulneribus persanatis observabantur. Vulnera capitis ob perpetuam suppurationem adhuc aperta erant, cum die vicesimo sexto mensis Septembris sub vesperum prima signa hydrophobiae se praebuerunt. Morbus celeriter ingravescens die vicesimo octavo ejusdem mensis tertia hora post meridiem mortem puellae adduxit. Quemadmodum puella praeterquam quod vulnera corrosa erant, curata sit, ex relationibus de hoc casu acceptis cognoscere non potui.

Ea puella, quae prima a rabida maele in pede morsa erat, postquam vulnus per sex menses suppuravit, hucusque sana mansit, quamquam puellam postea a maele morsam ex hydrophobia mortuam esse comperit.

Canis a maele morsus, prudenter a libere vagando prohibitus, siquis lyssae vacuus, cum puella morsa moreretur, a domino occisus est.

Obductio maelis rabidae a jurato medico veterinario Tiedemanno facta, haec dedit, quae sequuntur: Maelis feminae, provectionis cranium et ossa nasi baculis infracta erant. In laevo latere cavi oris tumor magnitudine nuci avellanae par, cum vulnere, quod manifesto vix in cicatricem venerat, repertus est. Ex quo tumore dissecto pus coloris straminei evacuatum est. Musculi rubrum calorem praebebant; vasa sanguine abundabant. In cavo abdominis intestinum tenue valde inflammatum, passim gangraenosum, lutulenta et foetida sanie impletum. Stomachus et duodenum vehementer inflammata, omni alimento vacua. Lien obscuriore calore, nonnullis rubris maculis affectus. Jecur et renes sana; bilis copia valde aucta erat. In pulmonibus praecipue in sinistro lobularis inflammatio, in eorum superficie et in pericardio rubrae maculae apparebant. Sanguis in corde spissior, partim coagulatus et ater. — Tunica mucosa tracheae sana. Etiam Tunica mucosa pharyngis et gutturis sana. In cavo cranii vasa cerebri valde extensa, fusco cruore turgida, cerebrum ipsum sanum erat.

THESES.

I. Interdum medici est, interficere ad servandam matris vitam, foetum ipsum vitae capacem.

II. Pneumoniae sanatio venaesectione retardatur.

III. Animus ipse nunquam aegrotat.

Digitized by Google

1857. VII.
PHILOS. I.

BEITRÄGE ZUR KENNTNISS
DES
ELEKTRISCHEN FUNKENS.

INAUGURALDISSERTATION
VON
B. W. FEDDERSEN.

MIT ZWEI LITHOGRAPHIRTEN TAFELN.

KIEL.
GEDRUCKT BEI C. F. MOHR.
1857.

Digitized by Google

— neque enim fingendum aut excogitandum
sed inveniendum, quid natura faciat aut ferat.

Bacc, Nov. Org.

Digitized by Google

Obgleich die folgende Abhandlung zunächst, behufs Erlangung der philosophischen Doctorwürde, geschrieben wurde, so dürfte dieselbe doch mit Rücksicht auf die Neuheit der — soweit dem Verfasser bekannt, bisher noch nicht gemachten — Versuche und Erfahrungen, auch in einem grösseren Kreise vielleicht einige Beachtung verdienen. Wenn nun die Behandlung des Stoffes zu wenig erschöpfend ist, und nicht alle gezogenen Schlussfolgerungen auf Beobachtungen von demselben Gewichte gegründet sind, so muss dabei dem Umfange und der Schwierigkeit des Gegenstandes, so wie den noch ungeübten Kräften des Verfassers Rechnung getragen werden. Es darf daher wohl diese Arbeit, als Beitrag zu einer Aufklärung über die elektrische Funkenentladung, auf eine nachsichtsvolle Beurtheilung Anspruch machen.

Digitized by Google

I.

Historische Einleitung.

Soviel man auch über den elektrischen Funken geschrieben hat, so ist doch die Natur desselben unter den verschiedenen Umständen seiner Erscheinung nur von Wenigen beleuchtet worden. Riess ist meines Wissens der Erste, welcher den Mechanismus der elektrischen Entladung im Funken einer näheren Betrachtung unterzogen hat.[1]) Er stellt sich die Entladung eines Conductors im Allgemeinen als bestehend aus vielen regelmässig hintereinanderfolgenden Entladungen vor, welche er Partialentladungen nennt, und zwar in der Art, dass sich zwischen zwei solchen Partialentladungen die Elektricität an den Polen „aufstaut," bis sie im Stande ist, den Durchbruch zu bewerkstelligen. Diese Ansicht begründet er aus den Rückstandserscheinungen, nämlich:

1) dadurch, dass bei Zerstörung eines Theils des Schliessungsbogens durch die Entladung ein viel grösserer Rückstand bleibt, als bei unversehrtem Schliessungsbogen;
2) dadurch, dass bei Einschaltung eines hinreichend grossen Widerstandes der Rückstand nach der Entladung ebenfalls ein grösserer ist.

[1]) Poggendorf's Annalen der Ph. u. Ch. Bd. 78, S. 433.

Digitized by Google

Neuerdings hat Riess Beobachtungen veröffentlicht,[1]) welche ihm eine Unterstützung seiner Ansicht gewähren sollen, indem sie zeigen, dass bei Entladung einer bestimmten Elektricitätsmenge die Wärmeentwickelung an einer Stelle des im Uebrigen constanten Schliessungsbogens anfangs abnimmt, wenn man die Leitungsfähigkeit des von dem Funken zu durchbrechenden (flüssigen) Mediums erhöht, bald jedoch eine untere Grenze erreicht und nun mit weiterer Vermehrung des Leitungsvermögens wieder zunimmt.

Indem Riess aber die Möglichkeit aufeinanderfolgender Partialentladungen durch eine Veränderung der Luft begründet, welche jeder Partialfunke hervorbringt, stellt er folgende zwei Gesetze als wahrscheinlich auf:

1) das Zeitintervall zwischen zwei Partialentladungen muss umgekehrt mit der Dichtigkeit der angehäuften Elektricität und direkt mit dem Widerstande des Schliessungsbogens zunehmen.

2) Bei grösserer Zwischenzeit wird sich die Luft von einer Partialentladung zur andern weit mehr verändert haben, als bei kleinerer, folglich muss die Gesammtentladung im ersten Falle mit einer kleineren Menge von Partialentladungen schliessen, als im zweiten.[2])

Hierbei ist es jedoch auffallend, wie auch schon Riess hervorgehoben, dass der Einfluss des Widerstandes auf die Quantität des Rückstandes — nach der Riess'schen Ansicht also auch auf die Zahl der Partialentladungen — erfahrungsmässig erst bei einer bestimmten beträchtlichen Grösse des

---

[1]) Pogg. Ann. 98, S. 579 u. f.

[2]) So glaube ich wenigstens Riess Ansicht kurz fassen zu dürfen.

Digitized by Google

Widerstandes (bei Einschaltung einer Wassersäule) bemerkbar wird. — Im Widerspruch mit dieser Ansicht von Riess scheinen die Ansichten Anderer zu stehen, welche, vom Calcül ausgehend, den Mechanismus einer elektrischen Entladung einer Betrachtung unterzogen haben. So viel mir bekannt, ist Helmholtz der Erste, welcher auf eine oscillatorische Bewegung bei der Entladung einer Leidener Flasche hindeutete.[1]) Darauf hat Thomson[2]) diesen Gegenstand von mathematischer Seite beleuchtet, und, ausgehend von dem Princip der lebendigen Kräfte, gefunden, dass es zwei Arten elektrischer Bewegung bei Entladung eines elektrischen Conductors geben könne, eine continuirliche und eine oscillatorische. Inzwischen ist auf diesem Gebiete wenig geschehen, bis ganz kürzlich Kirchhoff[3]) den Gegenstand von einer andern Seite aufgenommen hat und bei seiner rein mathematischen Betrachtung, für gewisse Fälle, zu welchen auch die praktisch unmögliche Entladung einer Leidener Flasche durch einen ununterbrochenen Schliessungsbogen gehören würde, zu dem Resultat einer oscillatorischen Bewegung gekommen ist.

Mag man nun auch die Thomson'sche Betrachtungsweise, welche Stromstärke und Geschwindigkeit der Elektricität ohne Weiteres identificirt, als richtig ansehen, so wird man doch, weder durch diese, noch auch durch die Kirchhoff'schen Formeln über die Bewegung der Elektricität in dem elektrischen Funken einen Aufschluss erhalten können. Die Untersuchung beider Forscher setzt nämlich einen Leiter von bestimmtem angebbaren Widerstande voraus. Das Luftspatium, welches

[1]) Erhaltung der Kraft, Berlin 1847. S. 44.

[2]) Philosophical. Magazin, 4. Ser. S. 393.

[3]) Pogg. Ann. 100, S. 193.

Digitized by Google

